F 129 C

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30408714

JOANNIS DE GORTER

A. L. M. MEDICINÆ DOCT. ET PROF. ORD.

PRAXIS MEDICÆ

SYSTEMA.

Editio Secunda Italica ab Auctore ipso
emendata atque aucta.

PARS PRIMA.

DE

MORBIS GENERALIBUS.

PATAVII. Typis Seminarii. DMCCLVI.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TYPOGRAPHUS
AD LECTOREM.

Septimum hoc Volumen est ex Operibus Cl. Gorteri quod ex Typographia nostra prodit. Prodiere enim intra paucos annos, 1. Medicina Hippocratica, 2. Liber de Perspiratione Insensibili, 3. Chirurgia Repurgata, 4. Opuscula Medico-Practica, 5. Medicinæ Compendium, 6. *demum* Opuscula varia Medico-Physica: *quæ nominatim recensere placuit, non solum ut iis, qui Librorum titulis legendis magnum studium adhibent, gratificarer, sed etiam ut doctis & vere studiosis libros utiles indicarem, si forte ex iis separatos aliquos emisset, cum & omnes simul, & seorsum singuli a nobis tradantur. Nunc septimum, inquam, volumen tibi sisto, Benigne Lector. Nec te moror multis. Quid enim prædicem tibi Operam diligentiamque meam quæ inspicienti manifesta erit? aut Libri Analysin, atque rerum compendium tradere instituam? Requiret hæc sanus quilibet ab Auctoris Præfatione, aut potius si me audiat librum ipsum emet atque consulet. Nec de Operis præstantia judicare ausim. non enim auctoritatem magnam habebit Typographi judicium. Quamquam judicium hac in re meum non est contemnendum, cum consensu confirmetur doctorum omnium, qui Gorteri Opera se magni facere atque optima ducere invicte probant numerata pecunia. Quod mihi ad libri laudem videtur valere plurimum. Nunc si & illud monuero, volumen hoc* ab Auctore ipso emendatum atque auctum *prodire*, verbum non amplius addam.

AUCTORIS EPISTOLA.

PRaxin Medicam præcipuam eſſe Medicinæ partem, nullus inficias ibit : eam igitur, non quod mihi præ ceteris arrideret, ſed utiliſſima & magis neceſſaria viſa fuerit, omni ope excolere volui.

Reliquæ autem partes, ut Phyſica, Anatomia, & Chemia magis alliciunt ſuos cultores, quam ſeverum Praxis Medicæ examen; earum autem uſum ægris minus prodeſſe quia experiebar, iſtis abſolutis, me totum experimentis practicis dedi.

Ab eo igitur tempore, quo Publicum docendi munus mihi incubuit, cuncta, quæ in tanta ſerie annorum, vel propria praxi, vel lectione Auctorum mihi comparare potui, in Tabulas, quas in Oratione Inaugurali ante viginti & quatuor annos propoſui, collecta his demum temporibus perſcrutatus ſum, num valerem ea, quæ diſperſa erant, in certum dirigere ordinem.

Detexi agendo infinitos fere iſtos Morborum Titulos dividi poſſe in morbos Generales, qui generales manent per totum corpus, vel varias corporis partes occupant, atque in Particulares, qui ſemper in eadem ſede manent.

Quia vero Particulares morbi ut plurimum oriuntur ex his Generalibus, hos tanquam Praxis Medicæ fundamenta, præmittere volui, ut, ſi Deus largiatur vitam & ſanitatem, potuiſſem Particulares morbos abſolvere, cognitis his Generalibus.

In morbis enim particularibus duo ſimul perpendenda ſunt, primo Morbus generalis, qui variam partem, humorem vel actionem invadit : dein id ſpeciale, quod in tali ſpeciali parte, humore, vel actione eſt obſervandum. Ex binis his conjunctis fundamentis firma & ſtabilis Praxis Medica tandem peti poteſt. Deficiente autem uno vel altero, morborum Particularium cognitio & curatio incerta erit.

In exponendis morbis, iiſdem cum aliis Auctoribus practicis, principiis utor, anatomicis, chemicis, & phyſicis, unum vero paſſim addere debui, nempe principium ſeu actionem vitalem

ge-

generalem & particularem, quia morbi pertractantur in hominis corpore vivente, in quo non ſolum leges mechanicæ & hydraulicæ ſed etiam vitales imperant, propter quas multa fiunt & facienda ſunt, quæ in cadavere vel machina mortua non obſervantur, vel obſervanda ſunt. Unde veteres quoque faſſi ſunt aliquid divinum eſſe imperſcrutabile in morbis, quod ex qualitatibus ſuis explicare non potuere: neque his temporibus valemus ex principiis mechanicis & hydraulicis explicare, quod ex legibus vitæ dependet.

Quia vero corpus hominis eſt Machina artificioſiſſima vitali actione prædita, ſi quibuſdam in rebus deficiat, ex conjunctis his omnibus principiis eruenda eſt defectuum ſeu morborum cognitio, atque experimentis in homine vivente captis deducenda eſt curatio, ſi cito, tuto, & jucunde curare velimus.

Multo plura morborum nomina in hoc Syſtemate inveniri, quam in aliis practicorum libris, nullus mirabitur, perpendens me multis cauſis & ſymptomatibus, quæ a practicis in tranſitu proponuntur, ſpecialem dediſſe Titulum, ut quidquid de ea re ſit ſentiendum, conjunctim ad eum Titulum inveniri poſſit.

Scopus erat omnes morbos generales redigere ad tres libros, nempe ſolidorum, fluentium, & actionum, ſed quia tunc quidam reſtabant morbi ab Alienis in corpore natis, & alii qui ex Cauſis ſervabant nomen, duos reliquos addere debui.

Præmonere debeo principium Doctrinæ Medicæ ab hoc Syſtemate non eſſe inchoandum, ſed præmittendam eſſe cognitionem Anatomicam, Chemicam, & Phyſicam, ut his inſtructus tanquam uno pede, noſtro altero utatur, ut bene incedat.

Ne ſtatim quis illotis manibus adgrediatur doctrinam morborum generalium, præſcire oportet, quid ſciendum ſit generaliter in omnibus morbis, quæ in Procœmio exhibui.

His dein peractis omnium morborum generalium diviſionem in Tabulas ita digeſſi, ut adhibita cura Junior Medicus detegere poſſet, ex adparentibus phænomenis, vel cognitis cauſis, quale nomen ſit datum morbo oblato.

Etiamſi magnam curam Multoſque labores in Tabulis analyticis his concinnandis adhibuerim, non tamen omnibus in partibus

iſtas

iſtas abſolvere potui, ut nihil deficeret, vel aliquod meliori loco poni non potuiſſet, ſi modo exiguam, ad detegenda vera nomina morborum, feneſtram aperui, contentus ero, me Diſcipulis meis aliquam demonſtraſſe viam, qua in ægris valeant invenire morbi nomen, ut alios quoque practicos conſulere poſſint.

Nulla auctorum nomina vel loca adjeci, etiamſi illa ex Collectaneis noſtris facile addere potuiſſem, ne in nimis magnam molem excreſceret hic liber; & quia in arte Medica experimentis non vero auctoritate praxis firmanda ſit.

In deſcribendis morbis omnem adhibui curam, ut paucis verbis, nulla addita ratione, quæ viva voce in collegiis eſt tradenda, rem ipſam complecterer. Eo autem factum fuit, ut ſenſus hinc inde non ſatis perſpicuus habeatur, quod condonare & in bonam partem interpretari velit L. B.

TABULA ANALYTICA MORBORUM.

PARS PRIMA.

LIBER I.

GENERALES SOLIDORUM MORBI.

TITULUS I.

EX NEXU.

Debiliore. - - - - - -	1. Fragilitas.
Firmiore. - - - - - -	2. Tenacitas.
Soluta in parte molli, a Cauſa.	3. Deſtructio.
Mechanica,	
Secante. - - - - - -	4. Vulnus.
Obtuſa. - - - - - -	5. Contuſio.
Pungente. - - - - - -	6. Punctura.
Mordente. - - - - - -	7. Morſus.
Divellente in Lacinias. - - - -	8. Laceratio.
Varia,	
Externa deſtruente,	
Valida vi ignis. - - - - - -	9. Uſtio.
Congelatione. - - - - - -	10. Gelu.
Rodendo. - - - - - -	11. Corroſio.
Ablatione ſuſtentaculi. - - - - -	12. Suſtentaculi def.
Interna,	
Recenti, producente Solutionem,	
Æqualem oblongam. - - - - -	13. Fiſſura.
Inæqualem. - - - - - - -	14. Ruptio.
Vetuſta, relinquente Solutionem,	
Latam & planam. - - - - - -	15. Ulcus.
Anguſtam caniculatam.	16. Fiſtula.

TITULUS II.

EX TONO.

Accurtatio,
  Validior. - - - - - - 17. Contractilitas.
  Minor. - - - - - - 18. Laxitas.
Flexura,
  Facilior. - - - - - - 19. Flexibilitas.
  Difficilior. - - - - - - 20. Rigiditas.
Restitutio,
  Nimia. - - - - - - 21. Elasticitas.
  Minor. - - - - - - 22. Inertia.

TITULUS III.

EX QUANTITATE.

Majore. - - - - - - 23. Abundantia.
Minore in ablatione, - - - - - - 24. Defectus.
  Partis integræ. - - - - - - 25. Mutilatio.
Superficiei,
  Rodendo. - - - - - - 26. Excoriatio.
  Terendo. - - - - - - 27. Attritus.
  Abstergendo. - - - - - - 28. Nuditas.

TITULUS IV.

EX SUBSTANTIA.

A Causa mechanica,
 Minuente
  Longitudinem. - - - - - - 29. Adductio.
  Latitudinem. - - - - - - 30. Compressio.
Augente Longitudinem,
  Cum Renixu. - - - - - - 31. Extensio.
  Sine Renixu. - - - - - - 32. Elongatio.
Ad Adtactum cedente
  Facile. - - - - - - 33. Mollitudo.
  Difficile. - - - - - - 34. Durities.
Comparata ad humores
Abundantiores. - - - - - - 35. Humiditas.

Defi-

Deficientes. . . . . 36. Siccitas.
In Molem,
Auctam. . . . . 37. Craſſitudo.
Minutam. . . . . 38. Tenuitas.
Compactam. . . . . 39. Denſitas.
Expanſam. . . . . 40. Raritas.
In Cohærentiam,
Tenaciorem flexilem. 41. Callus.
Duriorem rigidam. . . . . 42. Offificatio.
In figuram Alienam,
Morboſam. . . . . 43. Deformitas.
A læſione relictam. 44. Cicatrix.
In Capacitatem,
Auctam. . . . . 45. Amplitudo.
Minutam. . . . . 46. Anguſtia.
Impletam. . . . . 47. Obſtructio.
Compreſſam vel contractam. 48. Clauſura.
Coalitam. . . . . 49. Concretio.

TITULUS V.

EX LOCO ALIENO.

Parte integumentis communibus,
Tecta. . . . . 50. Hernia.
Nudata. 51. Procidentia.

LIBER II.

GENERALES HUMORUM MORBI.

TITULUS I.

QUANTITATIS.

Æquilibrii. . . . . 52. Æquil. deſtr.
Abundantia, præbet augmentum . . . 53. Abundantia.
Partis, a . . . . . 54. Intumeſcentia.
Sanguine, in
Corpore toto. . . . . 55. Plethora.
Parte aliqua,
Arteriæ. . . . . 56. Aneuryſma.

Venæ . . . . . 57. Varix.
Pinguedine in toto corpore. 58. Obesitas.
Lympha in
Corpore toto vel cavitate. 59. Hydrops.
Lymphaticis vel loculis. . . . 60. Hydatides.
Pituita in
Corporis ambitu . . . . . 61. Leucophlegm.
Parte speciali . . . . . 62. Oedema.
Pure in cavitate
Clausa vel aperta . . . . . 63. Abscessus.
Aperta ab apertura remota . . . 64. Sinus.
Defectus qui fit in . . . . . 65. Defectus.
Corpore toto, diminutione,
Pinguedinis . . . . . 66. Macies.
Variorum humorum . . . . . 67. Atrophia.
Cum corruptela . . . . . 68. Phthisis.
Parte speciali, post molem
Auctam . . . . . 69. Detumescentia.
Naturalem, ... 70. Extenuatio.
Omni fere humido ablato . . . 71. Aridura.

TITULUS II.

COERENTIÆ.

Majoris inter partes
Omnes . . . . . 72. Tenacitas.
Nonnullas . . . . . 73. Crassitudo.
Solubiles, motu & calore inductæ
Minore in humore
Circulatorio . . . . . 74. Pituita.
Secretorio vel Excretorio . . . 75. Mucor.
Majore, in humore
Circulatorio . . . . . 76. Lentor.
Secretorio vel Excretorio . . . 77. Phlegma.
Non solubiles, a causa
Interna solidis
Adhærentes, natæ,
Actione vitali & calore
Minore . . . . 78. Viscidum.
Minore corrumpente . . . 79. Glutinosum.
Vix adhærentes, occupantes
Massam totam . . . . . 80. Concretus.
Partem . . . . . 81. Grumus.

Super-

Superficiem . . . . . 82. Cruſta,
Externa, per
Coagulum . . . . . 83. Coagulatus.
Frigus glaciale . . . . . Gelu (10.)
Calorem adurentem . . . . Uſtio (9)
Minoris,
Generalis . . . . . 84. Tenuitas.
Specialis, producentis humorem
Criticum, vel non lædentem . . . 85. Reſolutus.
Morboſum,
Vappidum . . . . . 86. Aquoſus.
Corruptum . . . 87. Colliquatus.
Acrem,
Subpinguem . . . . . 88. Ichor.
Salinum aquoſum. 89. . . . 89. Lympha.

TITULUS III.

QUALITATIS SENSIBUS DETEGENDÆ.

Generalis ſenſus detegit,
Calorem . . . . . 90. Calidus,
Frigiditatem . . . . . 91. Frigidus.
Læſionem nullam in humorib. virib.
Donatis . . . . . 92. Mitis.
Privatis . . . . . 93. Vappa.
Dolorem, ex materia . . . . . 94. Acrimonia.
Salina,
Salſa . . . . . 95. Salſa.
Acida . . . . . 96. Acida.
Nitroſa . . . . . 97. Nitroſa.
Urinoſa . . . . . 98. Alcalina.
Pingui præbente
Saporem deteſtabilem & ardorem. 99. Rancor.
Fœtorem . . . . . 100. Putor.
Terreſtri . . . . . 101. Auſteritas.
Particularis ſenſus detegit,
Viſu,
Colorem, ... 102. Color.
Album . . . . . 103. Albor.
Pallidum . . . . . 104. Pallor.
Nigrum . . . . . 105. Nigror.
Rubrum . . . . . 106. Rubor.
Lividum . . . . . 107. Livor.

Flavum . . . . . 108. Flavedo.
Bullas aereas . . . . . 109. Spuma.
Miſcelam,
Ælualem . . . . . 110. Æqualis.
Inæqualem . . . . . 111. Inæqualis.
Olfactu fœtorem. 112. Fœtor.

TITULUS IV.

LOGI ALIENI.

Humorum,
Generalium,
Subſiſtentium . . . . . 113. Error loci.
Collectorum . . . . . 114. Collectio.
Effuſorum . . . . . 115. Effuſio.
Particularium.
Sanguinis . . . . . 116. Ecchymoſis.
Bilis . . . . . 117. Icterus.
Aeris . . . . . 118. Empneumat.
Materiæ morbi . . . . . 119. Metaſtaſis.

TITULUS V.

NATURÆ MUTATÆ.

Generalis, ... 120. Metamorphoſis.
Emendabilis,
Varius . . . . . 121. Cacochymia.
Poſt menſes ſubſiſtentes . . . . . 122. Chloroſis.
Cum ſpeciali acrimonia . . . . . 123. Scorbutus.
Oſſium mollitudinem & deformitatem inducens . . . . . 124. Rhachitis.
Conſtans . . . . . 125. Corruptio.

TITULUS VI.

HUMORES MORBOSI GENERALES.

Alieni, ex
Præparatione
Perfecta . . . . . 126. Coctus.

Imper-

Imperfecta . . . . . 127. Crudus.
Natura
Benigna . . . . . 128. Benignus.
Maligna . . . . . 129. Malignus.
Colore diſtinguendi,
Flavo . . . . . 130. Bilioſus.
Albo . . . . . 131. Pus.
Nigro, per
Corruptionem vel coneret. 132. Melancholia.
Mortificationem . . . . . 133. Sphacelus.

LIBER III.

GENERALES ACTIONUM MORBI.

TITULUS I.

SENSUS MORBOSUS.

Partis
Sentientis generalis
Simplex
Major & moleſtus, ... 134. Dolor.
Febre utplurimum carens, . . .
Ligamentis & carni infeſtus. 135. Arthritis.
Nervos afficiens . . . . . 136. Catarrhus.
Febrem excitans,
Per Paroxyſmos increſcens. 137. Podagra.
Continuo & diu infeſtans. 138. Rheumatiſmus.
Ad fricandum vel ſcalpendum inſtigans. 139. Pruritus.
Minor vel exſtinctus, in parte
Sentiente non dolente. . . . 140. Stupor.
Dolente antea. . . . 141. Anodina.
Compoſitus
Major cum reliquis actionibus conſpirans. . . . . 142. Conſenſus.
Extinctus cum
Motus voluntarii actione abolita,
Membris laxis ſimul. 143. Apoplexia.
Membris ſubrigidis, flexibilib. 144. Catoche.
Reliquis actionibus extinctis,
Utplurimum reviviſcens. . . . 145. Syncope.

Nun-

Nunquam reviviſcens in
Membro toto . . . . . 146. Sphacelus.
Membri ſuperficie . . . . . 147. Eſchara.
Specialis actionis, moleſtus . . . . 148. Anxietas.
Encephali, præbens
Dormientibus ſenſum ponderis
incumbentis . . . . . 149. Incubus.
Somni privationem . . . . . 150. Agrypnia.
Cupiditatem majorem . . . . 151. Somnolentia.
Oppreſſionem vix ſuperabilem. 152. Sopor.
Mentis aberrationem, in
Dormientibus ſolis . . . . . 153. Inſomnium.
Dormientibus & vigilantibus. 154. Delirium.
Cum febre continua acuta. 155. Phrenitis.

TITULUS II.

MOTUS SOLIDORUM MORBOSUS.

Major
Ordinatus, ... 156. Motus major.
Vibrans valide, producens . . . . 157. Pulſatio.
Calorem nimium, & . . . . 158. Calor, Ardor.
Lentorem . . . . . 159. Inflammatio.
Ichorem . . . . . 160. Eryſipelas.
Inordinatus, vehemens, varius, . . . 161. Convulſio.
Cum ſenſuum extinctione . . . . . 162. Epilepſia.
Minor, in . . . . . 163. Motus minor.
Organis omnibus,
Virium defectu productus . . . . . 164. Debilitas.
Poſt ſublatum morbum . . . . . 165. Convaleſcentia.
Frigoris ſenſum inducens . . . . . 166. Frigiditas.
Organo animali.
Poſt toleratos labores . . . . . 167. Laſſitudo.
Senſim natus . . . . . 168. Pareſis.
Exſtinctus . . . . . 169. Paralyſis.
Alienus, qui eſt
Voluntarius aliquomodo in
Decumbentibus ſolis . . . . . 170. Decubitus.
Situ corporis quovis . . . . . 171. Inquietudo.
Involuntarius
Validior,
Palpans . . . . . 172. Palpitatio.

Inor-

Inordinatus in
Partibus variis. . . . . 173. Mobilitas.
Ventre præcipue,
Virorum. . . . . 174. Hypochondriaca.
Feminarum. . . . . 175. Hyſterica.
Cum frigoris ſenſu. . . . . 176. Horror, Rigor.
Debilior,
Vacillans. . . . . 177. Tremor, Vacill.
Cum formicatione vel punct. Torpor.
Varius in motu vitali. . . . . 178. Pulſus morboſus.

TITULUS III.

FLUXUS HUMORUM MORBOSUS.

Obſervatur ille, in
Circumductione,
Majore. . . . . 180. Circulatio major.
Minore. . . . . 181. Circulat. minor.
Extincta. . . . . 182. Stagnatio.
Reditu per
Venas. . . . . 183. Refluxus impeditus.
Abſorbentia,
Minore & impedito. . . . 184. Abſorptio defic.
Aucto & nimio. 185. Abſorptio major.
Emiſſione, per emiſſaria,
Naturalia,
Generalia. . . . . 186. Evacuatio morboſa.
Cutanea,
Inviſibili. . . . . 187. Perſpirat. morb.
Viſibili. 188. Sudor.
Uropœa. 189. Urina morboſa.
Morboſa vel artificialia. 190. Hæmorrhagia.

TITULUS IV.

ACTIONES FEBRILES.

Febris nominata, ex. . . . . 191. Febris.
Paroxyſmo,
Unico perſeverante,
Non ultra XXIV horas. . . . 192. Ephemera.
Ad duos treſve dies. . . . 193. Synochus.

Ad

Ad dies VII vel ultra. . . . 194. Continua.
Multiplici redeunte,
Periodico,
Simplici, inter paroxiſmos, exhibente
Apyrexiam. . . . . 195. Intermittens.
Singulis diebus. . . . . 196. Quotidiana.
Alterno die. . . . . 197. Tertiana.
Duobus diebus liberis. . . . 198. Quartana.
Levamen ſine apyrexia. 199. Remittens.
Alterno die. . . . . 200. Tritæophyes.
Complicato. . . . . 201. Semitertiana.
Duplicato. . . . . 202. Duplicata.
Vago, ... 203. Erratica.
Duratione, per
Breve tempus cum vehementia. . . 204. Acuta.
Longum tempus quaſi latens. . . . 205. Chronica, Lenta.
Phænomeno ſpeciali in cute, cum
Puſtulis
Purulentis. . . . . 206. Variolæ.
Raro ſuppurantibus. . . . . 207. Exanthemata.
Maculis
Rubris
Minoribus. . . . . 208. Morbilli.
Latioribus. . . . . 209. Scarlatina.
Lividis, nigris, vel flavis. 210. Petechialis.
Morbo novo ſuperveniente. . . . 211. Symptoma.
Generali,
Calore nimio,
Ardente ſicco. . . . . 212. Ardens.
Acri moleſto. . . . . 213. Typhos.
Frigore majore perſeverante. . . 214. Algida.
Caloris frigoriſque viciſſitudine . . . 215. Epialos.
Fallaci lenitate. . . . . 216. Leipyria.
Horrore frequenti. . . . . 217. Phricodes.
Emaciatione ſumma. . . . . 218. Hectica.
Anxietate & faſtidio. . . . . 219. Aſodes.
Evacuatione nimia
Humoris tenuis corrupti. . . . 220. Colliquativa.
Sudoris
Calidi. . . . . 221. Hydropyretos.
Frigidi colliquativi. . . . 222. Helodes.
Animi deliquio. . . . . 223. Syncopalis.
Delirio. . . . . Paraphrenitis.
Particulari,
Cephalalgia & Cardialgia. . . 224. Hungarica.

Alvi fluxu cum torminibus	225. Dyſenterica.
Vomitu & conatu vomendi . . .	226. Emetica.
Siti nimia perſeverante	227. Siticuloſa.
Cauſa morboſa, ...	228. Symptomatica.
Generali, in humore	
Cacochymico (121)	229. Cacochymica.
Bilioſo (130)	230. Bilioſa.
Lymphatico acri (89)	231. Lymphatica.
Scorbutico (123)	232. Scorbutica.
Purulento (131)	233. Purulenta.
Putrido (100)	234. Putrida.
Maligno (129).	235. Maligna.
Particulari	236. Topica.

LIBER IV.

ALIENA MORBOSA.

TITULUS I.

MORTUA MORBOSA.

Solida	237. Calculus.
Liquida	238. Flatus.

TITULUS II.

VIVENTIA MORBOSA.

Motu ſuo & morſu morbum inferentia	239. Inſecta.

LIBER V.

CAUSÆ MORBUM INFERENTES.

TITULUS I.

INTERNÆ MORBUM GENERANTES.

Internæ cauſæ producunt morbum,
Generatione, ex

Similis labe in parentibus	240. Hereditarius.
Cauſis ante nativitatem. . .	241. Conatus.
Corporis incremento & decremento.	242. Ætas.
Vitali actione, in	
Animi	
Exercitatione.	243. Animi actio.
Paſſione.	244. Animi pathem.
Animali motu,	
Majore.	245. Exercitium.
Minore.	246. Quies.
Somno,	
Nimio & turbato.	247. Somnus.
Impedito & minore. . . .	248. Vigilia.
Speciali corporis	
Diatheſi, ...	249. Natura.
Paucorum hominum. . . .	250. Idioſincraſia.
Multorum hominum	251. Temperament.
Senſim comparata. . . .	252. Conſuetudo.
Evacuatione,	
Minuta & prohibita. . . .	253. Retenta.
Nimia.	254. Excreta.
Spontanea mutatione, invertente,	255. Anatomica.
Solida & liquida.	Corruptio. (125)
Humores producente,	
Oleum fœtidum & alcali vo-	
latile.	Putredo. (100)
Spiritum ardentem vel acidum.	256. Fermentatio.
Specialem virtutem in miſtis	
exſtinctam.	257. Effervescentia.
Deſcenſum in partibus gravio-	
ribus.	258. Præcipitatio.
Cohærentiam naturalem mino-	
rem.	259. Maceratio.
Concretionem inter partes	
novam.	260. Cryſtalliſatio.

TITULUS II.

EXTERNÆ MORBUM PRODUCENTES.

Phyſica manifeſta actione agentes, . .	261. Mechanica.
Concuſſione generali.	262. Vectio.
Agitatione particulari. . . .	263. Scalptura.
Quantitate nocentes.	

Majo-

Majore. . . . . 264. Abundantia.
Minore. . . . . 265. Defectus.
Qualitate damnum inferentes,
Manifesta, in
Calore. . . . . 266. Calida.
Frigore. . . . . 267. Frigida.
Humiditate. . . . . 268. Humida.
Siccitate. . . . . 269. Sicca.
Lata, ut plurimum, in
Aere vario. . . . . 270. Aer.
Temporis variatione. . . . . 271. Tempus anni.
Materia inficiente. . . . . 272. Contagium.
Volatili, producente morbum,
Eodem semper loco. . . . 273. Endemius.
Vario loco & tempore,
Paucos interficiente. . . . 274. Epidemius.
Multos necante. 275. Pestis.
Fixa, ut plurimum propagata,
Concubitu. . . . . 276. Venerea lues.
Morsu. . . . . 277. Hydrophobia.
Ictu. 278. Tarantismus.
Abusu inductæ. . . . . 279. Abusus.
Munientium. 280. Integumenta.
Nutritionis. . . . . 281. Nutrientia.
Curationis. . . . . 282. Medicamenta.
Veneni. . . . . 283. Venena.
Magiæ. . . . . 284. Magia.

MORBORUM SERIES

IN PARTE SECUNDA.

LIBER I.

CAPITIS MORBI.

285. Generales morbi caput infestantes.
286. Cephalalgia.
287. Carebaria.
288. Hydrocephalon.
289. Gravedo.
290. Faciei morbi.
291. Ophtalmia.
292. Cæcitas.
293. Vertigo.
294. Otalgia.
295. Sternutatio.
296. Odontalgia.
297. Aphtæ.
298. Linguæ morbi.
299. Manducationis morbi.
300. Sitis morbosa.
301. Sapor alienus.
302. Encephali humoris morbi.
303. Salivæ morbi.
304. Muci morbi.
305. Ceruminis morbi.

LIBER II.

COLLI MORBI.

306. Generales colli morbi.
307. Faucium morbi.
308. Uvulæ morbi.
309. Tonsillarum morbi.
310. Laringis morbi.
311. Pharyngis morbi.
312. Oesophagi morbi.
313. Deglutitionis morbi.
314. Vocis morbi.
315. Angina.
316. Bronchocele.
317. Raucedo.
318. Screatus.
319. Tussis.
320. Sputum.

LIBER III.

PECTORIS MORBI.

321. Generales pectoris morbi.
322. Mammarum morbi.
323. Lactis morbi.
324. Pulmonum morbi.

325. Cor-

325. Cordis & Pericardii morbi.
326. Pleuræ morbi.
32 . Mediaſtini morbi.
328. Diaphragmat. morbi.
329. Reſpiratio morboſa.
330. Diſpnœa.
331. Aſthma.
332. Suffocatio.
333. Singultus.
334. Hæmoptyſis.
335. Pleuritis.
336. Peripneumonia.
33 . Empyema.
338. Hydrothorax.

LIBER IV.

VENTRIS MORBI.

TITULUS I.

VENTRIS MORBI EXTERNI.

339. Generales ventris & Viſcerum morbi.
340. Abdominis morbi.
341. Aſcites.
342. Tympanites.
343. Umbilici morbi.
344. Hypochondriorum morbi.
345. Lumborum morbi.
346. Lumbago.
347. Nephritis.
348. Spina bifida.
349. Coxæ dolor.
350. Inguinum morbi.
351. Bubo.
352. Ani morbi.
353. Hæmorrhoides.
354. Perinæi morbi.

TITULUS II.

CHYLIFICATIONIS MORBI.

355. Ventriculi morbi.
356. Anorexia.
357. Pſeudorexia.
358. Satietas.
359. Faſtidium.
360. Nauſea.
361. Dyſpepſia.
362. Cardialgia.
363. Soda.
364. Ructus.
365. Vomitus.
366. Vomitu rejecta.
367. Vomitus cruentus.
368. Eructatio.
369. Inteſtinorum morbi.
370. Meſenterii morbi.
371. Pancreatis morbi.
372. Omenti morbi.
373. Chyliferorum morbi.
374. Chylus morboſus.
375. Cacochylia.
376. Alvi excrementa varia.
377. Meconium.
378. Alvus adſtricta.
379. Diarrhœa.
380. Dyſenteria.
381. Hepaticus fluxus.
382. Lienteria.

383. Cœ-

383. Cœliaca.
384. Volvulus.
385. Cholera.
386. Hypercatharſis.
387. Teneſmus.
388. Colica, ſeu Tormina.
389. Borborygmus.
390. Crepitus.
391. Inteſtinorum vermes.
Hæmorrhoides, S. 353.

TITULUS III.

CHOLEPOIESIS MORBOSA.

392. Lienis morbi.
393. Portarum morbi.
394. Hepatis morbi.
395. Hepatis.
396. Veſicæ felleæ morbi.
397. Bilis morboſa.
398. Calculus bilis.
Omenti morbi, S. 372.
Icterus, S. 117.
Melancholia. S. 132.

TITULUS IV.

DIURESIS MORBOSA.

399. Urinæ organorum morbi.
400. Renum morbi.
401. Ureterum morbi.
402. Veſicæ morbi.
403. Uretræ morbi.
404. Incontinentia urinæ.
405. Diabetes.
406. Mictus cruentus.
407. Dyſuria.
408. Stranguria.
409. Iſchuria.
Urina morboſa, S. 189.

LIBER V.

GENERATIONIS MORBI.

TITULUS I.

GENITALIUM VIRORUM MORBI.

410. Penis morbi.
411. Proſtatarum morbi.
412. Scroti morbi.
413. Teſtium morbi.
414. Veſicularum morbi.
415. Semen morboſum.
416. Gonorrhœa.
417. Impotentia.

TITULUS II.

GENITALIUM FEMINARUM MORBI.

418. Muliebrium morbi.
419. Vaginæ morbi.
420. Uteri morbi.
421. Tubarum morbi.
422. Ovariorum morbi.
423. Menſtrua purgatio.
424. Menſium profluvium.
425. Menſium ſuppreſſio.
326. Leucorrhœa.
427. Hyſteromania.
428. Sterilitas.

TITULUS III.

EMBRYOLOGIA.

429. Gravidarum morbi.
430. Fœtus morbi.
431. Placentæ morbi.
432. Umbilicalis funiculi morbi.
433. Partus naturalis.
434. Puerperium.
435. Lochia.
436. Lochior. profluvium.
437. Lochiorum ſuppreſſio.
438. Dyſtocia.
439. Abortus.
440. Mola.
441. Infanticidium.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del P. *F. Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor Generale del Santo Uffizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Joannis de Gorter Medicinæ Doctoris Praxis Medicæ Syſtema, Tomus Primus, & Secundus de Morbis Generalibus, & Particularibus* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Giugno 1751.

(
(Gio: Querini Proc. Rifor.
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rifor.

Regiſtrato in lib. a cart. 7. al num. 72.

Michel Angelo Marino Segr.

Adi 3. Luglio 1751.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segr.

PROŒMIUM.

I. AMedico exigunt omnes ſani, ut præbeat regulas, quibus conſervatur ſanitas, ſeu præveniuntur morbi; ægrotantes autem, ut morbo medeatur, vel ſi fieri non poſſit, ut ejus progreſſum arceat, aut eum toleratu faciliorem reddat.

II. Fieri autem hoc nequit, niſi cognoſcatur morbus, ejuſque cauſa, & dein quali methodo & quibus auxiliis cognitus morbus curari debet. Nullus ergo niſi inſtructus anatomicis, chemicis, phyſicis, legibus ſpecialibus corporis viventis, valet eruere morborum cauſas; ſed ut curet, inſuper ſcire oportet ſpecialem methodum medendi, auxilia & medicamentorum vires, quibus prævenire, curare, & palliare poteſt propoſitum morbum. Inde nequé ſola theoria & cognitio morborum, neque ſola empirica curatio ſufficit, ſed utraque ad medendum jungenda ſunt. Partem theoreticam ſuppono cognitam in hoc ſyſtemate, utpote ſatis ab aliis expoſitam: quæ vero pertinent ad morbi, ejuſque cauſarum, effectuum & curationis cognitionem, hoc loco tradenda ſunt.

III. Antequam adtingamus ſpecialis morbi doctrinam; ſcire juvat, quæ generalia in morbis ſunt præſcienda: hæc vero præbent differentias morborum ad ſe invicem, vel complectuntur quædam ſpecialia in eodem morbo.

IV. Generales Differentiæ petuntur 1. Ex phænomenis, ut Calidus (158); Frigidus (267); Ardens (212); Horrificus (176, 217); Convulſivus (161).

2. Ex Cauſa, ut Hereditarius (240); Connatus (241); Contagioſus (272); Endemicus (273); Epidemicus (274); Venenatus (283).

3. Ex Humoribus morboſis, Colliquativus (87); Putridus (100, 234); Sanguineus (55); Bilioſus (130, 230); Pituitoſus (74); Melancholicus (132); Purulentus (131, 233).

4. Ex aliis Morbis, Inflammatorius (159); Eryſipelatoſus (160); Hecticus (218); Febrilis (191); Cancroſus.

5. Ex Morborum Natura cenſetur Magnus vel Parvus; Vehemens vel Lenis; Facilis vel Difficilis; Benignus vel Malignus; Sanabilis vel Inſanabilis; Salutaris vel Periculoſus; Securus vel Lethalis & Extremus.

6. Ex Morborum Variatione eſt Conſtans vel Inconſtans; Periodicus vel Vagus; Stationarius, Sporadicus vel Intercurrens; Continuus, Intermittens, Remittens, vel Recidivans.

7. Ex Duratione, generatur Vetuſtus aut Recens; Antiquus vel Novus; Brevis aut Longus & Pertinax.

8. Ex Inventione eſt Apertus, vel Latens; Obſcurus vel Manifeſtus; Cognitus vel Incognitus; Externus aut Internus.

9. Ex Compoſitione naſcitur Simplex vel Compoſitus; Primarius vel Secundarius; Idiopathicus, vel Sympathicus; Purus vel Impurus; Eſſentialis vel Symptomaticus; Legitimus vel Illegitimus; Verus vel Anomalus.

Omnia autem illorum morborum genera diſtinguunt in Acutos & Chronicos.

V. Morbus vehemens, febrilis, generalis vel particularis, cum aucta circulatione, unico paroxyſmo periodum, non ultra 24. vel ad ſummum 40. dies durantem, ſine apyrexia, abſolvens, Acutus vocatur.

1. Ab hoc ſeparari poteſt Ephemera, quæ non eſt vehemens; & Apoplexia, quæ febre carere poteſt: quare Brevis & Acutus differt.

2. Acuti diſtinguuntur ex duratione, nam Acutiſſimi ſunt, qui intra 4. vel 7. dies deſinunt; diutius durantes Acuti abſolute dicuntur, modo 40. dies non excedant.

3. Regulariter Acuti 1. ſunt Inflammatorii & febres continuæ, in quibus tempora critica obſervantur, niſi tranſeant in Corruptelam. 2. Eriſipelatoſi. 3. Putridi. 4. Maligni, qui omnes certum ordinem non ſervant.

4. Speciales effectus ex aucto motu vitali & citatis morbis ſunt deſumendi.

5. Curatio generalis in temperando impetu plerumque locanda; aut ex propria curatione ſpecierum, quæ ad acutos veros referuntur, deducenda.

VI. Omnes morbi ſive mites, ſive vehementes ſint, cum vel ſine febre, ultra quadraginta dies durantes, Chronici dicuntur.

1. Generantur illi ſtatim ab initio ſi morbi materia viribus vitæ ſubigi & expelli nequeat, aut quando vis vitæ non intendatur ad ſubigendum & expellendum. Vel generantur poſt Morbos Acutos ex relicta materia, vel inducta mutatione, quæ cum morbo acuto non ceſſat.

2. Quia ſponte raro deſinunt, ſed recta medendi methodo & aptis auxiliis ſunt tollendi, majore induſtria opus in curatione, quam quæ in Acutis adhibetur. Infinitæ ſpecies horum admodum diverſam curationem exigunt: ut plurimum tamen corporis exercitatio, medicamenta moventia, calefacientia, roborantia, & antiſeptica calida ſunt adhibenda, dum ſimul ſervatur alvus laxior, & corpus perſpirabile.

VII. Generalia in morbis pertinent ad eorum Cauſas, Effectus, Signa, Præſagia, Exitus, & Curationem.

VIII. Res ſimplex vel compoſita, quæ in corpore vivente morbum producit, Cauſa vocatur.

1. Hæc ſi ſenſibus vel ratione detegi poteſt, Manifeſta & Aperta dicitur: ſed in vel extra corpus latens Abdita vocatur.

2. In corpore autem hærens, plerumque latens, ſola non inferens morbum, ſine qua tamen alia accedens cauſa non produxiſſet morbum, Proegumena appellatur ſeu Prædiſponens.

3. Quæ vero cauſæ ſolæ accedentes morbum pariunt, cum vel ſine prædiſponente, hæ Procatarcticæ audiunt.

4. Hæ etiam accedentes dicuntur Externæ, ſed in corpore natæ Internæ.

5. Omnes hæ Cauſæ congregatæ immediate morbum producentes conſtituunt Cauſam Proximam; quæ vero recedunt relicto morbo; hæ Remotæ dicuntur.

6. Cauſæ hæ omnes agunt in partes firmas aut fluentes, vel in actiones generales aut particulares.

IX. Quæ immediate ex morbi cauſa producuntur, aut mediate, quia hærent in corpore vivente, illa dicuntur Morbi Effectus. Inde varii naſcuntur Effectus. 1. In morbis ex diverſis cauſis natis. 2. Ex cauſa eadem agente in variis partibus, humoribus & functionibus. 3. Ex vario ſtatu, idioſyncraſia, temperamento,

to, consuetudine . 4. Ex morbo alio prægresso, accedente novo . 5. Ex consensu, metastasi, metamorphosi . 6. Ex adhibita diæta, regimine, methodo medendi, & variis auxiliis.

X. Omnia a Medico detecta, ab ægro vel aliis communicata, indicantia aliud quid in corpore latitare, Signa vocantur, & horum doctrina Semeiologia.

1. Petuntur Signa 1. ex antecedentis causæ cognitione; 2. ex præsentibus phænomenis, seu effectibus; 3. ex natura rei; 4. ex adhibitis auxiliis cum vel sine effectu; 5. denique ex his omnibus conjunctis.

2. Quæ perpetuo adsunt cum morbo constanti, vel morbum mutabilem semper concomitantur, dicuntur Characteristica & Pathognomica: quæ autem adesse & abesse possunt, atque notantia coctionem, cruditatem, bonum & malum exitum, crisin, acrisiam, recidivam & reliqua, Synedrevonta dicuntur.

3. Quædam ex his signis cum morbo incipiunt & postea evanescunt; alia vero postea veniunt, quando dicuntur Epiphænomena si ex natura morbi oriuntur, alias vocantur Epigenomena.

4. Quæ signa præsentem statum declarant Diagnostica; futurum Prognostica; præterita in memoriam revocant, Anamnestica vocant.

XI. Aliquid verbis vel scriptis ex morbo vaticinari Prædictio & Prognosis dicitur.

1. Prædicendi fons consistit in vera cognitione effectuum morbi, qui aliquam mutationem subit: hanc autem mutationem proferre, antequam fuit nata, est præsagire, quod non nisi a docto fieri potest.

2. In morbis igitur, qui certam mutationem suis temporibus proferunt, ut acuti inflammatorii, & in paroxysmis febres quartanæ, certa fieri potest prædictio, si per anomalam medelam vel diætam non turbetur naturalis ordo.

3. In morbis vero, qui incertum exitum habent, quibusque sine ordine adhibentur auxilia, illi semper incertam præbent prædictionem.

4. Prædicimus salutem, interitum, transitum in alium morbum, incrementum, decrementum, recidivam, crisin & multa alia propriis locis tradenda.

XII. Omnes morbi aliquem semper habent Exitum seu Eventum. 1. In Sanitatem, si vis vitæ vel medicamenti valeat morbi materiem ita subigere aut expellere, ut nullam læsionem amplius inferre possit. 2. In Alium morbum ex relicta & mutata morbi causa, quando refertur ad metastasin vel metamorphosin. 3. In Mortem quando tanta destructio aut inversio fuit inducta, ut actio vitalis amplius subsistere nequeat.

XIII. Curationis nomine tria intelligunt Medici. 1. Veram scientiam conservandi sanitatem & præveniendi morbos, quæ Præservatoria dicitur. 2. Cognitionem eorum, quæ morbum tollere valent, quæ Curatoria vocatur. 3. Intellectum auxiliorum, quæ morbi incurabilis progressum sistunt, & toleratu faciliorem reddunt, hanc partem vocant Palliativam.

1. Præservatoria curatio exigit 1. Cognitionem specialis naturæ, status, idiosyncrasiæ, temperamenti. 2. Auxiliorum & medicamentorum, quibus morbus futurus evitari poterit.

2. In Curatoria autem curatione, 1. requiritur vera cognitio morbi, ejusque mutationis. 2. Quomodo formatur Indicans, Indicatio & Indicatum, & an multa Coindicant, vel Contraindicant. 3. Qualis Methodus medendi sit adhibenda, Rationalis, Methodica, Empirica vel Conjecturalis. 4. Auxiliorum cognitio, quæ distinguuntur in Diætetica, Pharmaceutica & Chirurgica.

3. Palliativa nunquam nisi in morbis incurabilibus adhibenda, per auxilia cognita in cognito illo morbo, quæ morbi progressum sistunt, & tolerabilem reddunt.

XIV. Ad cognoscendum, præsagiendum, evitandum & curandum morbum, juvat ejus distinguere Tempora.

1. In homine perfecte ſano morbum exſpectamus 1. A cauſis mechanicis. 2. Abuſu rerum non naturalium. 3. Ætate varia. 4. Specifica diatheſi, quæ cauſa proegumena vocatur. 5. Mutatione inducta motu, calore & ſimilibus. 6. Hereditaria labe. Præſervatoria curatio in his ſedulo obſervanda. Morbus autem futurus in homine, alio morbo laborante, ad metamorphoſin pertinet.

2. Statim ac morbus agere incipit, ejus dicitur Principium, quo tempore morbi materia mobilis in ſpeciali parte hærens eſt educenda; bonis autem miſta relinquenda; conducit ſæpe minuere copiam hæmorrhagia vel phlebotomia.

3. Vis vitæ a morbi materia ulterius inſtigata, ſenſim validiora & plura inducit ſymptomata: ſi cum his ſenſim apparere incipiunt critica ſigna, curationis ſpes eſt: his non apparentibus periculum minatur, maxime in acutis. Increſcens morbus alieno tempore ſemper malum portendit.

4. Morbus autem ad ſummum vigorem ſi pervenerit, ejus dicitur Status, qui magis in Acutis, quam Chronicis obſervatur; hoc tempore, nova non accedunt ſymptomata, ſed natura molitur Criſin bonam vel malam, aut morbus tranſit in Corruptelam.

5. Poſt morbi ſtatum ſenſim ſubigitur & expellitur morbi materia. Decreſcit quoque morbi Vigor ſi ſanitas inſtat: ſi vero hoc tempore Symptomata perſiſtant aut increſcant, periculum imminet.

6. Tandem ſubacta & expulſa morbi materia, Finis habetur morbi. Hic ſi perfectus fuerit, brevi tempore redit quoque priſtina ſanitas.

7. Poſt omnem ablatam materiem ſemper tamen relinquitur quædam Debilitas, ſenſim ſuperanda. Sed poſt finem imperfectum multa relinquuntur priore morbo interdum pejora, in ſolidis deſtructis, humoribus exhauſtis & degeneratis, actionibus debilitatis & turbatis, quæ tunc ut ſpeciales morbi curanda ſunt.

8. Quid autem in ſingulis ſit agendum, quoniam hæc tempora in variis morbis, variam exigunt curationem, hoc loco tradi nequit.

XV. In acutis, febre continua & inflammatoria, obſervantur Dies Indicatorii ſeu Critici, 7. 14. 21. 27. 34. & 40. Indices ſeu Indicantes 4. 11. 17. 24. Intercidentes ſeu Intercalares, 3. 5. 9. 13. 15. 19. Vacui ſeu Medicinales, 6. 8. 10. 12. 16. 18. In acutis autem putridis, eryſipelatoſis, malignis, aut mutato regimine, ordo hic non obſervatur. In Regionibus calidioribus magis quam frigidioribus detegitur. In Chronicis ordo incertus eſt. Unde conſtat quod Dies impares præferantur paribus, & patet quo die molienda ſit evacuatio artificialis, & exſpectanda critica evacuatio.

XVI. Multa ſpecialia in morbis obſervantur, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad cognoſcendum, præſagiendum & curandum.

XVII. Ut aliis in rebus naturalibus & mutabilibus, ita etiam in morbis fiunt mutationes; hæ 1. ſi morbo ſunt naturales & conſuetæ dicuntur fieri ex Ratione. 2. Si vero quædam alia naſcuntur ſymptomata, vel quia vis vitæ deficit, vel alia morbi cauſa latet, vel præpoſtera fuit adhibita diæta aut medicina medico inſcio, illa producta dicuntur fieri Præter rationem. 3. Quæ ex Ratione fiunt de his judicium ferri poteſt: ſed quæ ſine ratione fiunt, timenda ſunt niſi veniant ex aliena adhibita curatione. 4. Naturalis ordo nunquam turbandus ſi vis vitæ prævaleat: auxilia ex ratione adhibita non temere mutanda.

XVIII. Qui morbi ultra ſolitum tempus ægrum detinent, Longi dicuntur: qui vero ex ſua natura diu perſiſtunt, ad Chronicos referuntur.

Protrahitur morbus. 1. Virium debilitate, quod conjicimus & ingraveſcente ætate, frigiditate corporis, evacuatione copioſiore prægreſſa, morbi inconſtantia, laſſitudine, valetudine adverſa, urina alba craſſa cruda, coctionis ſignis ſero venientibus. 2. Pertinacia materiæ, quod deducimus ex urina pellucida, colorata, cruda, ſpumoſa, ſedimento mucoſo, farinoſo, ſputo tenaci, evacuatione ichoroſa, putrida. 3. Retentione materiæ, quod judicamus ex acriſia, epiphænomenis, ſudatiunculis, tempore autumnali vel hyemali, tempeſtate pluvioſa minore

nore corporis extenuatione, quam ratio morbi exigit, caloris frigoriſque viciſſitudine. 4. Multitudine materiæ, quod conjicimus, ex magnitudine & vehementia morbi, nutrimenti abundantia, corporis inſolita intumeſcentia. 5. Depoſitione materiæ ad aliquam partem, quod ſcimus ex novo in quadam parte nato dolore, abſceſſu, bubone, tuberculo. 6. Mala materiæ metamorphoſi (120).

Morbus ita præter naturam prolongatus vires exhaurit, ſolida laxat, cachexiam, cruditatem, ſcorbutum, phthiſin nervoſam, & multa alia mala inducit.

In pertinaci hac morbi reſiſtentia, ſemper reſpiciendum, ut curemus ad cauſas protrahentes; ſæpe juvat dato purgante turbare ordinem, & liberare primas vias a ſarcina.

XIX. Morbum minori temporis ſpatio finiturum ad ſalutem conjicimus ex vernali tempore; ætate puerili vel juvenili; pepaſmi maturis ſignis; paucis & mitiſſimis ſymptomatibus; urina cocta, ſudore rorido, ſputo libero, evacuatione calidi humoris: viribus vitæ prævalentibus. Sed ad Interitum judicamus ex cauſis & ſignis oppoſitis.

XX. In morbis facilis tolerantia, quæ dicitur Euphoria, quia notat nullas eſſe cauſas Anxietatis vel Doloris, ſed bonam humorum pro ratione morbi indolem, ſemper bonum præſagium præbet, ſi non veniat ex Anodyna (141).

XXI. Inexplicabilis in morbis moleſtia ab anxietate & dolore diſtincta, qua ægri coguntur perpetuo movere membra, Dyſphoria vocatur.

Cauſæ omnes Anxietatem inducentes (148) Dyſphoriam pariunt, ut & humores corrupti ad organa motus animalis applicati, ſic morbi Acuti & febres in corruptelam abeuntes, malam metamorphoſin facientes: morbi Chronici in colliquationem deſinentes, Dyſphoriam inferunt ſemper mali ominis.

Etiamſi obſtinatam quietem vix adſequendam præcipiant auctores, illa nec minuit nec curat Dyſphoriam, ſed curatio ex anxietate (148) repetenda, & in antiſepticis quærenda.

XXII. Morbi materia, neque viribus vitæ, neque maceratione, neque virtute medicamentorum ad bonam evacuationem ſubeundam, adſimulata, vocatur Cruda.

In morborum acutorum & febrium principio, & incremento, ſemper præſens & nihil mali portendit, aliis temporibus malum præſagium præbet. In Chronicis omni fere tempore habetur, & raro ad maturitatem venit. Materia inflammatoria, purulenta, & febrilis coctionis capax; bilioſa, melancholica, putrida, coctionis incapax eſt.

In corpore hærens auget ſenſim ſymptomata; nullam præbet criticam evacuationem: vires minuit; horrorem inducit; urinam pellucidam tenuem, vel multis contentis ſaturam, vel turbidam præbet; exhibetque ſputa tenacia, ſpumoſa, atque emittit evacuationes ſeroſas ichoroſas. Quibus ejus præſentia etiam detegitur. Dein variam ſubit Metamorphoſin (127), aut colligitur (114) alicubi, vel præbet Metaſtaſin (119).

In primis viis ſeorſim hærens eliminanda, aliis humoribus miſta ad maturitatem deducenda ſi coctionis ſit capax, alias per conveniens organum vel artificialem aperturam ſenſim emittenda.

XXIII. Morbi materia Cruda, motu Vitali vel Automatico, vel virtute Medicamenti ita mutata, ut exhibeat materiem, cujus evacuatione morbus minui vel tolli poteſt, illa actio Pepaſmus vocatur.

Cauſa concoquens eſt Actio vitalis moderata, quæ adjuvatur, moderato calore, loco clauſo, juſto tempore, in humore, qui coctionis eſt capax.

Coctio conſtans, perfecta, & ſatis cita bona. Imperfecta, inconſtans, mala eſt.

Senſim debito tempore morbi in evacuatis humoribus quoddam craſſamentum generatur, & indicia puris conſpiciuntur cum virium levamine, & diminutione ſymptomatum, quando vis vitæ morbi materiem concoquit.

Hæc

Hæc dum fiunt, nullis auxiliis mutatio eſt inducenda, ſed abſoluto Pepaſmo, confecta materia eſt educenda.

XXIV. Mutationes emiſſis humoribus 1. ex Pepaſmo inductæ, 2. Symptomata & phænomena in ægrotante ex Pepaſmi actione nata, 3. Denique evacuatio deinceps facta, vocatur a Medicis Criſis, ea autem ſi non fiat Acriſiam vocant.

Criſin diſtinguunt in Bonam ſeu Euſemos & Malam ſeu Aſemos; Perfectam & Imperfectam; Conſtantem & Inconſtantem; Exiguam & Copioſam; Senſibilem & Inſenſibilem; Simplicem & Compoſitam.

Morbi materia, copia, vel indole vim vitæ exagitans, quaſdam inducit mutatas actiones, quæ dicuntur Perturbationes criticæ, & Critica ſigna, quæ ſunt Præſagientia vel Concomitantia.

Tandem vis vitæ expellere incipit materiem, quando vocatur Evacuatio critica, certo tempore, quod dicitur Criticum, ſi prævaleat; ſed ſuccumbens omni die anomala ſymptomata infert. Hanc evacuationem molitur per hæmorrhagiam, alvi fluxum, ſudorem, vomitum, urinam, menſtruationem, ſputum, ſalivationem, ulcus, abſceſſum, puſtulas, maculas, cruſtas, aphthas, extremorum dolones, parotides, vel aliam metaſtaſin.

Ex varia natura 1. Materiæ, 2. Adhibito regimine & medela. 3. Evacuatione varia, 4. In varia ſpecie Criſios, multæ differentiæ in Criſibus obſervantur.

Bona Criſis permittenda & moderanda, mala emendanda, & cohibenda, ſuppreſſa provocanda, quod in variis ſpeciebus & morbis diverſis auxiliis abſolvitur.

XXV. Morbi tempus in quo graviora vel copioſiora habentur phęnomena Paroxyſmus vocatur.

In morbis 1. qui unica acceſſione definunt, totus ille decurſus Paroxyſmus vocatur; in his, ſi ſymptomata ingraveſcunt Exacerbatio, ſi renovantur Recidiva dicitur. 2. In morbis, qui ex ſua natura variis temporibus increſcunt, leniuntur, aut ceſſant agere, tempora exacerbationis vocantur Paroxyſmi, qui ſunt Periodici, Vagi, Conſtantes, Inconſtantes, Anticipantes, Poſtponentes, Remittentes, Intermittentes, Simplices, Compoſiti, Reduplicati, Frequentes, Rari, Longi, Breves, Magni, Parvi, Lenes, Vehementes, Increſcentes, Decreſcentes. Interdum etiam generalis Paroxyſmus quaſi ex brevioribus compoſitus videtur. Ex his omnibus varia deducuntur diagnoſtica, præſagia, & curationes.

In morborum paroxyſmis quoad diætam & curationem, idem obſervandum, quod in morbi Temporibus præcipitur.

XXVI. Periodus in morbis accipitur ut totus morbi decurſus, ſive unico, ſive multis paroxyſmis abſolvatur. Paroxyſmi autem Periodici habentur, qui certo & firmo tempore redeunt, & opponuntur Vagis.

XXVII. Symptomatum diminutio, vel & perfecta oblatio in morbis, quorum tamen cauſa remanet, eorum dicitur Intermiſſio vel Induciæ, in febribus autem Apyrexia.

Hæc intermiſſio quibuſdam eſt naturalis, qui per paroxyſmos totam periodum abſolvunt, ut febres intermittentes. Aliis autem eſt irregularis, ut in Dolore, Anxietate, Epilepſia, Hyſterica paſſione, Podagra, Scorbuto, Delirio, Melancholia. In morbis autem continuis, inflammatoriis, recidivam præſagire ſolet.

Hoc tempore adhibenda antidota ad exſtinguendam morbi materiem, aut adhibenda auxilia, quæ materiem præparant & expellunt.

XXVIII. Qui homo a morbo perfecte, uti videtur, liberatus, eodem poſtea vel ſimili morbo corripitur, is Recidivam pati cenſetur, quo diſtinguitur a Recrudeſcentia, Paroxyſmo, Metamorphoſi, Metaſtaſi, & perfecta curatione.

Duæ inveniuntur ſpecies. 1. Si morbi materia ita fuerit ſubacta & utcumque expulſa, ut non amplius morbum formare poſſit, ſed increſcente eadem cauſa morbum priori ſimilem producat. 2. Si morbus perfecte curatus fuerit, remanentibus cauſis, quæ priorem morbi cauſam induxerant, ut vita intemperata, hydrops, calculi evacuatio.

Ut

Ut plurimum 1. redit morbus, cujus cauſa remota relinquitur, ut calculus, corruptio, convulſio, cruditas, melancholia, podagra, arthritis, icterus, hæmoptyſis, ſyncope, apoplexia, hydrops. 2. Cujus cauſa non facile viribus vitæ vel antidoto ſubigitur, ut venerea lues, quartana maxime autumnalis, febris epidemica, endemica & putrida. 3. Cujus morbi materia ſubacta ſed non evacuata fuit, ut in acutis, febribus continuis, inflammatoriis.

In morbis ex ſua natura non recidivantibus Recidivam promittimus. 1. Ex Acriſia. 2. Collectione ad aliquam partem. 3. Evacuatione ſuppreſſa. 4. Tempore morbi non critico. 5. Tempore anni autumnali. 6. Remanente poſt morbi ceſſationem, ſomno turbulento, agrypnia, anorexia, anxietate, dyſpepſia, debilitate, longa valetudine, excrementis alienis, frigiditate corporis, colore cachectico, urina alba tenui cruda, pulſu debili, multiſque actionibus turbatis.

XXIX. Varia & valida ſymptomata ſtatim in morbi principio nata, Turbulentiam ſignificant. In morbi progreſſu inſolita venientia phænomena Turbationem denotant. Dieta aut Medicina ſuſceptum morbi ordinem mutans, eum morbum Turbare dicitur.

In morbi principio ſæpe ſignificat alvi fluxum vel hæmorrhagiam futuram, aut morbum validum. In progreſſu morbi interdum promittit criſin, interdum metamorphoſin malam. A Medicamentis inducta mala in regulari bono morbi curſu: interdum neceſſaria in pertinaci acriſia.

XXX. Qui morbus ſenſim leniora & pauciora induxit ſymptomata, ex improviſo alia nova vel graviora ſymptomata infert, ille dicitur Exacerbare vel Recrudeſcere.

Omnis Recrudeſcentia mala & periculoſa, atque cum Recidiva coincidit.

XXXI. Morbus in eadem ſede perſiſtens, ſed ſimul in ambitu latius ſerpens; vel materiem morbi per corpus dimittens, alias quoque partes ſimili labe inficiens; vel denique per conſenſum in parte remota novum quaſi morbum generans, ille dicitur Propagationem facere. Si vero alium hominem inficit, refertur illa propagatio ad contagium (272).

Omnis Propagatio mala, & timenda, atque pro natura morbi & modi propagationis curanda.

XXXII. Inter morborum mutationes periculoſiſſima eſt Repulſio, dum morboſa materia ad cutim vel partes extremas delata, inde repellatur ad interiora & partes magis principes.

Generatur ut plurimum applicatione adſtringentium & frigidorum, quæ exitum & depoſitionem cohibent; vel defectu virium, non valentium amplius noxios depellere humores.

Periculum ſemper imminet ex mala ad interiora metaſtaſi, ubi materia neque evacuari neque coqui poteſt, & ut ſignum magnæ debilitatis.

Materia retropulſa epiſpaſticis, veſicatoriis, calefacientibus, ad priora loca derivanda ſi fieri poſſit.

XXXIII. Maſſa concreta & cohærens in fluorem redacta Reſoluta dicitur. Illa non fit eodem modo in omnibus. Nam Pituitoſa reſolvuntur motu & calore; Inflammatoria fotu & calore artificiali moderato; ita etiam Sanguis effuſus concretus; Scirrhoſa mercurialibus; Strumoſa gummis & reſinoſis; Cruda & craſſa, aucto motu vitali & animali; Concreti multi humores ſuperveniente ſpontanea colliquatione; Congelata, applicatione primo nivis; Combuſta fotu humido & pingui, ſolvuntur.

XXXIV. Tranſit non raro morbus in Duritiem, quando ſtagnantes humores concreſcunt, coagulantur, aut amittunt partem tenuiorem per exſiccationem, vel expreſſionem tenuioris.

Ita partes induratæ amittunt uſum, comprimunt ſæpe & irritant vicina, diu perſiſtere ſolent ſine mutatione: ſi autem concretus humor ſolvitur, evaneſcit induratio ſine viſibili evacuatione; ſi autem liqueſcit, corrodere ſolet ambientia, & interdum reliquum corpus inquinat.

In

In principio pro natura concreti humoris ſolutio eſt facienda : ſi autem perſtiterit diu , quia tunc ſemper tranſit in liquamen corruptum ; non facile tentanda eſt reſolutio, ſed potius immobilis ſervanda pars indurata .

XXXV. Morbi certum & fixum ordinem mutationis & redeundi ſervantes Conſtantes dicuntur .

Qui certum ordinem mutationis ſervant , uti acuti , febres , variolæ, notant vim vitæ prævalere , qui nullam mutationem admittunt , Pertinaces dicuntur , & longitudinem præſagiunt : qui certo & fixo tempore redeunt , pertinaciam, & perſeverationem cauſæ deſignant.

XXXVI. Vario modo ægrotare , jam in melius, jam in pejus , frequentes & ſine ratione pari mutationes, naſcuntur ex morbo prævalente ſupra vires vitæ, quare difficultatem promittit Inconſtantia . Paroxyſmi inconſtantes minus pertinacem morbum præſagiunt quam conſtantes. Inconſtantia autem in critica evacuatione ſemper mala .

XXXVII. Frequens duorum morborum alternus reditus , ut fit in calore & frigore corporis , morbi Viciſſitudo dicta , nunquam bonum præſagium præbet : naſcitur plerumque illa , partim ex ſuperante vi vitæ , partim ex vi morbi : quare incertum exitum præſagit : & diu durans periculum portendit .

MOR-

MORBORUM GENERALIUM SYSTEMA.

LIBER I.

GENERALES

SOLIDORUM MORBI.

TITULUS I.

NEXUS MORBI.

Nexus mutatur in cohæſione atque integra ſolutione, quæ fit ex cauſa mechanica, atque externa & interna varia.

1. FRAGILITAS.

I. Minor potentia cohærendi in partibus mollibus, elaſticis & rigidis, relative ad ætatem & ſexum, quam ut ferre poſſint eum impetum, quem corpus ferre debet ſine ſubſequente ſolutione, morboſa eſt Fragilitas.

II. Hæc inducitur, minuta vi attractrice inter partes, extincta glutinoſitate humoris nectentis, ablatione naturalis ſuſtentaculi, extenſione præternaturali: qualia interdum fiunt ex hæreditate, mala corporis formatione, & juvenilis corporis incremento.

III. Quia facile ſolvuntur partes, inde ſequuntur effectus ſolutæ unitatis, effuſi humoris, & turbatæ functionis inde provenientis, & quidem varii pro parte vel organo læſo.

IV. Curatur per ablationem cauſarum, adductionem, ſuſtentationem, roborantia, frequentem & moderatam exercitationem.

2. TENACITAS.

I. Major cohærendi potentia inter partes elementares ſolidas, quam in ſanis hominibus obſervari ſolet, Tenacitas vocatur.

II. Comparatur modica exſiccatione, frequenti preſſione, adductione, exercitatione, increſcente ætate, denſitate humorum, adſtringentium uſu, concretione canalium, maxime cum ſuo humore concreto.

III. Illa in ſanis conſtantiam promittit, ſed in morbis obeſt ruptioni ſpontaneæ & ſectioni.

IV. Si obſit, laxantibus, humectantibus, tepidis pars aliquandiu fovenda.

3. DESTRUCTIO.

I. Separatio facta inter partes firmas in ſanis cohærentes, ex quacunque cauſa, Deſtructio & Soluta unitas vocari poteſt.

II. Illa varias complectitur ſpecies. 1. In duris partibus eſt fractura, fiſſura, comminutio, caries. 2. In mollibus, per cauſam manifeſtam, vulnus, contuſio, punctura, laceratio, morſus, attritus, uſtio, abſciſſio chirurgica; & per cauſam magis latentem, corroſio, ruptura, ulcus.

III. Solvitur cohærentia majore applicato impetu externo & interno; fragilitate inducta vel hereditaria; atque naturalis ſuſtentaculi privatione.

IV. Varii inde fiunt morbi; 1. in diverſa ſpecie; 2. cauſa; 3. parte affecta. Soluta ſolida accurtantur: turbant vel extinguunt actionem: humores effunduntur, colliguntur, ſtagnant, comprimunt, corrumpuntur: ceſſant vel turbantur functiones ex continuato fluxu pendentes.

V. Curatio varianda etiam pro varia ſpecie, cauſa, & parte affecta; prævenienda nimia accurtatio: cohibendus nimius effluxus: pars ſuſtentanda, ne nimis magnam collectionem admittat: vel collectus humor educendus.

4. VULNUS.

I. Partis firmæ mollis ſeparatio facta ab inſtrumento duro acuto ſecante vocatur Vulnus, quod tandem accedente ſuppuratione Ulceris nomen induit.

II. Partes ſolidæ contractiles ſenſim magis dehiſcunt, humores coercendi effunduntur; ceſſant vel turbantur functiones ab integritate firmarum & continuato humorum adfluxu pendentes.

III. Effectus differunt pro magnitudine vulneris, partis læſæ, ſtatu vario corporis, tempore anni, tempeſtate, regione.

IV. Inde vulnera abſolute lethalia, curabilia per ſe lethalia, per accidens lethalia, & curatu facilia.

V. Vulnera parva tecta facile ſanantur, majora & lata depuranda, adducenda, ſuſtentanda, & dein conſolidanda ſunt.

VI. Adductio & ſuſtentatio fit 1. Ligatura artificioſe applicata; 2. Emplaſtris tenacibus ſi non profunda ſint. 3. Sutura cruenta, nodoſa, clavata, corrugata, & convoluta, pro diverſa parte vulnerata.

5. CONTUSIO.

I. Partes molles a corpore obtuſo valida vi adacto ſeparatæ, Contuſæ dicuntur: hoc in quibuſdam partibus, vel latam ſimul ſeparationem faciens, ad vulnera ſæpe refertur.

II. Partes ita ſolutæ. 1. Deſtruunt actiones ex integritate pendentes, & ſolida ſoluta accurtantur. 2. Permittunt contentorum humorum effluxum & in loco contuſo collectionem. 3. Suo irritamento producunt mala ex nimio motu vitali,

li, vel eo exſtincto. 4. Denique varia mala ex parte contuſa oriuntur.

III. Effuſi humores in parte contuſa. 1. Reſolvuntur, quod optimum. 2. Vel concreſcunt. 3. Vel ſuppurantur. 4. Sæpius corrumpuntur.

IV. Deducitur 1. ex magnitudine cauſæ; 2. tenacitate partis; 3. nato tumore; 4. livore; 5. dolore, ſtupore, gravitate vel immobilitate partis; 6. evacuatione inconſueta ſanguinis per naturales aperturas; 7. inconſueta mollitudine vel ſtrepitu partis ad attactum.

V. Tentanda reſolutio & abſorptio effuſi humoris, tepore, humectantibus, & laxantibus, venæ ſectione, atque leni refrigerante alvi ductione. Major ſi ſit, ſuppuratio eſt promovenda & eſchara ſeparanda: in validiſſima alicujus membri, matura eſt facienda amputatio.

6. PUNCTURA.

I. Si mechanico inſtrumento tenui & acuto partes molles potius ſeparantur quam perſcinduntur, ut parvum vel interdum admodum contractum relinquatur veſtigium, dicitur Punctura.

II. Hæc quia pro parte læſa inducit varia ſymptomata, effectus omnes enumerari nequeunt: ſed vaſcula intus læſa, quia effluenti humori non patet exitus, collectionem & dein ſtagnantis corruptionem pariunt.

III. Curatio differt a vulnere, quia ſæpe conducit dilatare aperturam, & conveniens eſt applicare balſamica, quæ corruptionem effuſi humoris pręveniunt.

7. MORSUS.

I. Morſus eſt veluti compoſita ſoluta unitas, nam dentibus animalium ad partes molles preſſis, generatur partium contuſio, punctura, & laceratio: aliis læſionibus plerumque pejor, dum ſimul ſaliva animalis infecta, vel quivis alius humor communicetur.

II. Si inquinata ſaliva non adſit, curatio non differt a contuſione & punctura: ſed ſi ſaliva inficiat, pars illa eſt abluenda, ſanguis & reliqui humores extrudendi vel ſugendi: ſi magnus adſit timor mali, pars læſa ferro dein candente urenda.

8. LACERATIO.

I. Inter ſolutionem Contuſionis & Lacerationis parva eſt differentia, quia in utriſque admodum inæqualis facta eſt ſaparatio: ſed in Laceratione facta eſt ſeparatio per extenſionem, & in Contuſione per compreſſionem: minus autem periculoſa eſſe ſolet Laceratio, quia raro afficit partes ſubjacentes, & in curatione obſervandum, ne partes laceræ nimis diſtrahantur vel exſiccentur.

9. USTIO.

I. Tam magnus caloris gradus corpori viventi applicatus, ut inde fortiter contrahantur ſolida, rumpantur, & deſtruantur; atque humores concreſcant, & actio vitalis inſtigatur vel extinguatur, vocatur Combuſtio.

II. Vehementia ignis & duratio quatuor gradus Combuſtionis præbet.

III. In gradu primo ſufficit pinguibus mollibus & humidis malaxare: eadem etiam in gradu ſecundo valent, ſed pars nudata ſindone tegenda, quæ molli pinguedine obducta eſt: in tertio gradu, ulcus ſordidum mollibus abſtergentibus depurandum: denique Eſchara ſcarificanda & mollioribus abſtergentibus abluenda & tegenda, quam in aliis Eſcharis.

10. GELU.

I. Frigus externum minus, quam quod aquam in glaciem convertit, exſtinguens in quadam parte ita motum vitalem, ut generetur tuberculum durum, in

majore calore dolens & pruriens, primo rubens, dein livens, vocatur Pernio, qui etiam a majore frigoris gradu generatur.

Sed a glaciali frigore in quadam parte extinctus motus vitalis, circulatio & ſenſus, dicitur Congelatio.

II. Humores concreti, in vaſis motu privatis hærentes, ſi perſeverat frigus, producunt tuberculum durum, indolens, diu perſiſtens: accedente calore pars rubet, tumet, dolet, prurit, abit in ulcus ſordidum vel eſcharam, aut tota pars ſphaceleſcit.

III. Munimentis externis & affrictione calefacientium prævenitur pernio & congelatio.

IV. Pars congelata nive & aqua frigida eſt regelanda, quia accedens calor omnia deſtruit; poſt regelationem pars tegumentis munienda: applicanda actu calida & calefacientia reſolventia, quæ ſorditatem & eſcharam ſeparant; atque poſt regelationem danda interna Calefacientia.

11. CORROSIO.

I. Solutio facta per extinctam cohærendi potentiam, vel majorem factum in partibus motum, quam cohæſio ferre poteſt, Corroſio dicitur.

II. Quæ exſtinguunt cohærendi potentiam in fragilitate tradita, ſolutionem faciunt, ſæpe ſine perceptione.

III. Quæ vi ſuperant cohæſionem, cum dolore & calore deſtruunt partem.

IV. Præter generalia ſolutionis, relinquunt in parte deſtructa aliquid, quod reliquum corpus & adfluentes humores inquinare poteſt.

V. Hinc humidum corrodens eſt auferendum, omnibus modis, aut ſi fieri non poteſt, antidoto ejus virulentia eſt extinguenda.

12. SUSTENTACULI DEFECTUS.

I. Partes molles extenſiles & contractiles, atque humores, ſi non ſatis ab ambientibus vel adjacentibus in eo ſtatu firmantur, ſuſtentaculi defectu laborant.

II. Inde naturalis ambientis aeris minuta gravitas, in altis montibus, cucurbitulis, ſuctione: ſubita evacuatio in hæmorrhagiis, acervata eductione puris, vel lymphæ, in abſceſſu, hydrope, partu: ſoluta integritas, in ruptione, vulnere & fractura: deficiens rigiditas in oſſibus & cartilaginibus: & denique ablatio ſuſtentaculi adſueti vel neceſſarii, ad morborum curationem adhibiti, multos infert morbos.

III. Hinc colliguntur humores in loco minus ſuppreſſo, unde alvus adſtricta, vel fluidi menſium, lochiorumque ſuppreſſio, tumor, aneuryſma, varix, & inde in reliquo corpore ſanguinis defectus: partes molles e naturali ſede truduntur, unde herniæ, procidentiæ, fungus: rumpuntur vaſa, aut oſcula aperiuntur, ut fiant hæmorrhagiæ, hæmoptyſis, menſium lochiorumque profluvium, aliæque evacuationes copioſiores: tandem oſſa molliora minus ſuſtentantia deformitatem relinquunt.

IV. Cauſæ variæ ſunt removendæ, temperandæ, ſiſtendæ, novum ſuſtentaculum adhibendum, quod ita adducit, & ſuſtentat, ut coerceat effluxum, retineat partem in naturali ſede, non tamen ſimul exſtinguat motum vitalem.

13. FISSURA.

I. Rimæ oblongæ in partibus externis ſponte vel a cauſa interna natæ, Fiſſuræ dicuntur: eædem in oſſibus a valida vi productæ ad fracturas referuntur.

II. Naſcuntur 1. frequentiori & nimia ablatione humidi & pinguitudinis, abſter-

ſtergendo & exſiccando, maxime hyemali tempore . 2. Pinguedinis naturalis inverſione, in venerea lue, multiſque morbis cutaneis .

III. Frequentiſſime fiunt in labiis, papillis mammarum lactantium, interdum in ipſa lingua, quando non niſi deglutienda applicanda ſunt: ſæpe vaginæ pudendis mulierum, totique cuti infeſtæ ſunt.

IV. Cauſa externa evitanda, pars tegenda & malaxanda molli pinguedine, ſi internus latitat morbus, is ſimul curandus.

14. RUPTIO.

I. Tenſio vel flexura validior, quam ferre poteſt nexus ſolidorum, producit Ruptionem.

II. Hinc 1. in ſanis extenſio, flexura, in morbis impletio, circulatio aucta, febris acuta, ardens, obſtructio, reditus impeditus, convulſio, exercitium validum, ſternutatio, tuſſis, vomitus. 2. Suſtentaculi privatio, & ſubita evacuatio. 3. Antecedens fragilitas, ruptionis cauſæ ſunt.

III. Generales effectus ex ſoluta unitate intelliguntur, ſed in arteriis, venis, lymphaticis, ligamentis, tendinibus, corde, hepate, liene, œſophago, ventriculo, inteſtinis, perinæo, vagina, utero, veſica, ex diverſa functione læſa, & effuſo tumore, præſagia petuntur.

IV. Prævenienda eſt ruptio, evitando cauſas, adhibendo ſuſtentaculum, curando fragilitatem: nam facta, ut ſoluta unitas tractanda.

5. ULCUS.

Solutio in partibus mollibus vetuſta, plerumque cum alicujus ſubſtantiæ amiſſione, ſive ſponte nata, ſive ab aliis morbis, ut vulnere & contuſione relicta, vocatur Ulcus.

II. In eo diſtinguunt figuram, magnitudinem, profunditatem, progreſſum, malignitatem, varium humorem contentum & effuſum, durationem, ſymptomata adjuncta, variam producentem cauſam, in corpore & morbo, atque in corporis parte varia.

III. Prædictio in ulceribus 1. deſumitur ex dictis generibus; 2. generalibus humoribus eorumque evacuatione, 3. ſuppreſſione eorum, qui evacuari debuiſſent.

IV. In ſimplici benigno ulcere pars amiſſa ſarcoticis eſt ſupplenda, & dein cicatrizantibus epidermide tegenda; ſed in reliquis mutanda curatio ad cauſas & varia genera hanc conſolidationem impedientia.

16. FISTULA.

I. Morboſa, vetuſta, oblonga, canaliculata, alte penetrans ſolutio in parte molli, cujus latera muco, pellicula, membrana vel callo obducta non coalaſcunt, vocatur Fiſtula.

II. Subjectum os carioſum, ſinus, vel corpus alienum fundens diu pus acre corruptum vel ichorem, ut & tranſitus urinæ, excrementorum, vel aliorum morboſorum humorum perpetuus, fiſtulam generat.

III. Scaturigo eſt auferenda, alienum tollendum, ſinus comprimendus, latera fiſtulæ depuranda, dein conſolidanda.

TITULUS II.

EX TONO MUTATO.

Tonus variat & a ſtatu ſano recedit in accuratione, flexura, & reſtitutione.

17. CONTRACTILITAS.

I. Accurtandi potentia omnibus partibus mollibus inſita validior facta, præbet morboſam Contractilitatem.

II. Validior hæc 1. in viventibus, ætate conſtanti, viris, robuſtis: 2. augetur exſiccatione; 3. adſtringentibus, ſpirituoſis; 4. frigore glaciali & calore adurente; 5. adductione ſumma conſtanti.

III. Hæc cum augmento motus vitalis generat omnes actiones validiores; auget corporis calorem, pulſum durum exhibet, humores compingit, lentorem generat, tenue expellit, ficcitatem inducit, vulnerata maxime hiare facit, dolorem intendit, reviviſcentiam facit poſt nimiam evacuationem in ſyncope. Sed ſuperans actionem vitalem & neceſſariam dilatationem, generat nimiam vaſorum anguſtiam, & clauſuram, producit immobilitatem, evacuationem ſiſtit, ſupprimit, obſtruit, & multa alia in partibus ſpecialibus generat.

IV. Curatur illa, evacuatione copioſiore ſine ſtimulo, ſomno longiore, quiete corporis, humectantibus, ſaponaceis, laxantibus, repetita & modica elongatione.

18. LAXITAS.

I. Quæ partes ſolidæ facilius elongantur, minorique nixu conantur in priſtinum redire ſtatum, quam ſanis competit, illa ſtatus mutatio vocatur Laxitas, a quibuſdam Atonia.

II. Generatur in aere calido & humido, habitatione in locis depreſſis, uliginoſis, morbis diuturnioribus, debilitate virium, corporis quiete, chronicis: ſcorbuto, cachexia, doloribus diuturnioribus, nimia continuata extenſione fibrarum, hydrope, effluviis metallicis, mercurii, antimonii, abuſu ſaponaceorum, aquæ, ſpirituoſorum, colliquatione & tenuitate humorum, ætate puerili, & ſenili, ſexu femineo, evacuatione copioſiore boni humoris, æquilibrium deſtruente.

III. Inde in generalibus actionibus generatur debilitas, motus tarditas, circulatio minor, pulſus debilior, laſſitudo, pigritia, cita defatigatio, torpor, ſtupor, pareſis, ſomnolentia, frigiditas, coactionis tarditas, evacuationes copioſiores vel ſubſiſtentes, gravitatis ſenſus, ſtagnatio facilis. In humoribus cruditas, ſcorbutus, acrimonia nitroſa, & acida, hydrops, leucophlegmatia, tumores molles frigidi in partibus pendentibus, ſpontaneæ corruptiones, cachexia, catarrhales morbi, urina alba craſſa cruda, dein pellucida magis tincta, rhachitis: qui omnes morbi numero augentur, ſi quædam pars præ ceteris laxa ſit.

IV. Partes modice adducendæ & ſuſtentandæ, fricandæ, roborandæ vel adſtringendæ, ſiccandæ, movendæ calefacientibus aromaticis, & frequenti exercitatione.

19. FLEXIBILITAS.

I. Flecti facile poſſe ſine ſolutione partes molles ſtatus eſt ſanus, ſed in partibus Rigidis, & Elaſticis facilior flexura morbus eſt.

II. Talis autem ſtatus in infantibus & pueris naturalis, increſcente ætate ſenſim ſponte evaneſcit: continuatur vero & naſcitur aceſcentium & humidorum abuſu, corporis nimia quiete, aere frigido & humido, præmatura ablactatione, vale-

valetudine adverſa, tempore autumnali & hyemali, regione depreſſa, habitatione in loco ſubterraneo.

III. Nata parit Rhachitidem, oſſium, maxime circa articulos, deformitatem, unde ſpinæ, coſtarum, extremorum incurvatio, ut deinceps nani & curvi maneant.

IV. Curari debet cibo facilis digeſtionis, maxime lacte materno; corporis frictione, pannis ſiccis & calidis; decubitu ſupra lectulos ſiccos aromaticos; frequenti corporis agitatione in aere ſicco & aprico; medicamentis antacidis roborantibus, aromaticis; artificioſis machinis ſuſtentantibus, ſi malam conformationem veremur.

20. RIGIDITAS.

I. Partes molles, quæ flecti & elongari debent, aut cartilagines flexiles ſi difficilius vel non admittunt hanc mutationem, dicuntur Rigiditate morboſa laborare.

II. Hæc non confundenda cum paralyſi, convulſione, ancyloſi, aliiſque partium flexuram impedientibus morbis.

III. Acquiritur ſumma adductione cum quiete, exercitiis frequentioribus durioribus, increſcente ætate, frigore glaciali, nimia exſiccatione, ablatione pinguedinis, vel ejus mutata indole, adſtringentibus, coagulantibus.

IV. Inde difficilior circulatio, præmatura ſenectus, anxietas, cachexia, cruditas, ſecretionis defectus, & multa alia, ſi in articulis, œſophago, utero, vel aliis partibus prædominet.

V. Partes blande & ſæpe movendæ; laxantia, humectantia, pinguia, tepide admovenda.

21. ELASTICITAS.

I. Partes ab externa cauſa flexæ ſe ſubito reſtituentes, vel preſſæ ſe expandentes dicuntur Elaſticæ. Omnes cartilagines, larynx, trachea, pulmo, hepatis vaſa, portarum arteria, umbilicalis funiculus, placentæ vaſa, nervorum capſulæ Elaſticæ debent eſſe, ſed partes molles elaſticæ factæ morbum inferunt.

II. Partes molles fiunt elaſticæ iiſdem cauſis, quibus generatur contractilitas & rigiditas.

III. Elaſticitas in vaſis mortuis cum æquali implente cauſa nec auget nec minuit fluxum: cum inæquali impletione, eum fluxum æqualem facit. Hæc cum motu vitali conſpirante transfluxum retardat. Eadem agens cum oppoſito motu vitali admodum juvat fluxums. Qui fluxus minuitur vel ſiſtitur in naturalibus partibus elaſticis ſi convertitur in rigiditatem.

IV. Hæc ſi nata fuit in partibus mollibus, curari debet ut contractilitas vel rigiditas.

22. INERTIA.

I. Deficiens in partibus elaſticis requiſita elaſticitas Inertia dicenda eſt.

II. Generatur in partibus his ut laxitas in reliquis.

III. In his partibus cum oppoſito motu vitali vel particulari commovendis, minuit transfluxum & tandem perfectam ſtagnationem inducit.

IV. Curatur ut Laxitas.

TITULUS III.

QUANTITATIS MORBI.

Quantitas duobus modis a ſanitate recedit, in Abundantia & Defectu.

23. ABUNDANTIA.

I. Numerus partium major ex nativitate, ut in digitis & teſtibus, tuberculis, nævis: aut poſtea accedentium, ut in pilis & dentibus, cognoſcitur facile: ſi ſanitati pars illa obſit præſecari, amputari vel evelli debet.

24. DEFECTUS.

I. Dum, vel ex nativitate, vel morbo, vel amputatione, vel evulſione, partes deficiunt, functio ergo & uſus iſtius partis ceſſat, quæ mala magis vel minus ſunt periculoſa cenſenda ex cognito uſu partium.

25. MUTILATIO.

I. Partis alicujus corporis per morbum, & maxime inſtrumentum chirurgicum ablatio, vocatur Mutilatio, ſi reliquum corpus poteſt manere vivens.

II. Per ablationem hanc ceſſat ſimul functio iſtius partis, ſed in reliquo corpore, ſi membrum fuerit magnum, generatur ſanguinis abundantia, quia non tollitur pars præparans, ſed nutrimentum conſumens. Inde naſcitur plethora & omnis generis hæmorrhagia.

III. Particularis functio extincta arte non poteſt ſuppleri, ſed artificioſis machinis aliquo modo ſubvenitur: verum in toto corpore mala præveniuntur phlebotomia aut frequentiore alvi ductione.

26. EXCORIATIO.

I. Partes externæ, epidermide, internæ epithelio privatæ ex quacumque cauſa, dicuntur Excoriatæ.

II. Secedunt hæ partes valida deterente vi applicata, corroſione externa, adfluxu acrium, ſtagnatione humorum ad aliquam partem, colliquatione, mortificatione, uſtione.

III. Pars illa tegmine privata, dolet, calet, ardet, inflammatur, mobilior ad omnem attactum, exſiccatur, fundit humorem & ſanguinem; tandem tegitur cruſta aut ſordido; format dein pus, ulcus, eſcharam.

IV. Prævenitur inunctione mollis pinguedinis, frequenti ablutione: curatur ablatione cauſarum, tegendo, cum leni adſtrictione & antiſeptico.

27. ATTRITUS.

I. Corpora duriora externa, vel & ipſæ partes corporis firmæ, ad ſe invicem preſſa & mota, faciunt Attritum, qui fortior, detritum & excoriationem inducit.

II. Cauſæ hujus, ſeu potius ſpecies, ſunt frictiones & ſcalpturæ, ambulationes, exercitationes, equitationes, motus muſcularis, & vitalis validior.

III. Levis attritus aliquamdiu continuatus inducit calorem, colorem rubrum, compacturam, intumeſcentiam, circulationem auctam, callum, duritiem: quæ

vix merentur morbi nomen: ſed attritus validior ſolida deſtruit, excoriat, dolorem, ardorem, inflammationem, tumorem, cutis tranſudationem, veſiculas aquoſas, cruſtam, imo eſcharam infert.

IV. Quæcunque pars diu ferre debet attritum, illa præmunienda inunctione olei vel pinguedinis mollioris, ſic minus teretur.

V. Si ſolummodo inductus ſit calor, rubedo, dolor, cum levi intumeſcentia, oleoſa, pinguia, mollia ſunt inungenda: aut ſi paulo vehementior fuit, pars ſimul fovenda fotu vel cataplaſmate tepido molli. 2. Si Veſiculæ excitatæ fuere, illæ pertundendæ, relicta epidermide. 3. In Excoriatione eadem agenda, ſed ſimul pars tegenda ſindone cera obducta, quod in deligatione relinquitur. 4. Eſchara facta ſimilia exigit, ſed & lenibus abſtergentibus ſeparatio promovenda.

28. NUDITAS.

I. Quum omnes partes ſenſu vel motu vitali donatæ munitæ ſint, vel epidermide, vel epithelio, vel muco, his ablatis exponuntur rebus externis, & tranſeuntibus liquoribus, unde irritantur, dolent, & interdum exſiccantur.

II. Præter omnes cauſas excoriationem facientes huc pertinet frequentior abſterſio, mutatio muci in humorem tenuem.

III. Partes tegumento privatæ exſiccantur, contrahuntur, irritantur, dolent, difficiliorem tranſitum præbent, inflammantur, exulcerantur.

IV. Partes tegendæ molli oleoſo pingui & mucilaginoſo medicamento, evitandus omnis attactus, & expoſitio aeri nudo.

TITULUS IV.

SUBSTANTIÆ MUTATÆ MORBI.

Hi morbi inducuntur interdum ex mechanica cauſa, vel ad attactum differunt, vel comparantur ad humores, vel ex mole, aut indole, aut figura, aut capacitate, diſtinguuntur.

29. ADDUCTIO.

I. Quæ res externæ mechanica actione extremitates partis firmæ minus diſtantes faciunt; vel auferunt extendentes cauſas, quibus impediebatur accurtatio naturalis, illæ Adductionem inferre dicuntur.

II. Partes fibroſæ, membranarum, ligamentorum, muſculorum, tendinum, diu adductæ, uſus tempore ſatis elongari nequeunt, & tandem rigeſcunt. Partes cavitatem formantes, ut veſica, ventriculus, inteſtina, arteria, & vena, debitam dilatationem denegant.

III. Poſt ablatas cauſas, partes ſenſim & ſæpe extendendæ, minuendaque laxantibus contractilitas inſita.

30. COMPRESSIO.

I. Latera vaſorum vel cavitatum oppoſita, ab externa cauſa ad ſe invicem nimis ducta, vel ſe mutuo inde tangentia, Compreſſione affici dicuntur.

II. Hoc fit in nobis a rebus externis, in decubitu, pondere impoſito, ligatura, cingulo, veſtimentis arctioribus, machinis comprimentibus, aere graviore: quando cauſa prompte tollenda, ſenſim dimittenda in aſſuetis; vel ſæpe mutanda ut in decubitu.

III. Interne autem ab oſſe duro, in luxatione, fractura, fragmento, calculo,

excreſcentia, nata, exigit citam repoſitionem vel ablationem, ſi fieri poſſit.

IV. Tumor durus vel mollis adjacens, uti ſcirrhus, ſtruma, cancer, aliique glandularum tumores, arte tollendi, qui reſolvi nequeunt: abſceſſus, ſinus, ſanguis, vel alius humor in parte collectus aut in aneuriſmate vel varice, & hydrope arte educendus, ab ingeſtis copioſioribus ſponte evaneſcit, vel vomitu tollitur, ab alvi excrementis, in alvo adſtricta curatur diluente clyſmate & alvi ductione: ſed fœtus & uterus tumens, legitimo partu tollitur; ſola tunc ſuſtentatione prævenienda mala; veſica urina turgens deplenda: vaſa ultra modum turgentia in plethora & majore circulatione, ſanguinis miſſione deplenda: verum ex impedito reditu, ad impedientem cauſam eſt attendendum, in cachecticis, cruditate, lentore, pituita humores craſſiores ſolvendi: involucrum cingens contractum, ut dura mater, nervorum involucra, capſula hepatis, inflammatione, ſpaſmo, contractilitate, ex cognita cauſa aptis auxiliis relaxandum.

V. Ut intelligantur effectus, diſtinguendum: an 1. Compreſſio ſit modica vel valida. 2. In robuſto vel debili corpore. 3. Pro parte generali vel ſpeciali compreſſa.

VI. Applicatum comprimens in robuſto corpore non ſuperans vitalem actionem auget contractilitatem, elaſticitatem, minuit vaſis capacitatem, inducit callum, calorem, cohæſionem, conſolidationem, humorum denſitatem, lentorem; roborat, motum auget, moderatur evacuationem, diſcutit: & ita multos morbos, ex iſtis cauſis natos, ſanat.

VII. Compreſſione autem valida, vel viribus moventibus debilioribus, ut latera oppoſita ſe mutuo tangant, exſtinguitur vitalis actio in tali parte: unde obſtructio, impedita circulatio, frigus, evacuationis ſuppreſſio, durities, dolor, ſtupor, inſenſilitas, gangræna, ſphacelus, paralyſis, deformitas, collectio, aridura, & multa alia ex partium generalium vel particularium functione læſa.

31. EXTENSIO.

I. Fibræ molles contractiles cum renixu longiores factæ ab externa cauſa Extenſionem patiuntur.

II. Quæ fit 1. magna impletione, ingeſtione, collectione, evacuatione impedita, abundantia, echymoſi, expanſione, empneumatoſi, compreſſione, obſtructione, plethora, circulatione majore, ſuſtentaculi privatione in vulnere, flatibus, qualia obſervantur in tumoribus, tympanitide, alvo adſtricta, inflammatione, hydrope, œdemate, abſceſſu, empyemate, iſchuria, reditu impedito: in quibus omnibus implentes vel retinentes cauſæ ſunt tollendæ, aut ſi fieri non poſſit, contentus humor per novam factam aperturam educendus.

III. Removendo 2. extrema in luxatione, fractura, extenſione chirurgica & alia morboſa, nixu valido cum reſiſtentia, elevatione ponderis, flexura fortiore & ſimilibus, partes nimis tenſæ promtam ablationem exigunt priuſquam rumpantur, vel nimis diu clauſa retineantur vaſcula: nata vero extenſio in tendinibus, ligamentis & aliis partibus in convulſione, epilepſia & ſpaſmo, ſpecialem illorum morborum curationem ſequitur. Si ruptio in ligamentis vel tendinibus ſit facta, pars retinenda in quiete, donec conſolidata fuerit.

IV. Hæc etiam fit in ipſis fibris tali modo ex morboſo vel voluntario influxu ſpirituum: ſed ex uſtione & nimia ſiccitate nata humectantibus, pinguibus & mollibus curanda, quali modo etiam illa, quæ adſtringentibus auſteris inducta fuit, poſt eorum ablationem, ablutionemque partium.

V. Fibræ ex quacumque cauſa tenſæ indureſcunt, ſenſim magis renituntur, gracileſcunt; tandem in viventibus amittunt tonum, vel rumpuntur, contactus minuitur; membranarum interſtitia ſenſim majora fiunt & traſmittunt coercendos humores; vaſorum cavitates anguſtantur, minus capacia fiunt & tandem integre clauduntur: in nervis generatur paralyſis, dolor, ſtupor, anxietas: pars ab

im-

impletione tumens ſimul craſſeſcit, tumet, cum calore, ut in corporibus ſpongioſis, & parte inflammata; ab impedito reditu tumet, aggravatur, livet aut pallet.

VI. Poſt ablatas cauſas, partes adducendæ, ſuſtentandæ, remanens laxitas, & ruptio, ut proprii morbi curanda.

32. ELONGATIO.

I. Elongatio in cauſis externis non differt ab Extenſione, niſi quod partes firmæ ſimul amittant accurationis potentiam; in effectu cavitates vaſorum ſimul ampliantur, ut in gravidarum utero, œdemate, hydrope; in curatione partes etiam adducendæ, & adhibenda, quæ contractilitatem & actionem augent.

33. MOLLITUDO.

I. In partibus ſanis quædam invenitur reſiſtentia dum volumus mutare figuram: ſi illa facilius mutatur, quam ad ſanitatem requiritur, morbus ille Mollitudo dicitur.

II. Ita fit minus valida impletione, evacuatione majore, & laxitate, atque contractione minore, ut in cachexia, humiditate, viſciditate, puerili ætate.

III. In cute & carne minus præparat transfluentes humores, ipſaque pars vel totum corpus redditur frigidius. In oſſibus præbet anſam deformitati, & rhachitidi. In Tumoribus plerumque bonum ſignum.

IV. Curatur morboſa per corporis exercitium, frictiones, medicamenta roborantia, ſiccantia, compingentia, adſtringentia.

34. DURITIES.

I. Quaſdam partes, ut oſſa, duras eſſe convenit; caro autem, vaſa, membranæ, glandulæ, viſcera minus dura, difficilius foveam admittentia digitis prementibus, morbum inferunt.

II. Variis modis partes duræ fiunt. 1. Solida mollia in callum, cartilaginem vel os mutata. 2. Frequens frictio, exercitium, compactura, ætas ſenilis, exſiccatio, applicatio adſtringentium, auſterorum. 3. Humores concreti, coagulati, humido tenui privati, frigore, gelu, uſtione, compacti. 4. Pars ab humore valide impleta, infarcta, obſtructa, in aucto motu, vel reditu impedito.

III. Nunquam ex partibus mollibus induratis bonum præſagium petimus, quia neſcimus an emolliri poſſit, & manens ſuffocat vel perturbat actionem iſtius partis, atque concedit ſtagnantibus ſpontaneam corruptionem, partes adjacentes irritat.

IV. Pro natura cauſæ varianda curatio: ſic quies, humectatio, reſolutio concreti, evacuatio, duritiem ſæpe minuunt.

35. HUMIDITAS.

I. Tanta humidi copia partibus ſolidis intermiſta, quæ earum actionem enervat, Humiditas ſeu Uligo morboſa dicitur.

II. Generatur abundantiore ingeſtione, & applicatione frequentiore humidi maxime tepidi; colliquatione & reſolutione humorum; parciore exhalatione, vel evacuatione; minore circulatione; evacuatione nimia maxime ſanguinis; atque a cauſis laxitatem inducentibus.

III. Nata in ſolidis producit laxitatem, fragilitatem, flexibilitatem, inertiam, mollitiem, rachitidem: in humoribus cachexiam, cruditatem, viſciditatem, hydropem, leucophlegmatiam, ſpontaneam corruptionem, putredinem, in actionibus debilitatem, laſſitudinem, circulationem minorem, pulſum mollem debilem,

perſpirationem minorem, valetudinem, & multa alia ex parte ſpeciali affecta.

IV. Evitandæ cauſæ inducentes, atque abſorbentibus, diſcutientibus, compingentibus, roborantibus & exſiccantibus, nimia humiditas auferenda.

36. SICCITAS.

I. Defectus humidi vel pinguedinis inter partes ſolidas vocatur Siccitas: atque ſanguis, bilis, alvi excrementa tenui humore privata etiam dicuntur ſicca.

II. Generatur ablatione humidi, per aerem ſiccum, & abſorbentia applicata; parciore ingeſtione humidi, vel lacteis obſtructis, compactu humorum per motum muſcularem, moventia circulationem auctam morboſam; evacuatione tenuioris continuata, collectione humidi in quadam cavitate: denique mutata natura pinguedinis.

III. In ſolidis producitur contractio, tenſio major, fragilitas, rigiditas, anguſtia vaſorum, compreſſio ſubjacentium: in actionibus abſorptio promtior, debilitas, pulſus exilior, & multa alia pro diverſitate partis vel humoris.

IV. Curatur, habita ratione ad cauſas, humectantibus, laxantibus, frigefacientibus, evacuantibus, & phlebotomia.

37. CRASSITUDO.

I. Solita latitudo & moles major facta, Craſſitudo dicitur.

II. Hæc fit acceſſu humoris ſpatiola vel minima vaſcula implentis, qui humor vel manet fluxilis, vel concreſcit. Aut generatur acceſſione partium ſolidarum, quæ interdum ſimul callum formant. Aut ita fiunt ſolida adductis extremis.

III. Craſſitudo ab implente liquore plerumque producit tumorem mollem; is concretus ſemper tumorem durum generat; acceſſu partium augetur cohærendi potentia, ſed in adductione brevior & tenacior redditur pars ſolida.

IV. Si humor fluxilis maneat, is abſorbendus, vel evacuandus; concretus primo reſolvendus: reliqua ex callo & adductione intelliguntur.

38. TENUITAS.

I. Minor latitudo in partibus ſolidis dicitur Tenuitas.

II. Ita fiunt partes tenſæ omnes præter uterum & partes genitales in naturali extenſione. 2. ablatione humidi ex ipſarum ſubſtantia, compreſſione. 3. deceſſu vel ablatione alicujus portionis.

III. Nata inde minore proportione partium cohærentium omnia ſunt exſpectanda, quæ in fragilitate.

IV. Artificiali ſuſtentatione prævenienda ruptio, dum pars ablutione cum adſtringentibus ſimul obfirmatur.

39. DENSITAS.

I. Solida dicuntur Denſa, ſi fluidum, quod in ſpatiolis hæſit, expellitur, ut partes corpus firmum conſtituentes propius jungantur, quando ſimul minuitur moles, ut in rebus mortuis.

Vel quando moles eadem manet, ſed interſtitia implentur partibus ſolidis, quod fit motu vitali.

Vel quando moles ſimul increſcit acceſſu partium, quæ cum toto concreſcunt, ut in calli generatione ex laboribus.

40. RARITAS.

I. Partes corporis magis a ſe invicem recedentes, ſive ſpatiola iſtius ſolidi impleantur liquore graviori vel leviori, ut aere, moles tamen dicitur rarior, ut in ſpongia intumeſcente.

II. Ita fiunt ſolida, calore majore, humectatione, minuta contractilitate, laxitate, compreſſione minore, ſuſtentaculi ablatione.

III. Sic naſcitur tumor & intumeſcentia mollis.

IV. Tollenda eſt cauſa raritatem inferens, ſenſim minuendo calorem, exſiccando, adſtringendo & ſuſtentando, auferendo & expellendo humorem.

41. CALLUS.

I. Si partes molles ultra modum mole & tenacitate ſint auctæ ab accedente materia concreta incorruptibili, vocatur Callus: hæc in oſſibus magis indureſcit, & ſeparata oſſa jungit.

II. Generatur frequenti & non deſtruente compactura & attritu, in exercitiis, aucta circulatione, corpore duro alicubi hærente, & increſcente ætate.

III. Natus præbet partibus mollibus majorem tenacitatem, rigiditatem, immobilitatem, ſenſus hebetudinem, actionem imperfectam & tandem impeditam; cruditatem in humoribus, circulationem impeditam, anxietatem, palpitationem, dyſpnœam, ſuffocationem.

IV. Longa maceratione cum humido pingui & tepido liqueſcit; aut ſecedit a partibus, quibus adhæret; externe abſcindendo interdum tollitur.

42. OSSIFICATIO.

I. Partes ſua natura molles extenſiles in partes duras non extenſiles & vix aut non flexiles mutatæ dicuntur oſſificatæ.

II. Omnes partes molles ita indureſcere poſſunt, maxime autem cor, aorta, ligamenta, tendines, cartilagines.

III. Talis mutatio inducitur frequenti exercitatione, exſiccatione, adſtringentibus, & indurantibus applicatis, modo ſimul non faciant mortificationem aut deſtructionem.

IV. Ita mutatæ partes producunt rigiditatem in parte mobili, & pro parte varia diverſos ſortiuntur effectus.

V. Pars oſſificata omnem medelam reſpuit, ſed fomentis laxantibus humectantibus tepidis cum modica agitatione aliquomodo mollitur.

43. DEFORMITAS.

I. Recedens figura partium vel organorum a naturali; ut inde fiat functionis impedimentum vel turpitudo ad adſpectum, ad hunc titulum refertur.

II. Conata deformitas plerumque eſt ex hæreditate, interdum ex læſione tempore geſtationis, vel ut quidam contendunt ex animi pathemate matris. Poſtea autem generatur in partu, uſtione, vulnere, fractura, luxatione, compreſſione, ligatione, arthritide, podagra, maxime in oſſium mollitudine & rachitide infantum.

III. Ut plurimum functio partis deformis difficilior fit vel aboletur, quod ex uſu iſtius partis eſt deducendum, maxime in partibus genitalibus & pectore.

IV. Ex nativitate proveniens difficile emendatur, ſed prævenitur, poſtea accedens ſuſtentatione & artificioſis machinis, dum ſimul curatur morbus deformitatem inducens.

44. CICATRIX.

I. Veſtigium plerumque cum quadam ſubſtantiæ privatione in aliqua parte ſolida relictum vocatur Cicatrix.

II. Illa relinquitur poſt omnem ſolutam unitatem, vulnus, ulcus, uſtionem, validam contuſionem, ruptionem, corroſionem, variolas, atque admodum profunda & adhærens poſt cariem.

III. Inde tali in parte fragilitas, ſenſus doloroſus, vel ſtupor, deformitas, impedita actio, præſagium ſæpe tempeſtatum.

IV. Prævenitur adductione, ſuſtentatione modica, frequenti ablutione corrodentis.

V. Firmatur ſenſim ablutione cum ſpirituoſis: ſi ſordida ſit, corrodente vel veſicatorio ſordidum prius auferendum.

45. AMPLITUDO MORBOSA.

I. Dum naturalis capacitas vaſorum in quadam parte, receptaculorum, meatuum, & orificiorum, fiat major, ille morbus ad Amplitudinem refertur.

II. Omnis extenſio frequens, elongatio conſtans, laxitas & atonia in fibris, amplitudinem producit.

III. Nata pro parte varia, diverſa producit; in genere, collectionem in circulatoriis & receptaculis, effuſionem in emunctoriis.

IV. In curatione, tollenda & evitanda eſt cauſa diſtendens. 2. adhibenda ſuſtentacula externa adducentia. 3. applicanda & adhibenda roborantia vel adſtringentia.

46. ANGUSTIA.

I. Dum canales circulatorii, meatus, receptacula & aperturæ naturales, fiunt anguſtiores, multi inde fiunt morbi.

II. Ita fiunt partes externa compreſſione, extenſione, contorſione, adductione, intumeſcentia laterum. 2. aucta contractilitate adſtringentibus applicatis, exſiccatione. 3. ſpaſmodica conſtrictione.

III. Multa inde fiunt, ut difficilis partus, deglutitio, reſpiratio, alvi egeſtio, iſchuria, evacuatio minor; facilis concretio, obſtructio.

IV. In curatione, tollendæ anguſtantes cauſæ; contractilitas minuenda laxantibus humectantibus; ex ſpaſmodica contractione eget anodynis antiſpaſmodicis.

47. OBSTRUCTIO.

I. Interceptus tranſitus transfluentis liquoris per vaſa proprie eſt Obſtructio, quamvis ab auctoribus ſubſiſtens fluxus ex deficiente cauſa propellente ad hunc titulum ſæpe referatur.

II. Vas tranſmittens compreſſum, extenſum, contortum, in lateribus tumens; contractilitate vel ſpaſmo contractum; concretum; intus lubrico muco privatum; aſperum, ſiccum, enatum intus tumorem habens, tranſitum intercludit. Tollenda eſt mobilis cauſa vel laxantibus, antiſpaſmodicis, lubricantibus, facilitandus tranſitus.

III. Humorum pituita, lentor, mucus, tenacitas, craſſitudo, grumus, cruditas inepta ad transfluendum, ut & calculus, vel alienum in canalibus hærens, ſi obſtruant, pro natura craſſitudinis, reſolventia ſunt adhibenda; aut concreta & illapſa eximenda, vel protrudenda, ut iterum via pateat. In errore loci, dum globuli majores intrarunt vaſcula minora, ſatius erit largiore ſanguinis miſſione, & laxantibus, motumque minuentibus applicatis retroagere impulſum, quam ulterius inſtigare.

IV.

IV. Vas quodcumque obſtructum tranſitum humoris intercipit. Si ſit arteria, pars a corde remota depletur, pallet, friget, exareſcit, extenuatur, conſumitur lenta gangræna, motus muſculorum iſtius partis perit, ceſſant ſecretiones, excretiones, & actiones ab adfluxu pendentes. Si Vena obſtructa ſit in parte a corde remota, tumor, livor, gravitas, motus & ſenſus exſtinctio, excretio copioſiſſima, ſphacelus. In aliis partibus varia producuntur ex earum functionibus læſis.

V. Generalem non admittit curationem, ſed debet dirigi ad cauſas obſtruentes.

48. CLAUSURA.

I. Dum vaſa, canales, emunctoria, orificia, vel naturales aut morboſæ aperturæ, continuo vel interdum aperiendæ ita clauſæ manent, ut tranſitus per eas intercipiatur, dicitur Clauſura.

II. Ita fit compreſſione, contractione, convulſione, tumore in latere, obſtructione, concretione, nativitate, defectu humorum, ſoluta unitate & exſiccatione.

III. Quænam inde fiant, exponi nequit, quia differunt pro parte clauſa, quæ propriis locis debent tradi.

IV. In curatione attendendum ad dictas cauſas, quæ ſpecialem curationem exigunt. Ex nativitate utplurimum ſectione curatur, alias laxantia, antiſpaſmodica, vel reſolventia ſunt adhibenda.

49. CONCRETIO.

I. Quæ partes firmæ in ſanis ſeparatæ debent eſſe, ut libere moveri poſſint, ſi uniuntur, illa unio vocatur Concretio, aut Coalitus.

II. Sola vis vitæ eſt cauſa uniens, ſed impeditur agere interpoſita epidermide vel epithelio muco vel ſordido: quæ igitur 1. tollunt iſtud munimentum, ut eſt corroſio, excoriatio, uſtio, ulcus, variolæ; 2. nudas partes in quiete unitas ſervant, concretionem producunt.

III. Hæc ſi fiat in naturalibus aperturis, impeditur ejiciendorum exitus: in vaſis exſtincta circulatio; vaſiſque converſio in ligamentum: in partibus mollibus impedita actio, rigiditas in articulis ancyloſis.

IV. Coalita pars ſponte nunquam ſolvitur, ſed actione artificiali eſt ſeparanda.

TITULUS V.

EX LOCO ALIENO.

Solida mollia Herniam & Procidentiam ex ſede mutata inferunt, ſed in articulis præterea producitur Luxatio.

50. HERNIA.

I. Receſſus partis mollis ex naturali ſede extra ſolitos limites, ut maneat tamen ſolitis integumentis pars obvelata, vocatur Hernia. Perperam alii morbi ſimilem fere tumorem producentes huc referuntur.

II. Locus ubi prolabitur pars, humor aut quædam pars ſolida in ea contenta, varia præbuit nomina.

III Inſita laxitas ex hereditate vel ætate; ablatio ſuſtentaculi naturalis; vis interna valide urgens extruſionem producunt.

IV.

IV. Pro diverſis partibus extruſis, iſque magis minuſve conſtrictis varia fiunt ſymptomata inſuperabilia, niſi repoſitio fiat.

V. Pars e ſede ſua remota artificioſe reponenda, dein diu retinenda, ſuſtentanda, & applicatis adſtringentibus accurtatio fibrarum promovenda.

51. PROCIDENTIA.

I. Pars mollis ex naturali ſede remota, ut ſine integumentis communibus emineat, Procidentia vocatur.

II. Naturalis vel hereditaria laxitas in iſtis partibus, frequens & validum conamen internum, hunc morbum ſæpe producunt.

III. Pars ſede remota, tenſa, nuda dolet, tumet, rubet, inflammatur & tandem exulceratur.

IV. Pars ſemper commodiſſime reponenda, repoſita retinenda, ſuſtentanda, abluenda, & leniter adſtringenda, donec ſine dolore in ſua naturali ſede manere poſſit.

LIBER II.

GENERALES

HUMORUM MORBI.

TITULUS I.

QUANTITATIS MORBI.

Quantitas a ſtatu ſano recedit in Abundantia & Defectu.

52. ÆQUILIBRIUM DESTRUCTUM.

I. PRoportio inter cauſas moventes & movendos humores ſublata, Æquilibrium deſtructum dicitur.

II. Generatur ſolidorum laxitate, rigiditate, ſuſtentaculo ſublato, deſtructione, contractilitate, humorum abundantia, defectu, ineptitudine, & actionis debilitate.

III. Inde circulatio minor, turbata; humorum cruditas, corruptio, ſtagnatio, collectio; ſolidorum laxitas; virium debilitas; corporis frigiditas; cachexia, hydrops, leucophlegmatia.

IV. Curatio dirigenda ad cauſas: artificiali ſuſtentaculo, vel facta evacuatione, ſi humor abundat, reſtituendum.

53. ABUNDANTIA HUMORUM.

I. Humores ſani circulatorii, ſecretorii, excretorii, nutritii, ſuperantes actionem moventem; & morboſi majore copia nati vel retenti, producunt Abundantiam.

II. Generatur illa ſanguinis ſolita evacuatione ſuppreſſa, ut in hæmorrhagiis, hæmorrhoidibus, menſibus ſuppreſſis, phlebotomia omiſſa, ceſſatione menſtruationis in vietis, graviditatis principio, ablactione omnique evacuatione parciore. Tollitur illa in principio revocata evacuatione, artificiali ſanguinis miſſione, atque alvi ductione. Sed ſi diu duraverit, cacochymiæ habenda eſt ratio.

III. In conſueta & maxime lautiore diæta, quies corporis, exercitium omiſſum, ſomnus longior, ætas juvenilis, valens organi chylificationis actio, laxitas ſolidorum, accumulant humores. Tempus vernale, æſtas, & calor aeris expandens humores & minuens actionem moventem parit abundantiam ad actionem ſine aucta copia. Tolluntur mala inde nata parciore diæta, exercitio, phlebotomia, purgante refrigerante, aere ambiente frigidiore.

IV. Accumulatio urinæ, ſudoris, perſpirabilis, excrementorum, ſolis auxiliis has evacuationes augentibus, tolli poteſt; ſed materiæ morboſæ, ſæpe artificiali apertura, evacuatio eſt molienda.

V. Ex omnium humorum abundantia hic tradi nequeunt effectus; ſed ſi tota maſſa abundat, æquilibrium deſtruitur, facile fit hæmorrhagia, hæmoptyſis, gravitas,

vitas, laſſitudo, motus intolerantia, palpitatio, pulſatio, pulſus plenus magnus, venarum tumor, varices, faciei rubedo, anxietas, apoplexia, corruptio ſpontanea, caloris frigoriſque viciſſitudo, caloris externi intolerantia, cephalalgia, & multa alia, quæ inventa ſimul ſigna abundantiæ præbent.

VI. Generalis curatio eſt minuere quantitatem per evacuantia, & parciorem ingeſtionem: ſpecialis autem pro cognita cauſa, & diverſis humoribus abundantioribus dirigenda: ſæpe in his natura pandit viam ſalutarem pro exitu.

54. INTUMESCENTIA.

I. Dum tota moles alicujus partis, magnitudine ab influente humore increſcat, Intumeſcentia dicitur.

II. Ita fit impetu majore ad aliquam Partem, laxitate & debilitate partis, ſuſtentaculi defectu, reditu impedito, obſtructione, irritatione, frictione, contuſione, adtritu, collectione, inflammatione, gelu, morſu, punctura, compreſſione venæ vel lymphatici, parte pendula: tam in ſanguinis defectu, quam abundantia.

III. Pars ſimul fit gravior, humores ſtagnant, concreſcunt, corrumpuntur.

IV. Statim cauſæ tollendæ, ſi fieri poſſit, pars altius locanda, tumens ſuſtentanda, vaſa roboranda.

55. PLETHORA.

I. Tanta ſanguinis boni copia, ut vaſa cruenta nimis turgeant, eorumque actio facile turbetur vel impediatur, vocatur Plethora.

II. Generatur victu lautiore, exercitio omiſſo, otio, ſomno longiore, animi tranquillitate, juvenili ætate, tempore vernali, omiſſa ſanguinis evacuatione conſueta, mutilatione membri, ablactatione, & in vietis menſtruationis ceſſatione.

III. Hæc producit turgeſcentiam vaſorum cruentorum, rubedinem, pulſum pleniorem, varices, aneuriſmata, compreſſionem adjacentium: unde ſæpe angina, anxietas, cephalalgia, apoplexia, ſomnolentia, gravitas, torpor, viſus obſcuratio, urinæ ſuppreſſio, producit etiam æquilibrium deſtructum, laſſitudinem, pigritiam, debilitatem. Sibi interdum parit viam in hæmorrhagia, hæmoptyſi, hæmorrhoidibus, menſtruatione cum levamine. Sed ſuperveniente corruptela, generat dolorem, anxietatem, caloris frigoriſque viciſſitudinem, horrorem, convulſionem, febrem, phlogoſin, pulſationem, tremorem, vertiginem.

IV. Antequam abiit in alienam indolem, minuenda copia phlebotomia, purgante refrigerante, corporis frequentiore exercitatione, parciore diæta, breviori ſomno: ſed poſt degenerationem, ut Cachexia tractanda.

56. ANEURYSMA.

I. Tumor ſanguine plenus ex dilatata quadam arteriæ parte, ſenſim increſcens, cutis colorem vix mutans, interdum pulſans, renitens elaſticus, ſed continuata preſſione evaneſcens, niſi valde magnus, vocatur Aneuryſma.

II. Generatur ablatione ſuſtentaculi, impedito reditu ſanguinis per venam, impetu majore, læſione, corroſione, ruptione nonnullarum fibrarum, aut inducta laxitate.

III. Sanguis in ſacco dilatato ſtagnans, interdum manet fluidus, alias in grumum abit, intercipitur libera circulatio per ramos ex hoc trunco venientes, turbantur vel exſtinguuntur functiones a libero transfluxu pendentes; interdum poſtea rumpitur producens effuſionem, quam Aneuryſma ſpurium vocant.

IV. Pars dilatata artificioſe ſuſtentanda, applicanda adſtringentia diu, truncus

arte-

arteriæ ſupra ſaccum aliquomodo comprimendus, & ſi veretur ruptio in arteria non ſolitaria, truncus ſupra aneuryſma filo ſtringendus.

57. VARIX.

I. Venæ quædam pars ſacculi inſtar a ſanguine intus contento tumens, tumorem, utplurimum lividum, circumſcriptum, compreſſilem præbens, vocatur Varix.

II. Generatur deficiente ſuſtentaculo, in parte inferiore corporis a comprimente ſanguine, laxitate venæ, reditu ſanguinis impedito per venam compreſſam a fœtu, alvi excrementis, tumore quovis, hepatis obſtructione.

III. Senſim magis increſcit tumor, & ob tenſionem dolere incipit; compreſſus ſenſim evaneſcit; ſanguis in eo ſtagnans plerumque lenteſcit; ruptus magnam ſanguinis copiam fundit, & ulcus curatu difficile relinquit.

IV. Suſtentaculo pars tumens adducenda, applicanda adſtringentia, removendæ cauſæ comprimentes venam: ſi major ſit, vel ruptio immineat, rami venæ in varicem exonerantes ſtringendi, ut nihil ſanguinis in varicem venire poſſit.

58. OBESITAS.

I. Proportio pinguedinis in toto corpore major ad reliquos humores & partes ſolidas, dicitur Obeſitas.

II. Quibuſdam naturalis eſt diſpoſitio, ſed augetur, nutrimento copioſiore, in corpore quieſcente, animo tranquillo, omiſſo exercitio conſueto, evacuatione minore, mutilatione alicujus membri, hæmorrhagia conſueta ſuppreſſa, & in fœminis vietis menſium ſubſiſtentia.

III. Obeſi difficulter corpus exercent; ſæpe deſtruitur æquilibrium, ut fiant aſthmatici, & apoplectici; ſolida laxantur; reſpiratio difficilior, pulſus obſcurior: in fœminis ſæpe menſes tardiores & ſterilitas: in pueris difficiliorem dentitionem præſagit: in vietis bonum ſignum.

IV. Minuitur parciore diæta, frequentiore exercitio, ne tamen ſubito inſtituatur, frequenti venæ ſectione & alvi ductione, uſu acidorum.

59. HYDROPS.

I. Lymphæ pellucidæ aut pituitæ lentæ copioſior collectio, in lymphaticis dilatatis, partis ſubſtantia, tunica celluloſa, vel & cavitatibus totius corporis, aut ſpecialis partis, exhibens tumorem pallidum aut pellucidum, frigidum, non dolentem, gravem, vocatur Hydrops.

II. Humor ille utplurimum tenuis interdum cohærens, vel acris, varii coloris, plus minuſve partem implens, varia phænomena præbet.

III. Omnis cauſa comprimens vas lymphaticum reducens, ciſternam, ductum thoracicum, venam, periculoſum hydropem inducit, non niſi ſublata cauſa curabilem: inde glandularum, hepatis, hypochondriorum, lienis, lumborum, panciatis, uteri, ovarii, ſcirrhi & tumores, ſæpe hydropem generant incurabilem, ſed ſi fiat ex utero gravido ſponte cedit poſt partum.

IV. Iiſdem quoque cauſis intercipitur abſorptio, vel quia humor nimis pituitoſus eſt, parſque frigidior ex minore motu vitali; tunc autem frictiones, moventia, & calefacientia tumorem diſcutiunt.

V. In prægreſſa debilitate, laxitate, humiditate, feminis, pueris, frigidis, refrigerantium, aceſcentium abuſu, triſtitia, animique cura perſeverante, poſt morbos acutos, febres intermittentes & continuas, arthritidem, podagram, alioſque dolores diu toleratos natus, inque motu venarum languidiore, evacuantibus, diſcutientibus & roborantibus debet curari.

VI. Qui naſcitur ex Evacuatione parciore vel ſuppreſſa, in aere, tempeſtate & anni tempore humido & frigido, aut ingeſtione copioſiore aquoſorum, curari debet exſiccantibus, diaphoreticis, & parciore ingeſtione.

VII. Præparatio humorum deficiens in morbis pulmonum, pectoris, reſpirationis, nervorum hydropem generans, reſpuit purgantia, ſed diureticis, pectoralibus, roborantibus, curatio abſolvenda. Verum ex cruditate, cachexia, chloroſi, chronicis, ventriculi deficiente coctione, & bilis inertia productus, potius purgantibus, ſtomachicis, & dein roborantibus curandus.

VIII. Qui generatur ex quacumque evacuatione copioſiore ſanguinis in hæmorrhagiis omnibus, poſt phlebotomiam frequentem, partum, vel abortum, & poſt copioſiorem alvi egeſtionem, non multum periculi portendit: minuta enim evacuatione illa, & dein roborantibus, facile ſuperatur.

IX. Ex humorum tenuitate per colliquationem inductus difficilior eſt, quia antiſepticis minus valemus progreſſum ſiſtere: verum abuſu reſolventium vel ſaponaceorum inductus facilius curatur.

X. Si lympha vaſis lymphaticis coercenda, ex iis ruptis effundatur in cavitates adjacentes, quod interdum fit in geſtatione ponderis, motu corporis validiore, contuſione, fragilitate, ſcorbuto, difficilem curatu hydropem generat.

XI. In hydrope nato varia fiunt ſymptomata. 1. Ex cauſa producente. 2. Ex natura loci & functionis partis ſpecialis. 3. Ex lymphæ abundantia in parte collecta. 4. Ejus defectu in reliqua maſſa. 5. Ex lymphæ metamorphoſi in pituitoſum, vel liquamen, aut lympham acrem.

XII. Nam collecta lympha præbet tumorem pallidum, frigidum, indolentem, gravem, qui adjacentes partes premens parit hebetudinem, torporem, ſomnolentiam, reſpirationem difficilem, oppletionem, gravitatem, ſolidorum extenſionem, paralyſin.

XIII. Reliqua maſſa humido privata fit craſſior, inde ſiccitas, macies, ſitis, alvus conſtipata, urina pauca, rubra, impedita perſpiratio, frigiditas, pulſus debilis minor.

XIV. In pituitoſum tranſeuns, producit leucophlegmatiam, œdema, multaſque particulares hydropis ſpecies, quæ habent tumorem perſiſtentem, foveas impreſſas diu retinentem, pallidum & frigidum.

XV. Sed ſtagnando tandem corruptus humor acrimoniam acquirit, & multa mala, dolores, eryſipelata, convulſiones, cachexiam, febrem, apoſtiam, corroſionem, ulcera vix ſanabilia, ſitim intolerabilem, urinam colore & conſiſtentia variam, ſtranguriam, dyſuriam, puſtulas, maculas, anginam, anxietatem, calorem moleſtum, debilitatem inducit.

XVI. Præter ſpecialia in cauſis notata. 1. minuenda eſt humidi ingeſtio victu exſiccante, potus abſtinentia, corporis exercitio in aere ſicco. 2. abundans optime abigitur diſcutientibus, diaphoreticis, calefacientibus; proxime his accedunt diuretica. Dein per purgantia hydragoga ſæpe repetita; vomitoria autem raro conveniunt. Sed in parva parte obſeſſa, elicitur veſicatoriis, ſetaceis, cauteriis, ſcarificationibus, punctura. 3. Poſt humidi ablationem corpus roborandum, ſuſtentanda pars compingendi humores.

60. HYDATIDES.

I. Tumores variæ magnitudinis pellucidi in veſiculari membrana, vel lymphaticis a cauſa morboſa facta, continentes lymphaticum aquoſum humorem, dicuntur Hydatides.

II. Hi tumores ad partes firmas hærentes, hemiſphæricam figuram habent, alias perfecte veſicularem, vel racematim cohærent, vel communi involucro coerciti, vel inſtar catenæ apparent, ſi involucrum pertuſum ſit, collabuntur & videntur evaneſcere.

III.

III. Omnes membranæ tenues pellucidæ diſtentæ his inſervire poſſunt. 1. Epidermis & epithelium partium internarum impletione lymphæ a ſubjectis diſtentum. 2. Vaſa venoſa lymphatica impleta, denegato exitu tranſeuntis lymphæ per eorum truncum. 3. Tunica celluloſa inter omnes partes locata, & organa cingens loco pinguedinis, aqua turgens. 4. An folliculi glanduloſi ſimili modo diſtendi poſſint, non ſatis compertum eſt.

IV. Quia compreſſione trunci vaſis lymphatici, applicatione cantharidum ad cutim, quadam puſtularum ſpecie lympham ſub epidermide continente, uſtione, fortiorique ligatione, attritu promte generantur hydatides, ipſarum materia ſemper præſens eſt in corpore: ut & pinguedo, gelatina, vel & alius humor degeneratus materiem præbere poteſt. Generantur etiam ab interna cauſa, ut in eryſipelate, febre, ſphacelo, hydrope, valida inflammatione, & gangræna, acrimonia humorum, corruptione, variolis, ſcorbuto, ſed ſemper malum portendunt.

V. Hujuſmodi tumores plerumque ſine dolore diu perſiſtunt, & pertuſione facta liquorem tenuem effundunt, quare videtur humor aquoſus non facile corruptibilis. Interdum vero infert pruritum, alias lenteſcit, mutatque colorem, quando deterior eſt.

VI. Quia morbus eſt qui ex phænomeno accipit nomen, variam admittit curationem: nam ex compreſſione facta exigit prementis cauſæ ablationem: applicatione acrium productæ hydatides poſt ablationem facile ſanantur antiſeptico refrigerante, ex colliquatione natæ, uti hydrops, evacuantibus, antiſepticis, & diſcutientibus curandæ.

61. LEUCOPHLEGMATIA.

I. Intumeſcentia æqualis, pallida, frigida, veſtigium digiti impreſſi diu retinens, per totam corporis peripheriam dicitur Leucophlegmatia.

II. Ætas puerilis & ſenilis, ſexus ſequior, aer, tempeſtas, & regio humida & frigida; aquæ abuſus cum corporis quiete; evacuationes omnes præcipue ſanguinis copioſiores; animi mæror, cura; ſolidorum laxitas & motus debilior; morbi longi, inter quos excellit quartana, debilitas virium, hunc morbum producere ſolent, qui arguit in venis præcipue deficere actionem & viſcoſitatem in humoribus prædominari.

III. Præter intumeſcentiam dictam, percipitur laſſitudo, cita defatigatio, reſpiratio anheloſa difficilior; ſomnolentia, pulſus mollis, exiguus, latens, urina cruda pallida, debilitas, frigiditas & pallor corporis.

IV. Interdum aucto motu venarum pulſa & liqueſcens pituita ducitur ad renes vel inteſtina, & ita eliminatur: ſed corrupta ſimul multa ſymptomata infert, quæ in hydrope traduntur.

V. Quia venarum motus minor & viſcoſitas humorum eſt hujus cauſa, magis frictionibus, calefacientibus, ſudoriferis & diſcutientibus eſt abigendus: & ſi natura demonſtrat viam, purgantibus & diureticis humor educendus: ſi obſtat viſcoſitas, reſolventia ſunt præmittenda.

62. OEDEMA.

I. Tumor albus ſeu pallidus, indolens, frigidus, gravis, ſenſim natus, laxus, mollis, veſtigium impreſſum diu ſervans, vocatur Oedema in quacumque parte corporis: interdum vero ad Hydropem, & perperam ad Hernias refertur.

II. Naſcitur 1. intercepto reditu lymphæ per lymphaticas vel cruentas venas, quod oedema eſt conſtans, 2. ſolidorum laxitate. 3. abundantia lymphæ. 4. defectu ſanguinis boni. 5. virium & circulationis debilitate. 6. partis poſitione in decliviore loco, quibus producitur abeuns & redeuns tumor. 7. humorum tenacitate

citate & viſciditate, quando tumor perſiſtit vel lente cedit.

III. Perſiſtens tumor tandem omnem ſolidis demit contractilitatem: humores interdum concreſcunt, ut reduci nequeant; vel corrumpuntur, quando pars ſphaceleſcit, aut generatur ſordidum & frigidum ulcus; vel prius circulantibus miſti, varios morbos chronicos inferunt. Organa particularia obſeſſa inſuper multa anomala ſymptomata producunt.

IV. In perſiſtente oedemate comprimens cauſa tollenda, aut tolli ſi nequeat, ipſa pars ſuſtentanda, ne nimis tumeat. Abeuns & redeuns oedema diſcutientibus, roborantibus, ſtimulantibus, calefacientibus, locatione in altiori ſitu, abigendus. Lente cedens reſolventibus, moventibus, & actuali calore curandus.

63. ABSCESSUS.

I. Tumor pure plenus, qui maturus ad alternum adtactum digitorum puris fluctuationem oſtendit, poſt ejuſdem partis antecedentem inflammationem, & interdum ex metaſtaſi natus, vocatur Abſceſſus.

II. Hic pone aures Parotis; in inguinibus Bubo; in pulmonibus Vomica dicitur. Cum exigua apertura & ampla cavitate Sinus vocatur: ſed in corporis naturali cavitate pus collectum, maxime in pectore, empyema appellatur: pus ſanguini miſtum ad Purulentiam ſeu Suppurationem refertur. Ulterius diſtinguunt in abſceſſum immaturum, maturum, & corruptum; apertum & clauſum; bonum & malum; ex locali inflammatione vel metaſtaſi natum.

III. Semper ſequitur aliquem morbum generalem vel particularem, acutum, inflammatorium, febrem, dolorem, contuſionem, vulnus, tumorem aliquem.

IV. Varia producuntur. 1. ex loco quem occupat. 2. puris majore minoreve copia. 3. tenuitate, ſpiſſitudine, corruptione, acrimonia. 4. evacuatione copioſiore vel ſuppreſſione. 5. traditione ſanguinis. 6. recidiva, metaſtaſi. 7. tempore eruditatis & maturitatis.

V. Abſceſſus immaturus, niſi ſit circa corporis cavitates, clauſus maturandus: maturus aperiendus ſponte, ſectione lata plaga, vel corrodente: apertus ſenſim deplendus, intus depurandus, externe ſuſtentandus.

64. SINUS.

I. Ampliſſima morboſa cavitas plerumque in celluloſa tunica, intus pus continens vel ichorem, cum parva & brevi apertura, & interdum nulla, vocatur Sinus.

II. Formatur ex antecedenti abſceſſu vel ulcere, quod ſatis commode pus evacuare nequit.

III. Non facile ſanatur ſponte, & omnia mala abſceſſus vel ulceris majoris producit.

IV. Intus depuratus ſinus externe ſuſtentandus, & apertura locanda ad locum decliviorem: vel nova ſectione facienda apertura ad inferiorem partem ſinus: vel totus ſinus aperiendus, vitatis vaſis majoribus.

65. DEFECTUS HUMORUM.

I. Quoties proportio inter partes ſolidas atque actiones, ad quantitatem humorum, deſtruitur per parciorem ingeſtionem, vel copioſiorem evacuationem, naſcitur Defectus.

II. Si acervatim vel longo tempore emittitur magna copia humorum, in hæmorrhagiis omnibus & phlebotomia, cum vel ſine vulnere, lactatione, ſalivatione, ſudore, perſpiratione, urinæ profluvio, vomitu, alvi fluxu, cholera, dyſenteria, linteria, vel abuſu dictorum medicamentorum, vel per ulcus aut abſceſ-

ſceſſum : evacuatio boni eſt ſiſtenda, inutilis & morboſi moderanda, ut traditur in dictis morbis.

III. Si tollatur vaſorum ſuſtentaculum, ut in acervata evacuatione & partu, artificiali ſuſtentaculo videtur augeri copia ; ut & in magna varice aut aneuryſmate, ſed in collectione hydropica ſimul reſpiciendum ad cauſas.

IV. In diu tolerata inedia, ſiti, potus defectu, angina, deglutitione impedita, faucium & pharyngis morbis, non ſtatim corpus eſt opplendum, ne obruantur vires.

V. Ex generali defectu fit macies, atrophia, pallor, vaſorum contractio, æquilibrium deſtructum, evacuatio ſuppreſſa, debilitas, laſſitudo, frigiditas, ſyncope, ſphacelus, convulſio, ſuffocatio, ſingultus, coctionis defectus, anorexia, ſomnolentia, apoplexia, anxietas, abortus, cruditas, urina parcior, reſpiratio difficilis, pulſus parvus debilis.

VI. Tandem humores ſimul corrumpuntur, unde multa nova mala : dolor, acrimonia, aciditas, phthiſis, vertigo, delirium, febris lenta, hectica, motus vitalis & pulſus debilis, hyſterica & hypochondriaca affectio, mobilitas, rhachitis, palpitatio, varia animi pathemata, cachexia, calor hecticus.

VII. Interdum vero reſiduus humor inviſcatur ; unde hydrops, leucophlegmatia, pituitæ & glutinoſi collectio, pendentium tumor, vel colliqueſcit, ut fiat ſudor frigidus, alvi fluxus, quibus pereunt.

VIII. Vix valemus generales curationis regulas tradere, quoniam curatio differt pro vario humore evacuato, & pro variis morbis deinceps natis, quare ex ſpecialibus petenda curatio. Reſpiciendum primo ad cauſas ; ſed ſi poſtea naſcitur pituita, ſimul adhibenda moventia & roborantia. In tenuitate autem antiſeptica compingentia.

66 MACIES.

I. Minor pinguedinis proportio ad partes firmas, ſine alia viſibili labe morboſa, per totum corpus, dicitur Macies.

II. Illa naſcitur, defectu chyli in deficiente ingeſtione, inedia, impedita deglutitione ; impedito tranſitu chyli per lactea vaſa ; conſumptione a vermibus ; imperfecta pepſi, in anorexia, pſeudorexia, diſpepſia, faſtidio : quibus cauſis arte ſublatis ſponte iterum nutritur corpus modico ingeſto cibo.

III. Evacuatio copioſior chyli in vomitu, diarrhœa, lienteria, lactatione & forſan diabete ; ſanguinis in hæmorrhagia, menſium & lochiorum profluvio ; & aliorum bonorum humorum in ſalivatione, ſudore, urinæ profluvio, frequentiore venere, gonorrhœa, fluore albo, maciem inducens, exigit moderamen evacuationis.

IV. Ex corrumpente cauſa inducta, ut morbis nervorum, dolore, arthritide, cardiaglia, colliquatione, tenuitate humorum, cachexia, bile aliena, chloroſi, ictero, rachitide, ſcorbuto, venerea lue, febre lenta, poſt morbos acutos, intermittentes & continuas febres relicta, lochiis & menſibus ſuppreſſis, emendari nequit niſi ſublatis iſtis morbis ; ſed tunc ſimul adhibenda roborantia antiſeptica.

V. Corporis improbo labore, vigiliis protractis, lucubratione, animi cura & ſtudio ſeveriore, animi pathematibus, atque calore majore conſumta pinguedo facile reſarcitur his omiſſis.

VI. Majori confectione puris in abſceſſu, ulcere, empyemate, vomica maxime in pulmonibus, admodum conſumitur pinguedo, & eo magis ſi pus ſimul corrumpatur.

VII. Nimia Macies ſine corruptione elegantiam corporis tollit, debilitatem inducit ; in gravidis abortum & difficilem partum præſagit. Si vero ſimul accedat corruptio, multa alia anomala ſuperveniunt.

VIII. Poſt ablatas vel emendatas cauſas antecedentes, pedetentim corpus reficiendum eupeptis, & juvanda coctio ſtomachicis.

67. ATROPHIA.

I. Minuta morboſa nutritio totius corporis Atrophia dicitur; membri autem particularis ſumma extenuatio cum pallore & motus imbecillitate Aridura vocatur.

II. Corpus vivens perpetuo nutrimento egens in atrophiam incidit intercepta via chyli, ut in pancreatis, & lumborum tumoribus comprimentibus ciſternam vel ductum thoracicum, glandularum meſenterii infarctione, ſcirrho, quando ſimul lienteria aut alvi fluxus adeſſe ſolet: atque curari nequit, niſi reſolutione tumoris prementis.

III. Aut homo laborans perpetuo vomitu, diarrhœa, lienteria, diabete, & femina nimia lactatione privatur naturali nutrimento, quod reſarciendum, curatis morbis.

IV. Itidem omnes evacuationes boni humoris copioſiores, ut in ſalivatione, ſudore, hæmorrhagia omni, maxime in gonorrhœa, fluore albo, pollutione: & morboſi in puris, ichoris, aut limphæ effluxu copioſo, per abſceſſum, ulcus, fiſtulam, & ſputum copioſum Atrophiam generant, quæ niſi minuatur boni evacuatio, & ſiſtatur morboſi excretio copioſior, curari nequit.

V. In anorexia, pſeudorexia, apepſia, bilis ſuccique pancreatici defectu, vermibus in inteſtinis & ventriculo nidulantibus, ventriculi atque inteſtinorum ulceribus, quibus intercipitur ingeſtorum concoctio, nata Atrophia ſtomachicis, amaris, antiſepticis curanda, ſublata eorum morborum cauſa.

VI. Si allatum nutrimentum dein corrumpatur in cachecticis, ſcorbuticis, colliquativis catarrhoſis, debilibus, quartanis, febre lenta, vel a materia poſt morbos relicta, fruſtra nutrimento impletur corpus, ſed poſt curatos iſtos morbos, alimentis facilis digeſtionis ſenſim corpus replendum.

VII. In partis alicujus Atrophia detegitur vel nervum vel arteriam fuiſſe aliquomodo compreſſam, ut in luxatione humeri vel coxæ, aneuryſmate, tumore aliquo comprimente, fractura, calculo, contuſione, ſucco nervoſo concreto in ganglio, vel ad ſpinam.

VIII. Tandem conſumtis in toto corpore humoribus, facies fit cadaveroſa, corpus totum quaſi ſceleton pelle tectum, viribus privatum, moritur: atque in parte ſpeciali naſcitur ſphacelus immedicabilis ſine prægreſſa inflammatione vel dolore.

IX. Fruſtra ergo conamur nutrientibus replere corpus, manentibus iiſdem cauſis. Sed ſi cauſæ ſublatæ ſunt, repletio eſt facienda cibo facilis digeſtionis modica copia ſimul, maxime lacte materno, dum ſimul adhibentur ſtomachica, antiſeptica, roborantia.

68. PHTHISIS.

I. Totius corporis ſumma emaciatio cum humorum partiumve ſolidarum corruptione vocatur Phthiſis.

II. Frequentiſſime fit ab affectis pulmonibus, quia inde demitur vel depravatur generale præparatorium organum; contenti humores nudo aeri exponuntur; non permittitur ad coctionem & conſolidationem quies; atque contra naturalem gravitatem ſurſum emittere debet pulmo aliena. Sæpe fit ex prægreſſa hæmoptyſi aut rupto interno vaſe ſanguinem per tuſſim non emittente, vel quando aphthæ tracheam obſident. Quibuſdam hominibus ad hanc ſpeciem producendam eſt hæreditaria quædam diſpoſitio, vel deformitas pectoris. Quidam ſine vix aliqua accedente cauſa in ætate juvenili phtiſici fiunt: & præcipue ſi abutuntur ſpirituoſis, exercitiis, & voce. Statim tunc, vel etiam inſtante phthiſi, nam ſi adolevit, omnem curationem reſpuit, abſtinendum a dictis excitantibus cauſis; quater

in

in anno inſtituenda venæ ſectio ; vivere debet æger admodum temperate, quiete & modice ; evitare nimiam aeris incaleſcentiam ; bibere hydrogalac . Si autem ex tuſſi pertinaci vel ex ejecto ſputo conſtat pulmones formaſſe ulcus , diu utendum balſamicis & conſolidantibus pectoralibus .

III. Dum humor tenuis & acer inferens ſternutationem , gravedinem , & tuſſim , diu in pulmones fluit ; hos ita corrumpit interdum , ut inde periculoſiſſima phthiſis producatur ; aut interdum ſine corruptis pulmonibus phthiſin generet . Hæc ſpecies ut præveniatur & curetur , pectoralia anticatarrhalia diu adhibenda.

IV. Materia purulenta , poſt morbos acutos , febres , inflammationes , formata , in abſceſſu , ulcere , vel pectoris cavo , maxime poſt pleuritidem & peripneumoniam , collecta corrumpitur , miſcetur ſanguini , & ita phthiſin purulentam inducit , quæ antipyoticis , & evacuando pus per ſputum & urinam vel concitatum fonticulum eſt curanda .

V. Copioſior humoris evacuatio , in alvi fluxu , fluore albo , gonorrhœa , coitu frequentiore , hæmorrhagia , lactatione , ſalivatione , diabete , tollens æquilibrium , ſpontaneam corruptionem permittit , qua omne conſumitur corporis pabulum , & inducitur tabes nervoſa , interdum ſine pulmonis vitio : hæc curari debet roborantibus antiſepticis , compeſcita nimia evacuatione .

VI. Si corpus emacietur & humores corrumpantur , quia vis vitæ non valeat bonos ſervare humores , naſcitur inde humorum corruptio ſpontanea , colliquativa , cum ſuffocatione hyſterica , & acrimonia ſcorbutica , quæ ſpecies recenſitis (V) roborantibus curatur longo tempore adhibitis , & ſæpe mutatis , ſervata eadem indicatione .

VII. Quando longo tempore natura conſueta fuit facere evacuationem , ea ſuppreſſa , producit interdum phtiſin : quemadmodum in hæmorrhagiis conſuetis , hæmorrhoidibus , menſibus , ulceribuſque ſuppreſſis . Aut ex retropulſa materia varioloſa , morbilloſa , herpetica , ſcabioſa . Tunc revocandæ hæ evacuationes , vel facienda eſt derivatio ad cutim veſicatoriis , fonticulis , ſetaceis . Conducit in his largiorem ſervare perſpirationem diaphoreticis .

VIII. Phthiſis ſymptomata multa ſunt , quæ tolli vix poſſunt manente hoc morbo , primaria ſunt tuſſis , ſputi ejectio , febris hectica , raucedo ; extenuatio ſumma , evacuationes colliquativæ , reſpiratio difficilis , pulmonum corruptio , quæ omnia in iſtis titulis quærenda ſunt .

69. DETUMESCENTIA.

I. Moles alicujus partis naturali major ita minuta , ut ad naturalem vel minorem redigatur , vocatur Detumeſcentia .

II. Hæc fit 1. facta evacuatione humoris : 2. metaſtaſi ad aliam partem : 3. effuſione in aliquam cavitatem : 4. minuto influxu .

III. Præſagia differunt 1. Quanam in parte fiat , manibus , pedibus , capite , facie , ventre . 2. Quonam in morbo fiat , febre , acutis , inflammatione , variolis , eryſipelate , ulcere , vulnere , tumore , podagra , hydrope , abſceſſu . 3. Ex bona vel mala cauſa ſi fiat .

IV. Ex bona cauſa veniens permittenda & adjuvanda : ſed ex metaſtaſi mala , defectu virium , locus irritandus & vires inſtigandæ , ut materia redeat .

70. EXTENUATIO.

I. Dum moles totius partis naturalis ſenſim fiat minor , ea Extenuata dicitur.

II. In ſanis fit intercepto influxu per arteriam , minuta nutritione , copioſiore evacuatione .

III. Partis deſtruitur æquilibrium , debilitatur actio , & calor extinguitur .

IV. Cauſa comprimens arteriam removenda, compeſcenda nimia evacuatio, atque colliquatio ſi adſit, antiſepticis ſiſtenda.

71. ARIDURA.

I. Partis alicujus corporis viventis major extenuatio, minuſve incrementum cum debilitata iſtius actione, vocatur Aridura.

II. Generatur impedito libero influxu ſanguinis per arteriam in aliquam partem, in aneuryſmate, compreſſione, ligatione, vulnere, contuſione, oſſium fractura, luxatione, deformitate, rachitide, tumore adjacente ſcirrhoſo, ſtrumoſo, oſſis excreſcentia in podagra vel arthritide, & in glandularum morbis.

III. Generatur etiam vitio in nervis, eorum gangliis, vel ſucco, liberum influxum vitalem impediente, ut ſæpe poſt rheumatiſmum, paralyſin, dolorem.

IV. Denique gelatinæ, ichoris, lymphæ, puris effuſione nimia ex partis ulcere aut fiſtula.

V. Pars exareſcens præter extenuationem etiam pallet, debilitatur, friget, paralytica redditur, ſtupet, tandem ſphaceleſcit & moritur.

VI. Cognita cauſa tollenda, alias pars circa principium ariduræ fricanda reſolventibus.

TITULUS II.

COHÆRENTIÆ MORBI.

Cohærentia in humoribus major eſt ſolubilis, vel non ſolubilis, minor eſt generalis vel ſpecialis.

27. TENACITAS HUMORUM.

I. Humorum partes totius maſſæ majori nixu cohærentes, quam in ſanis fieri ſolet, vel quæ cohæſio ſanitati obeſt, vocatur Tenacitas.

II. Talis fit 1. Ingeſtis farinoſis, gelatinoſis, mucilaginoſis, viſcoſis, glutinoſis, dyſpeptis, auſteris. 2. Suppreſſa evacuatione conſueta humoris tenacioris. 3. Defectu vel degenerata indole ſalivæ, bilis, ſucci ſtomachici, inteſtinorum, pancreatici, ſanguinis. 4. Languidiore actione pulmonis, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, organi circulatorii, animalis motus, in æquilibrio deſtructo, animi pathematibus, ſtudio, quiete, exercitio omiſſo, ſenili & puerili ætate, feminis debilitate, valetudine, laxitate. 5. Sponte ex natura humorum in ſtagnatione, congregatione ſimilium partium, exſiccatione, abſorptione tenuium. 6. Conciliata potentia concreſcendi majore, per coagulantia, auſtera, adſtringentia, ſpirituoſa, calorem adurentem, frigus, atque circulationem & motum muſcularem validiorem.

III. Effectus variant. 1. Pro natura cauſæ inducentis. 2. In vario humore ſano generali & particulari; atque in diverſis humoribus morboſis. 3. Generales ſunt obſtructio, durities, impedita circulatio, motus minor, reſpiratio difficilior, pulſus durus, humidi defectus, anxietas, cachexia, evacuatio & ſecretio minor.

IV. Curatio 1. dirigenda ad cauſas, quæ auxilia in Reſolventibus inveniuntur: 2. ad varias ſpecies Tenacitatis, quæ ſequuntur.

V. Ab his non opus diſtinguere concretionem in membranam, filamenta, caſeoſum, aut aliam concretionem in ſcirrho, ſtruma, atheromate, ſteatomate, meliceride, quia colligi poſſunt ex dictis, vel iis, quæ in nominatis morbis proponuntur.

73. CRASSITUDO.

I. In ſanis humoribus, uti ſanguine, gelatina, albuminoſo, pinguedine, muco, mucilagine, quædam ſana requiritur craſſitudo; hæc niſi nimia ſit, ad morbos non pertinet.

II. Si autem hi, ut & alii fluidiores 1. acquirunt majorem cohærendi potentiam inter particulas; vel 2. eorum particulæ fiunt majores; vel 3. numerus particularum majorum proportionate augetur; nati tali modo humores dicuntur Craſſi.

III. Tales fiunt 1. Aucta vi attractrice inter partes, per coagulantia, auſtera, adſtringentia, frigus, & in quibuſdam calore adurente. 2. Compactura in robuſtis, exercitatis, febribus acutis, ardentibus. 3. Defectu tenuioris in potionis defectu, evacuatione copioſiore tenuioris, aut facta depoſitione in cavis vel tunica celluloſa hydropicorum. 4. Collectione ſimilium partium inter ſe, ut fit in ſecreto humore craſſo. 5. Stagnatione, motu languidiore, cruditate. 6. Ingeſtione glutinoſorum, viſcidorum copioſiore.

IV. Differunt effectus ex vario humore incraſſato, ejuſque varia natura, & in diverſis partibus, aut ſi mites maneant humores vel ſimul acres fiant. Generales ſunt alvus conſtipata, ſitis, ſecretiones & excretiones pauciores vel ſuppreſſæ; faucium, narium, linguæ, cutis ſiccitas; urina pauca, iſchuria, ſaliva parcior viſcoſa, vox rauca clangoſa, dyſpnœa; durities, obſtructio, ſcirrhus, ſtruma, œdema, hydrops, tumor, macies, aridura, debilitas, deficiens abſorptio, motus minor, ſopor, vertigo, ſtagnatio, pulſus major, pulſatio, menſium ſuppreſſio, anxietas, melancholia, & multi alii prout vergat in lentorem, vel pituitoſum, vel grumoſum, vel crudum.

V. Generalia auxilia ſunt 1. Diluentia, quæ admiſtu ſuo cognitam craſſitudinem non coagulant, neque nimio uſu ſolida nimis laxant: horum actio promovenda motu animali, moventibus, niſi motus major produxerit craſſitudinem, quando quies ſimul imperanda. 2. Reſolventia ſecundum naturam craſſitudinis eligenda in lentore, pituita, grumo, crudo. Si vero tenuioris copioſior evacuatio craſſitudinem relinquit, illa evacuatio temperanda, ſed reſolventia omittenda.

74. PITUITA.

I. Humor collectus, lentus, pallidus, opacus vel pellucidus, vappidus, majore calore & vitæ actione liqueſcens, ad ignem non concreſcibilis, minori vitali actione natus, vocatur Pituita.

II. Materiem præbent 1. Ingeſta mucoſa, glutinoſa, farinoſa, defectu ſaponacitatis humorum & actionis vitæ non ſoluta. 2. Humores primarum viarum mucoſi. 3. Humores gelatinoſi, mucilaginoſi, albuminoſi, & ipſa pinguedo, deficiente corporis actione degenerata.

III. Producitur ſpontanea degeneratione, quæ permittitur & promovetur defectu humorum ſaponaceorum in primis viis, languidiore chyli organi actione, debiliore circulatione, & pulmonis actione: in laxitate ſolidorum, ſomno longiore, corporis quiete, animi triſtitia, cura, ſtudio, ſenili & puerili ætate, tempore hyemali, habitatione in locis humidis & frigidis, longa adverſa valetudine, hæmorrhagia frequentiore.

IV. Diu in corpore retenta pituita vel 1. liqueſcit ſine acrimonia, quando Lympha vocatur: vel 2. liqueſcit cum acrimonia, quando dicitur Pituita ſalſa, aut humor Catarrhoſus: vel 3. concreſcit in Pituitam Vitream, Gypſeam, materiem ſtrumoſam cum vel ſine acrimonia.

V. Propriam naturam ſervans minuit circulationem, producit 1. tumorem

mollem, frigidum, frigiditatem, pallorem, laſſitudinem, pulſum languidiorem, rariorem, pareſin, paralyſin, debilitatem, excretionem pituitæ, urinam parciorem pallidam, interdum viſcoſam, reſpirationem difficiliorem maxime poſt motum muſcularem, frequentem ſtagnationem, & obſtructionem. 2. Hi effectus variant quoque pro parte magis obſeſſa. 3. Multa alia fiunt, ſuis locis deſcribenda, poſt metamorphoſin.

VI. Evitandæ recenſitæ cauſæ; ingerenda alimenta fermentata aromatis condita; habitandum in locis ſiccis, apricis, arenoſis, altioribus; corpus ſæpe movendum ambulatione, vectione, frictione. Medicamenta conſtent calefacientibus, aromaticis, ſtimulantibus, moventibus, reſinoſis, ſaponaceis, alcalinis fixis & volatilibus. Poſt metamorphoſin, ſecundum variam mutationem curatio mutanda.

75. MUCOR.

I. Humor ſecretus lentus, pallidus, morboſus, corruptus, aqua levior, dicitur Mucoſus.

II. Materiem præbet mucus naturalis narium, membranæ pituitariæ, faucium, tracheæ & pulmonum, viarum chyli & urinæ, uteri & vaginæ.

III. Copioſior, corruptus & morboſus fit ſtagnatione, depoſitione materiæ morbi in hunc naturalem mucum.

IV. Copia & tenacitate loca opplet, & plerumque ſua acrimonia ea irritat: circulantibus miſtus febrem catarrhalem lentam inducit.

V. Abſtergentibus, reſolventibus, attenuandus, & per conveniens emunctorium educendus.

76. LENTOR.

I. Acquiſita morboſa major potentia concreſcendi in ſanguine per auctum motum vitalem, ut ſtagnans ad maſſæ ſuperficiem formet cruſtam denſam, tenacem, vix cultro ſcindendam, inſtar corii, palleſcentis, vel liveſcentis coloris, vocatur Lentor.

II. Sanguis tunc eſt craſſior, gravior, magis cohærens, coloris purpurei vel lividi, inferne fere niger, dum in ſuperficie Cruſtam format.

III. Poſt validum corporis exercitium, in morbi acuti incremento & ſtatu generatur, nunquam præcedit. Quo corporis calor & ſiccitas fuit major, & vehementior circulatio, eo copioſior & tenacior.

IV. Pars ſanguinis albuminoſa valida circulatione videtur in lentorem converti; ingeſta, globuli rubri, ſerum, lympha, gelatina, mucilago, pinguedo videntur inepta ad lentorem producendum.

V. Quia eſt humor morboſus valida circulatione natus, differt ab albuminoſo, gelatinoſo, mucoſo, mucilaginoſo, glutinoſo, pituita, & tenaci cruditate.

VI. Aucta circulatio in toto corpore producit lentorem per totam maſſam, ſed in ſpeciali parte ſtatim non inficit totam maſſam, niſi continuetur ſatis diu.

VII. Morbi acuti, ardentes, febres continuæ, intermittentes, rheumatiſmus, variolæ, inflammationes particulares, pleuritis, phrenitis, peripneumonia, angina, in quibus eſt valida circulatio, maxime in robuſtis, poſt exercitia validiora, in aere ſicco & calido, cum potus penuria, lentorem generant, cum pulſu duro & frequenti.

VIII. Quæ poſt lentorem natum conſpiciuntur, varia ſunt. 1. Ex lentore ipſo. 2. Cauſis lentorem generantibus continuatis. 3. Partibus ſpecialibus affectis. 4. Metamorphoſi ſuperveniente. Vel 5. ex multis ſimul agentibus.

IX. Ex nato lentore cum aucto motu vitali naſcitur arteriarum impletio, pulſus frequens durus; pulſatio; ſecretiones & excretiones minuuntur vel ſiſtuntur; lingua, os, cutis, nares, ſicca; urina pauca, rubra, acris, ſi autem pellucida & tenuis peſſima; durities, ſplendor, dolor, anxietas, debilitas, laſſitudo; reſpiratio cita anheloſa, difficilis; vox clangoſa; lingua aſpera, nigra, flava, ſordida;

da; ſitis intenſa, adipſia autem peſſima; frequens obſtructio in encephalo, pulmonibus, hepate, liene; alvus adſtricta; febris ardens; cephalalgia, delirium, inquietudo; frigus extremorum peſſimum; ſputum tenax; ſudor nullus.

X. Cauſæ 1. Senſim minores ſubactæ vel expulſæ permittunt Reſolutionem; materia inde nata inviſibiliter eliminatur. 2. Eædem paulo validiores, vel diutius durantes, relinquunt materiem viſibili Criſi eliminandam, cujus evacuatio promovenda diluentibus antiphlogiſticis: nam retenta generaret metaſtaſin vel metamorphoſin. 3. Ultra quatuor dies detentus & agitatus, in locis calidis cum accedente pinguedine format purulentiam generalem vel particularem, quæ ſeptimo die matura ſolet eſſe, ſi vires vitæ prævaleant: hæc tunc generatio promovenda, & evacuanda. Si pus non exit per criſin, præbet metaſtaſin vel metamorphoſin ichoroſam. 4. Subito autem ſubſiſtens actio vitæ, præcipue cum frigore accedente, vel adſtringentibus applicatis convertitur in Indurationem vel Scirrhum. 5. Motus autem vitalis major, quam ut commutari poſſit in purulentiam, generat ex lentore materiem Corruptam tenacem vel ichoroſam. 6. Validiſſimus ille motus cum vel ſine vaſculorum deſtructione inducit Sphacelum. 7. Aut poſt validum motum, ſi vires deficere incipiunt, humor tunc natus abit in Corruptionem ſpontaneam.

XI. Quamdiu Lentor non ſubiit metamorphoſin, ejus ulterior generatio eſt impedienda. 1. Phlebotomia larga & repetita ſi requiritur. 2. Alvi ductione per antiphlogiſtica diluentia. 3. Laxantibus & humectantibus. 4. Refrigerantibus. 5. Reſolventibus ſaponaceis aceſcentibus. 6. Criticam evacuationem promoventibus ſudoriferis & diureticis diluentibus & antiphlogiſticis. 7. Si autem impetus vergat ad aliquam partem principem, Derivantia ſimul pedibus applicanda.

77. PHLEGMA.

I. Humor morboſus ſecretorius & excretorius tenax glutinoſus albicans, iners, majori corporis motu vel calore ſenſim natus, vocatur Phlegma.

II. Humores naturales, albuminoſi, gelatinoſi, mucilaginoſi, mucoſi, & forſan ipſa pinguedo, morboſa corporis actione in hanc materiem degenerare videntur.

III. Ut tandem deſtillando, expulſa parte volatili, adſcendit phlegma iners, ita humores boni valida circulatione & corporis calore diu agitati, in hunc tenacem glutinoſum humorem commutantur.

IV. Phlegma non facile ſolubile, ceſſante antecedenti inflammatione & febre, morbi longitudinem ſemper præſagit, præbet aphthas perſiſtentes, ſedimentum mucoſum in urina, ſputum copioſum tenax in pulmonibus, ſorditatem in ulceribus, ore & lingua, atque oculis, mucoſa tenacia alvi excrementa, quæ omnia ſine levamine emittuntur.

V. Saponaceis abſtergentibus quæ non multum calefaciunt vel refrigerant, Phlegma ſolvendum; antiſepticis ſimilibus ejus ulterior progreſſus & corruptela prævenienda, atque leniſſime eliminandum.

78. VISCIDUM.

I. Humor tenax, concretus, ſolidis adhærens, in minori actione vitali, ſpontanea corruptione natus, vocatur Viſcidum.

II. Pinguedo, gelatina, albuminoſum, mucoſum, minori vitali motu agitata, accedente ſpontanea corruptione, concreſcunt tandem in maſſam corruptam non ſolubilem.

III. Viſcidum hoc partem diutiſſime obſidet, omnem ſæpe tranſitum intercipit, longitudinem magis quam periculum præſagit.

IV. Adhibenda ſunt reſolventia, ſaponacea, calefacientia, antiſeptica.

79. GLU-

79. GLUTINOSUM.

I. Humor tenax, concretus, vitali motu non ſolubilis, parti alicui firmæ adhærens, poſt corporis ardorem & nimium motum vitalem natus, Glutinoſum vocatur.

II. Motus vitalis & ardor major, quam qui format pus, perſeverans, cum ſubſequente dein motu debiliore, ex pinguedine, gelatina, & albuminoſo, glutinoſum producit.

III. Glutinoſum hoc in corpore debilitato ex antecedenti nimia circulatione, malum ſemper præſagium aut longitudinem portendit.

IV. Saponacea aceſcentia, cum quibuſdam calefacientibus, adhibenda: Venæ ſectio nocet.

80. CONCRETUS HUMOR.

I. Humorum partes omnes ex quacunque cauſa ita cohærentes, ut ſanitatis & vitæ actione inter ſe moveri nequeant, dicuntur Concretæ.

II. Concreſcunt. 1. Inſita vi, in ſtagnatione, & motu minore, maxime ſi præcedat motus circulatorius major compingens. 2. Ablatione tenuioris, abſorbendo, exſiccando. 3. Calore adurente & frigore glaciali. 4. Aſſumto vel applicato adſtringente, coagulante.

III. Hinc pro vario humore concreto, & in parte varia, varii naſcuntur morbi: naſcitur inde impedita circulatio, ſtagnatio, obſtructio, durities.

IV. Concretus humor ſenſim ſolvendus, pro natura concretionis, cauſæ, & humoris, dein movendus.

81. GRUMUS.

I. Pars quædam humoris, in quadam cavitate vel vaſe concreta, ut præbeat molem mollem, tenacem, vi vitæ non ſeparabilem, figuræ plerumque vaſis vel cavitatis, in quo hæret, Grumus, Thrombus, aut Polypus vocatur.

II. Communis humor Grumum formans eſt ſanguinis pars albuminoſa, gelatinoſa, & rubra, atque in eo formatus lentor: ſpecialis eſt chylus, lac, bilis, mucus, pus.

III. Formatur in omnibus cavitatibus & vaſis naturalibus, viſceribus, celluloſa tunica dilatata, parte contuſa, aut vulnerata, aneuryſmate, & varice.

IV. Ita concreſcunt humores 1. Actuali frigore applicato, vel a morbo, ut in ingruente febre, maxime quartana, inducto. 2. Stagnatione in quovis loco, maxime ſi ſimul accedat frigus, aut ſi major concreſcendi potentia in humore anteceſſerit; unde in hyſtericis & ſyncopticis tam frequens, & poſt mortem in cadaveribus fere ſemper. 3. Calore majore ſupra centeſimum & decimum gradum vi vitæ vel calore applicato producto; unde in ardentibus, & in parte combuſta tam frequens. 4. Coagulantibus miſtis humoribus noſtris. 5. Denique ablatione tenuioris.

V. Effectus differunt, 1. pro materia, 2. parte obſeſſa, quare omnes hic tradi nequeunt.

VI. Hærens in quadam parte Grumus. 1. Accedente nova materia increſcit magnitudine. 2. Interdum ab adhæſione cum partibus firmis ſolutus, protruditur. 3. Vel accedente putredine liqueſcit; atque ita liberatur homo aut liquatum circulantibus miſtum, febrem putridam generat: aut in loco manens ambientes exulcerat.

VII. Pars grumum continens modico calore fovenda; ſtagnatio & nimius motus evitandus; applicanda & exhibenda reſolventia pro diverſo humore concreto.

82. CRUSTA PHLOGISTICA.

I. Humor in ſanguinis ſtagnantis & refrigerati ſuperficie concreſcens in cuticulam denſam, tenacem, pallidam, liveſcentem, vireſcentem, vix cultro interdum ſcindendam, Cruſta Phlogiſtica vocatur.

II. Generatur in ſanguine emiſſo morborum acutorum, ardentium, febris continuæ, rheumatiſmi, inflammationis, maxime in pleuritide, & interdum in dyſenteria, atque in robuſtis poſt valida exercitia.

III. Quia reliquo ſanguine levior, ex albuminoſo, vel gelatinoſo ſolo generari nequit, ſed ex pinguedine vel & muco arteriarum compactis ſimul; neque ex chylo, qui actione vitali ſolvitur.

IV. Cum ſanguine circumducta hæc materia in cruſtam concreſcibilis, difficilius tranſit per arteriarum extrema; facile quadam in parte ſtagnans concreſcit in indurationem; diutius agitata, in tenacem ſorditatem, vel corruptum ichorem convertitur; modica circulatione videtur commutari in materiem criticam.

V. Omnibus auxiliis, quæ in inflammatione & lentore adhibentur, commutanda eſt in materiem criſticam, vel pus, priuſquam produxit.

83. COAGULATUS HUMOR.

I. Humores admiſtione alterius, vel per totam maſſam, vel in quibuſdam partibus, concreſcentes, Coagulati dicuntur.

II. Experimenta docent, auſtera, adſtringentia, ſtyptica & alcohol talem mutationem inducere. Quæ concretio fit ſtagnatione, gelu, vel uſtione alibi deſcribitur.

III. Omnia fiunt, quæ in Grumo traduntur.

IV. Curatio a præcedentibus differt; hic enim invertens naturam coagulantis ſimul adhibendum, quod in aliis concretionibus non requiritur.

84. TENUITAS.

I. Humores, 1. minuta magnitudine naturali, vel 2. minuto numero, vel 3. minore potentia cohærendi particularum mutati, dicuntur Tenues.

II. Tales fiunt noſtri humores ſani concreſcibiles. 1. Largiore ingeſtione potionis aquoſæ maxime tepidæ. 2. Abuſu reſolventium, ſaponaceorum, fructuum horæorum, mercurialium, purgantium, diureticorum. 3. Deſtructo æquilibrio per evacuationem largiorem humorum utilium. 4. Minori compactura in cruditate, motu & circulatione languidiore, debilitate, adverſa valetudine, otio, exercitio omiſſo. 5. Calore majore uſque ad gradum coagulationis. 6. Morbis colliquativis, biliofis, eryſipelatoſis, putridis, malignis. 7. Corruptione ſpontanea tam chronica, quam acuta. 8. Denique adflatu aeris peſtilentialis, morbi endemici, & epidemici.

III. Ita nata Tenuitas ſi ſimul adquirit 1. acrimoniam, quod ſæpe fit, multa generantur phænomena in acrimonia deſcribenda: & 2. ſi in ſpeciali humore prædominet.

IV. In tota maſſa producta, generat. 1. Evacuationem copioſiorem ſanguinis, & excretorium humorum. 2. Vaſa majora contrahuntur, unde macies, phthiſis, maraſmus, venarum diſparentia, pulſus parvus, pallor. 3. Minuitur actio movens, unde laſſitudo, debilitas, frigus, tremor, ſtagnatio, laxitas. 4. Interdum in tunica celluloſa & cavitatibus colliguntur humores, unde variæ ſpecies hydropis, partium extremarum & pendentium tumores molles & frigidi. 5. Sæpe ſolida ſimul inordinate inde moventur, producentia mobilitatem, hyſtericam & hypochondriacam adfectionem, convulſionem, palpitationem, agrypniam, vertiginem. 6. Horum cadavera non rigeſcunt.

V.

V. Evitandæ & emendandæ antecedentes cauſæ. Actio vitalis, quæ ſola debito modo curat tenuitatem, adjuvanda. Si ſimul adſit corporis frigiditas, curatio abſolvenda per roborantia, moventia, aromatica, calefacientia, compingentia, martialia, ſuſtentantia, leniter inchoanda, ſenſim augenda. Si ſimul adſit corporis incaleſcentia, potius adhibenda abſorbentia, adſtringentia, frigefacientia; ne tamen in his modum excedamus, exſtinguendo omnem actionem vitalem. In utriſque ſimul adhibenda antiſeptica ſpontaneam corruptionem prævenientia.

85. RESOLUTUS HUMOR.

I. Humores ex morboſa cauſa craſſiores vel tenaciores, ſponte vel arte ita attenuati, ut minus noceant vel commodius evacuari poſſint, Reſoluti dicuntur.

II. Pro humore ſano vel morboſo reſoluto diverſæ ſpecies humoris reſoluti generantur: qui tamen, quoniam raro ſani, per convenientia organa ſunt eliminandi: interdum aliquamdiu relinquendi, donec tota concreta maſſa reſoluta fuerit.

86. AQUOSUS HUMOR.

I. Humor tenuis pellucidus, omnis acrimoniæ expers, Aquoſus dictus, ſola abundantia, ſtagnatione, & collectione peccat, cujus deſcriptio in hydrope traditur.

87. COLLIQUATIO ET LIQUAMEN.

I. Exſtincta naturalis cohærendi potentia a morboſa cauſa in humoribus, & interdum etiam partibus firmis, qua degenerant in morboſum tenuem humorem, vocatur Colliquatio, & humor ſolutus Liquamen.

II. Liqueſcunt ſponte in motu debiliore; ſtagnatione per inſitum motum: quando ſenſim motus vitalis eſt augendus calefacientibus, roborantibus, antiſepticis, ſervata alvo laxiore.

III. Promovetur Colliquatio calore, humiditate, tempeſtate & tempore calido & humido, acceſſu aeris: nimius tunc calor eſt temperandus, humiditas exſiccanda: ſi aer acceſſerit, poſtea ſæpe renovandus.

IV. Utiles humores motu vitali nimio & turbato liqueſcunt tandem. Inutiles & morboſi ab eodem motu atque etiam continuato debito motu vitali. Quare inutilibus & morboſis ſemper conciliandus exitus per naturalia vel artificialia emunctoria.

V. Tandem in peſte, epidemicis, endemicis, malignis & quibuſdam contagioſis morbis, incognita cauſa ſubito interdum lethalem colliquationem inducit, ſolo antidoto exſtinguenda, vel evitanda eſt cauſa.

VI. Colliquatum hoc interdum præbet 1. Urinæ profluvium, alvi diarrhœam vel dyſenteriam cum excrementis liquidis; hæmorrhagiam, ſudorem colliquativum, ſalivationem, atque ichoris effluxum. 2. Quæ emittuntur ſunt liquida, fœtentia, ſpumoſa, ichoroſa, coloris varii. 3. Generat debilitatem, emaciationem, maraſmum, phthiſin, pulſum debiliorem, frequentiorem, faciem decoloratam, interdum redeuntem ſyncopen. 4. Et quoniam adjunctam ſemper habet acrimoniam, producit febrem hecticam, cardialgiam, colicam, cephalalgiam, anxietatem, inquietudinem, delirium, ſuffocationem, convulſionem, tuſſim, febrem remittentem, hæmitritæam.

VII. Præter dictam ſpecialem curationem, adhibenda antiſeptica, condientia, aer ſiccus ſæpe renovandus.

88. ICHOR.

I. Ichor eſt humor morboſus tenuis, acer, coloris varii, plerumque flaveſcentis, ex naturalibus vel morboſis aperturis effluens.

II. In hoc ſi habeatur 1. major conſiſtentia olei vel mellis, Elæodes vel Melicera dicitur: ſed magis cohærens ad ſordes refertur. 2. Si ſummam acrimoniam habeat, Virus aut Virulentia dicitur. 3. A quibuſdam ſerum, ſuccus articulorum, tendinum, nervorum ſanus effluens ad Ichorem refertur, quod locum habet, ſi humores hi ante effluxum corrupti fuere.

III. Ex humoribus ſanis, ſanguis, ſerum, mucus, ſuccus tendinum, ligamentorum, nervorum, articulorum, pinguedo, medulla, uteri & vaginæ humor, ſemen, bilis; & ex morboſis, pus, pituita, lentor, melancholia per ſpontaneam corruptionem degenerata, Ichori præbent materiem.

IV. Stagnatio omnium dictorum humorum diuturna in loco calido & humido, Ichoris generationi favet, dum accedens putredo ex bonis & morboſis humoribus Ichorem conficit.

V. Quo humor in Ichorem commutandus plus pinguedinis continet, eo deterior Ichor: & quo diutius ſtagnavit vel retentus fuit, eo majorem acrimoniam poſſidet: quod ex fœtore, corroſione, dolore, & colore multum alienato conjicimus.

VI. Ichor ſtagnans ſenſim deteriorem corruptelam induit, corrodit adjacentia. Abſortus totam maſſam inficit & malam metaſtaſim præbet. Evacuatus relinquit impurum locum. Viam ſorditate obtegit: ſarcoma generat: majore evacuatione debilitat.

VII. Ichor natus 1. quantum fieri poteſt, tollendus abluendo & abſorbendo. 2. Ejus generatio cohibenda antiſepticis adſtringentibus. 3. Locus totus generans, ſi fieri poſſit, tollendus. 4. Interdum ad locum minus principem derivatio facienda.

89. LYMPHATICUS HUMOR.

I. Humor morboſus tenuis acer pellucidus, plerumque ſalſus, vocatur Lymphaticus.

II. Humor crudus, pituita, lympha & ſerum ſanguinis, gelatina, albuminoſus, mucoſus, perſpirabilis ſpontanea corruptione, in motu debiliore vitali, colliquati, Lymphaticum humorem producunt.

III. Qui natus generat febrem lymphaticam, catharrum, alvi fluxum, tuſſim, pleuritidem, colicam, cephalalgiam, anginam, & alios particulares dolores.

IV. Senſim & leniſſime debet antiſepticis calefacientibus emendari, & parva copia ſimul evacuari, dum colluvies plerumque colliquationem majorem arguat, & majorem debilitatem inducat.

TITULUS III.

QUALITATIS MORBI SENSIBUS DETEGENDI.

Ad detegendam alienam in humoribus naturam, utimur Tactu, Viſu & Olfactu, guſtus autem & auditus non ita detegit generalem qualitatis mutationem.

90. CALIDUS HUMOR.

I. Qui humores morboſi, cum vel ſine dolore, irritando majorem corpori calorem conciliant, Calidi dicuntur.

II. Illi fiunt ex materia inflammatoria, erysipelatosa, febrili, putrida, biliosa, ichore, acrimonia pingui, corrupta, rancida, purulenta, hectica.

III. Hi humores semper turbant circulationem, minuunt vires, & sua aliena qualitate bonam indolem aliorum humorum invertunt.

IV. Evacuatione copiosiore humorum & refrigerantibus præveniendus est in quibusdam instans motus major. In aliis, antisepticis refrigerantibus temperandum irritamentum. In his simul calidi humoris evacuatio est tentanda.

91. FRIGIDUS HUMOR.

I. Humor morbosus in quadam parte subsistens, vel in eam confluens, generans sensum frigoris, Frigidus humor vocatur.

II. Talis observatur in acrimonia acida, nitrosa, & salsa, in cruditate humorum, pituita & vappa.

III. Longo tempore afficere solet, minuit actionem vitalem & particularem, atque humorum cruditatem infert.

IV. Quia omnis illa materia subigi & expelli sensim potest vitali actione, adhibenda calefacientia, roborantia, antiseptica, in principio parva copia simul, sensim majore, cum corporis exercitatione.

92. MITIS HUMOR.

I. Humor quivis, neque dolorem, neque calorem, neque corrosionem inferens, sed tamen virtutibus non privatus, Mitis dicitur.

II. Semper bonum signum in morbis, modo ita non videatur defectu sensus & motus vitalis. Sola abundantia peccare potest. Sed tamen diuturniore mora utplurimum in acrimoniam convertitur.

III. Lente & sensim educendus, priusquam in acrimoniam degeneraverit.

93. VAPPA.

I. Humor, neque dolorem, neque calorem, neque corrosionem inferens, & omni virtute insita privatus, dicitur Vappa.

II. Ita fit humor, si omni oleo & sale privetur, remanente aquoso & terrestri, quibus aliquid glutinosi sæpe interponitur.

III. Sua copia & compressione producit ea mala, quæ in abundantia traduntur: nunquam in humorem utilem convertitur.

IV. Educenda Vappa per conveniens emunctorium; si adsit tenacitas, resolventia præmittenda.

94. ACRIMONIA.

I. Corpora parva, figura acuta donata, qua læsionem inferre possunt partibus solidis, Acria Mechanica dicuntur: sed est etiam lædens incomprehensibilis qualitas in quibusdam Acrimonia dicta.

II. Multæ species reduci possunt, 1. ad mechanicam, 2. occultam.

III. Occulta autem seu latens est 1. Salina, ut acida, alcalina, muriatica, nitrosa, ammoniacalis. 2. Pinguis, oleosa, biliosa, rancida, saponacea, putrida. 3. Fixa, volatilis, cruda, austera. 4 Aromatica, fermentans, spirituosa. 5. Purulenta, ichorosa, lymphatica, pituitosa, cancrosa. 6. Catarrhosa, rheumatica, arthritica, podagrica, scorbutica, melancholica, hypochondriaca, hysterica, herpetica, scabiosa, febrilis, varioloſa, morbillosa, scarlatina, inflammatoria, erysipelatosa, dysenterica, hæmorrhoidalis. 7. Denique tenuis, crassa, calida, & frigida.

IV.

IV. Iſtud acre vel ingeritur, vel applicatur, vel formatur in nobis ex non acribus.

V. Omnes humores nutrititii, circulatorii, ſecretorii, excretorii, & morboſi, in acrimoniam converti poſſunt, & acrimoniam ſuſcipere: maxime autem horum pars oleoſa, & ſalina.

VI. Nulla ergo eſt pars, quin acrimoniam continere poſſit: inde morbi ex acrimonia ſunt generales, vel in multis partibus, vel in ſpeciali loco.

VII. Generatur 1. Ab acribus ingeſtis, applicatis, vel alio modo communicatis. 2. Ingeſtorum abundantia & defectu. 3. Retentione eorum, quæ ſunt evacuanda per alvum, urinam, ſudorem, perſpirationem, ſputum, ulcus, hæmorrhoides, ſit excrementitium, ſit morboſum. 4. Motu debiliore, minore, majore, turbato, ſtagnatione, corporis quiete & exercitio vehementiore. 5. Superveniente putredine, colliquatione, corruptione, fermentatione. 6. Somno longiore, turbato, & vigiliis protractis. 7. Evacuatione majore deſtruente æquilibrium, in hæmorrhagia, alvi fluxu, lienteria, diabete, ſalivatione, pollutione. 8. Promovetur calore.

VIII. Multa & varia producuntur ſymptomata ex acrimonia. 1. Ex varia acrimoniæ ſpecie. 2. Ex cauſa producente. 3. Denique ex parte adfecta.

IX. Maxima pars dolorum in multis partibus acrimoniæ tribuitur, ut in cardialgia, cephalalgia, colica, nephritide, pleuritide, torminibus, dyſenteria, teneſmo, hæmorrhoidibus, ſtranguria, & anxietate. 2. In catarrho, arthritide, podagra, rheumatiſmo, & tuſſi utplurimum acrimonia ſpecialis eſt cauſa. 3. Eadem turbans actiones multa anomala infert, vertiginem, ſputationem, inquietudinem, agrypniam, aſthma, calorem morboſum, febrem, interdum frigus, flatus, convulſionem, epilepſiam, & multos morbos particulares.

X. Generalis curatio conſiſtit. 1. in Auferendo. 2. Derivando. 3. Diluendo. 4. Abſorbendo. 5. Corrigendo. 6. Evacuando. 7. Obvolvendo. 8. Obtundendo. 9. Condiendo. 10. Augendo vel minuendo motum pro natura acrimoniæ.

XI. Si tolli nequeat, adhibenda ſtupefacientia, anodyna, ne per conſenſum alia mala fiant.

95. SALSA ACRIMONIA.

I. Similis fere ſapor in ore ac percipitur a ſale marino vel ammoniaco aſſumto, ſimiliaque fere phænomena in reliquo corpore ac ex horum abuſu oboriuntur, ab interna cauſa ſi naſcuntur, ille morbus ex Salſa acrimonia oriri dicitur.

II. Raro nimio uſu ſalis marini, niſi in longis navigationibus, producitur ſalſa acrimonia; ſed quando corruptione ſpontanea in nobis generatur alcali volatile quod cum ſale acido in ſpeciem ſalis ammoniaci convertitur. Salſedo illa calida eſt, dum adjuncta ſit pinguedo rancida morborum putridorum. Sed Salſedo frigida cum adjuncta pinguedine cruda, in multis morbis chronicis, lymphaticis & pituitoſis.

III. Nata producit ſalivam & ſputa ſalſa, interdum ſitim vix extinguibilem, tuſſim, raucedinem, dolorem, dyſuriam, caloris frigoriſve ſenſum, ſanguinis tenuitatem, catarrhos, maciem, phthiſim, lympham vel ichorem acrem, pruritum, exanthemata, maculas rubras.

IV. Poſt morbos acutos, ſaponacea aceſcentia antiſeptica ſunt adhibenda; poſt morbos autem chronicos calefacientia antiſeptica danda. Ex marino ſale nata ſponte evaneſcit omiſſo hujus uſu, & ingeſtis diluentibus inſulſis.

96. ACIDA ACRIMONIA.

I. Humor acris in viventibus, qui guſtui præberet acidum ſaporem, effervefceret cum alcalicis, & mutaret tincturam florum violarum in colorem rubrum, vel horum quædam faceret, vocaretur Acrimonia Acida.

II. Materiem præbent acida vel aceſcentia ingeſta, farinoſa, leguminoſa; vel pinguia, oleoſa, quibus pertinacior generatur acor: his ex noſtro corpore addi poteſt bilis, melancholia, & forſan ipſa pinguedo.

III. Ex hujuſmodi adſumtis & in corpore natis formatur Aciditas per debilitatam actionem ventriculi & inteſtinorum, in pueris, feminis, aquæ & laxantium abuſu, vita ſedentaria, dyſpepſia, & anorexia laborantibus.

IV. Ex deficiente copia & ſaponacitate ſalivæ, ſucci pancreatici, ſtomachici, bilis, dein ſanguinis, promovetur.

V. Denique in nimio otio, ſomno longiore, & debilitata corporis actione, acidum natum non ſubigitur, aut quando æquilibrium eſt deſtructum, in ſuppreſſis menſibus, chloroſi & gravidis.

VI. Aciditas in primis viis nata, ubi primariam ſedem habet, producit cardialgiam, ructum, inflationem, anxietatem, eructationem acidam, pſeudorexiam, lactis concreti & alimentorum crudorum revomitum, ventriculi cruditatem, bilem æruginoſam, colicam flatulentam, ventris tormina, alvi excrementa flatulenta, ſpumoſa, æruginoſa, copioſa, acidum ſpirantia, dyſenteriam.

VII. Vaſis lacteis recepta infert pallorem, urinam albam, turbidam, ſtrangurioſam, ſudorem acidum ſpirantem, pruritum, puſtulas, herpetem, rhachitidem, diſpnœam, febrem lentam, laxitatem, glandularum obſtructiones, menſtruum ſanguinem vitiatum pallidum, fluorem album, pulſum debiliorem, corporis frigiditatem, tuſſim clangoſam, adverſam valetudinem, chloroſin.

VIII. Tandem ad partes nervoſas delata, multa mala inducit, ut debilitatem, dolorem verſatilem, convulſionem, palpitationem, paſſionem hyſtericam, ſyncopen, vertiginem, laſſitudinem, inquietudinem, epilepſiam, agrypniam, articulorum dolores, catarrhos, cephalalgiam.

IX. In primis viis hærens leni vomitorio vel purgante ſaburra ejicienda; ſi ſponte non fiat, ingerenda alimenta facilis digeſtionis; evitanda pinguia, & dyſpepta; danda ſtomachica, roborantia, antacida, quæ laxam ſervant alvum, addenda ſaponacea alcaleſcentia.

X. Poſt ſuppeditatum bonum chylum, corpus multum exercendum, addenda reſinoſa, gummi, nervina, antacida, donec ſymptomata evaneſcant.

97. NITROSA ACRIMONIA.

I. Perceptio frigoris cum dolore a cauſa interna, ac ſi nitrum fuiſſet ingeſtum vel applicatum, Nitroſam acrimoniam adeſſe ſignificat.

II. Materiam præbent olera, farinoſa & fructus, quibus ſal nativus eſt nitrum: hæc in debili chyloſi, anorexia, dyſpepſia; poſt magnam evacuationem bonorum humorum, in hæmorrhagiis, menſium & lochiorum profluvio, & fluore albo; atque in debili corporis actione, ſexu femineo, ætate puerili, morbo longo, animi cura & pathematibus exhauſto; cum quiete & omiſſo ſolito exercitio; maxime ſi aeris humiditas ſimul prohibet perſpirationem, & ſolida enervat; generant hanc acrimoniam.

III. Hoc nitroſum lymphæ, ſucco nervoſo, & gelatinæ traditum, producit variis in partibus dolorem cum ſenſu frigoris, ipſaque adfecta pars quoque ad thermometrum frigidior eſt, maxime in capite, pectore, pleura, ſpina, lumbis, meſenterio, ventriculo, inteſtinis: tandem præter hæc inducit convulſiones, anxietates, ſuffocationes hyſtericas & hypochondriacas, pulſum parvum & frequentem, ſyncopen, catarrhos & humorum morboſam tenuitatem.

IV. Ad curationem hujus ingerenda alcaleſcentia, roborantia, calefacientia, reſinoſa, ſales alcalini: corpus multum moderate primo movendum: ſubacta acrimonia per Diaphoreſin & Diureſin educenda: ſervando ſimul alvum apertam.

98. ALCALINA ACRIMONIA.

I. Sal noſtrorum humorum, vel & ingeſtorum mutatus in alcali volatile ſpecialem morbum infert: quoniam actione vitæ & ſtagnatione atque corruptione ſpontanea ſemper generatur alcali volatile, nunquam fixum, & fixum adſumtum iiſdem cauſis exſtinguitur brevi, morbus hic ſemper fit ex Alcali volatili.

II. Sal neuter nitroſus & ammoniacalis, tam ex adſumtis præcipue alcaleſcentibus, quam ex noſtris humoribus in alcali hoc volatile commutatur, quod plerumque pinguedini corruptæ eſt miſtum.

III. Ita fiunt humores. 1. Calore nimio & humiditate, cum aeris admiſtione ſine renovatione. 2. Nimio motu vitali in ardentibus, acutis febribus. 3. Deficiente adſumtorum & potionis renovatione. 4. Corruptione ſpontanea in minori circulatione & perfecta ſtagnatione. 5. Retentione eorum quæ evacuanda erant, in alvo adſtricta, urina ſuppreſſa, prohibita perſpiratione, pure vel ichore retento. 6. Admiſtione incogniti in morbis epidemicis, endemicis, & peſte.

IV. Ex alcali eo nato varii fiunt morbi: ſanguis diſſolvitur, fiunt inde hæmorrhagiæ variæ, alvi excrementa liquida fœtentia, bilis acris & tenuis, ſudor & urina fœtida copioſa, craſſa, emaciatio corporis, febris, debilitas, calor mordax, & frigoris viciſſitudo, anxietas, corroſiones, maculæ lividæ, petechiæ, puſtulæ ichoroſæ: lingua, os, palatum ſorditate teguntur, cum ſapore alieno urinoſo, & ſiti: in ventriculo nauſea, faſtidium, vomitus, anorexia, cardialgia, ructus: in inteſtinis colica, alvi fluxus copioſus fœtidus, flatus, multaque alia, prout partem hanc vel illam magis aggreditur.

V. In curando hoc morbo evitandæ omnes cauſæ; non ingerenda, quæ facile in alcali abeunt; ſæpe renovandus aer; corpus ſervandum in tepore; ingerenda acida, farinoſa, olera, cum potu antiphlogiſtico copioſo.

99. RANCOR.

I. Inter corruptiones ſpontaneas una eſt ſpecies, quæ Rancor dicitur, nata ex materia pinguedinoſa vel oleoſa, exhibens deteſtabilem ſaporem guſtui cum ſenſu caloris.

II. Huc uſque nulla eſt inventa ars, qua emendari poſſit, aut acrimonia privari, neque vires vitæ ſubigere valent, ſed quo diutius retinetur, eo magis a blanda indole recedit.

III. Naſcitur ſponte ſublata vitali cauſa, ut in deficiente ſaponacitate, & quantitate ſalivæ, ſucci ventriculi & inteſtinorum, bilis, & debiliore organi chyli actione: promovetur ingeſtis pinguibus, oleoſis maxime vetuſtis, & copioſis, mora diuturniore in primis viis, atque calore.

IV. Ita traditus circulantibus reliquam pinguedinem inficit, imo naturalis pinguedo motu aucto, minuto, turbato, & defectu liquoris vitalis etiam fit rancida.

V. In corpore natus præbet acrimoniam calidam vix emendabilem: in ventriculo cardialgiam, anorexiam, ructum nidoroſum, ſodam, anxietatem, nauſeam, vomitum; faucium ardorem: in inteſtinis colicam, tormina, flatus, borborygmos, interdum alvi fluorem & choleram: in reliquo corpore febrem bilioſam, colliquationem, inquietudinem: urinam flavo calore tinctam, acrem. Ex quibus cum prægreſſa diæta comparatis facile cognoſcitur.

VI. Curatio abſolvitur. 1. Evitando omnia pinguia & abundantiam: 2. Rancidum ejiciendo per lene vomitorium & purgans. 3. Emendatione per ſaponacea neutra vel acida. 4. Roborando ventriculum & inteſtina ſtomachicis roborantibus, ſaponaceis miſtis.

100. PUTREDO.

I. Illa Corruptionis ſpecies motu automatico inducta in humoribus, qua ſal nativus convertitur in alcali volatile, & pinguedo in maſſam fœtentem ad nigredinem accedentem, acrem, partim tenacem, partim tenuem, dicitur Putredo.

II. Promovetur illa minuta circulatione, ſtagnatione diuturniore, calore conciliato, accedente humiditate & acceſſu aeris, minori renovatione adſumtorum, retentione humoris inutilis vel morboſi, denique conſtitutione endemica vel epidemica: calor major cum aucta circulatione citam putredinem inducit.

III. Pro natura humorum varia fit Putredo in ſanguine; pinguedine, medulla, bile, gelatina, albuminoſo, lympha, pure, urina, alvi excrementis, muco, chylo.

IV. Ex humore illo vario; ex incipiente & continuata putredine; ex parte varia quam occupat; atque ex cauſis putredinem inducentibus, varia & multa ſymptomata fiunt. Solida laxantur, fragilia fiunt, interdum ſolvuntur. Humores partim liqueſcunt, partim tenaces fiunt, fœtent, ad nigredinem accedunt, naturalis indoles invertitur, flatus evacuationes multas, dolores, calorem mordacem inducunt, Corporis actiones debilitantur & perturbantur.

V. In curatione attendendum ad cauſas, ut removeantur vel evitentur. Quia putrefactum emendari nequit, ingerenda & applicanda quæ non facile putreſcunt, & reſiduos humores condiunt. Eligenda calefacientia in putredine frigida: ſed refrigerantia in putredine calida. Putrefactum ſenſim per convenientes emunctorium eliminandum.

101. AUSTERITAS.

I. Humores ſuo adtactu augentes ſolidorum contractilitatem; humoribus noſtris miſti inducentes cohærentiam majorem, vel coagulationem; actionem vitalem minuentes; atque dentibus ſtuporem inferentes, dicuntur Auſteri.

II. Conſtant hi pinguedine immatura, cum terra adſtringente. Generantur adſumtis inmaturis, auſteris; quæ ita remanent in corpore, defectu ſaponacitatis humorum & debiliori actione vitali laborante.

III. In primis viis, ubi prædominare ſolent, inducunt anxietatem, cardialgiam, colicam, alvum adſtrictam, cruditatem, coagulationem. In reliquo corpore convulſiones, paſſionem hyſtericam vel hypochondriacam, ſuffocationem, obſtructiones, ſtrumas, alioſque tumores duros.

IV. In curatione evitanda auſterorum ingeſtio. Adhibenda ſaponacea alcalina vel alcaleſcentia, moventia & calefacientia, ſenſim majori copia ingerenda. Alvus laxior ſervanda. Frictiones & corporis exercitia inſtituenda.

102. COLOR.

I. In partibus firmis & humoribus varii deteguntur Colores ſani & morboſi, ſed quia firmarum partium colores præcipue ab humoribus dependent, Colores omnes hoc loco tradere conſtitui.

II. Color ſanus in ſanguine eſt Ruber; Albus in chylo, pure, lacte, pinguedine, medulla; Flavus in bile, cerumine, alvi excrementis; Pallidus in pituita, ſputo; Citrinus in urina; Candidus in ſaliva, lympha. Reliqui colores in his alieni & morboſi ſunt, & qui ſunt inconſtantes.

103. ALBOR.

I. Albus color in humoribus, conſtans oleo ſaponaceo puro aquoſis diluto,

in

in lacte, chylo, pure, muco, pituita, ſputo, bonum ſignum præbet. Sed in urina relaxatione tubulorum renalium cum exitu boni humoris, atque in alvi excrementis bilis retentionem denotat. Quæ in tali morboſo colore ſunt agenda, propriis locis traditur.

104. PALLOR.

I. Color naturalis candidus, roſeus & ruber humorum & partium viſibilium in Pallorem convertitur, deficiente humorum præparatione, defectu globulorum rubrorum & incipiente corruptione. Obſervatur ille in ſanguine, ſputo, pure, urina, aliiſque humoribus effluentibus vel ſtagnantibus.

II. Inde in morbis ventriculi, inteſtinorum, viſcerum, pulmonum laxitate, debilitate, cruditate, corporis nimia quiete, animi cura, & mœrore, circulatione minore; atque evacuatione nimia, in alvi fluxu, urinæ profluvio, fluore albo, gonorrhœa, ſalivatione, & nimia lactatione in feminis Pallor, qui evaneſcit, curatis iſtis morbis, per roborantia & corporis exercitium.

III. Incipiens autem corruptela in humoribus pejorem Pallorem inducit, ut obſervatur in ſcorbuto, cachexia, catarrho, aciditate, chloroſi, hydrope, leucophlegmatia, hyſteria, menſium ſuppreſſione, venerea lue, longa adverſa valetudine; nam non omnis corruptela facile emendari poteſt. Præter ſpecialia in iſtis morbis adhibenda antiſeptica roborantia.

IV. Qui generatur ex magna ſanguinis evacuatione, poſt ſuppreſſam illam evacuationem curari debet, cibo eupepto parva quantitate ſimul, ſtomachicis & dein roborantibus. Verum ob deficientem ſanguinis influxum in ſyncope, paroxyſmo febrili, mobilitate ſubito inductus ſponte etiam evaneſcit; ſi diutius durat frictionibus & ſtimulantibus diſcutitur.

105. NIGROR.

I. Niger color in æthiope & meconio naturalis, inductus fuco, vel adſumtis medicamentis, nullum præſagium præbet: ſed ex morboſa cauſa ſemper malum portendit.

II. Nigrum colorem acquirunt ſanguis, pinguedo, bilis, medulla, ſputa, mucus, alvi excrementa, vomitu rejecta, urina, pus, pituita, a melancholica materia.

III. Hi humores corrupti, ſphacelati, ut & ſanguis coagulatus, concretus, exſiccatus, ſemper malum præſagium præbent in acutis febribus, inflammatione, eryſipelate, malignis, epidemicis, peſte, variolis, ictero, chronicis, contuſis, combuſtis, & gelu deſtructis, ſive emittantur, ſive partibus adhæreant, ſi per cutim tranſpareant, ita male colorati humores.

IV. Corrupti hi humores emendari nequeunt, ſed progreſſus iſtendus antiſepticis: & quantum fieri poteſt, malignus ille humor eſt auferendus.

106. RUBOR.

I. Naturalis color candidus noſtri corporis in Ruborem convertitur a ſanguinis globulis rubris in arterias lymphaticas truſis. Subito autem ortam in facie rubedinem cum quadam incaleſcentia brevi evaneſcentem Phlogoſin vocant.

II. Quod fit 1. Aucta circulatione generali in febribus acutis, morbillis, variolis, inflammatione, eryſipelate, ſcarlatina, calefacientibus & ſpirituoſis adſumtis, quibuſdam animi pathematibus, in peripneumonia, angina, phrenitide, ſopore, & apoplexia ſanguinea. 2. Irritamento corrupti puris, pinguedinis, bilis, perſpirabilis retenti, in phthiſicis, hecticis, empiematicis. 3. Applicatis externis calidis, acribus, adtrahentibus, rubefacientibus, ſtimulantibus, frictionibus, adtritu, ſuctio-

ſuctione, morſu inſectorum. 4. Acrium exhalationem impedientibus, in aere frigido, inunctione pinguium.

III. Rubor cum tumore & dolore validam ſanguinis infarctionem notat cum conſtante cauſa. Cum levi intumeſcentia permanente, tenuem acrimoniam in eo loco manentem ſignificat. Sine tumore & momentaneus, quando Phlogoſis vocatur, ſæpe in phthiſicis, hecticis, & ab animi pathemate, obſervatur.

IV. Ob varias cauſas & ſpecies, certus effectus generalis exhiberi nequit, atque rubedo urinæ & excrementorum ſuis locis tradi debet.

V. Curatio dirigi debet ad morbos ruborem inducentes, tollendo irritamentum & compeſcendo impetum.

107. LIVOR.

I. Sanguis ſtagnans, collectus, concretus, pellucida membrana tectus livet. Pinguedo, bilis corrupta, & melancholia interdum livorem induunt; raro autem alvi excrementa talem colorem exhibent.

II. Inde angina, ſpaſmus, convulſio, apoplexia, compreſſio venæ, reditum ſanguinis impediens: ſanguis effuſus, ſtagnans, concretus, in contuſione, gelu, eſchara, ſphacelo, ecchymoſi: ſubſiſtens in febris paroxyſmo, agone, ſyncope, ex virium defectu, variis in corporis partibus, Livorem inferunt.

III. Nunquam bonum præſagium præbet, nam ſtagnans concreſcit & corrumpitur. Atque malam, in pinguedine, bile & medulla, corruptelam arguit.

IV. Promta adhibenda auxilia tollentia circulationis impedimenta: corruptum eſt auferendum, ut in corruptione traditur.

108. FLAVEDO.

I. Flavus color in bile, alvi excrementis, urina & cerumine naturalis, niſi nimis intendatur color; in ceteris autem humoribus ſemper morbi ſignum.

II. A medicamentis tingentibus adſumtis flavus color in humoribus aut a fuco partibus ſolidis inductus, nullum præſagium præbet vel curatione eget.

III. Sed in cachexia, ſcorbuto, lacte muliebri, chylo, ſputo, pure, ichore, pinguedine, medulla, & in facie aliiſque partibus apparens, humorum corruptionem arguit, ſi ſimul ſit luridus: curatio ex cachexia & corruptione petenda.

IV. Ex Bile ſanguini reliquiſque humoribus miſta intenſior fit Flavedo, & aliquomodo pro magnitudine corruptionis in bile color variat: ab hac cauſa alvi excrementa, & quæ vomitu redduntur, albicantia manere ſolent; atque adſunt ſymptomata circa bilis organum. Hujus curatio in Ictero proponitur.

109. SPUMA.

I. Aeris bullæ in liquoris ſuperficie hærentes, vel interdum toti maſſæ miſtæ Spumam præbent.

II. Interdum denotat 1. humoris cum aere conquaſſationem, ut ſanguis ſpumoſus in hæmoptoicis, ſpuma oris in apoplecticis, convulſis, epilepticis, anginoſis, aſthmaticis. 2. Interdum vero pinguedinis colliquationem in urina, pure, ichore, ſputo, alvi excrementis, in acutis, dyſentericis, hecticis, empyematicis, ictero, nephritide, phthiſi. 3. Interdum ſolum defectum humidi ſignificat.

III. Mala ex ſpuma provenientia generantur vel ex motu, vel corruptione, vel tenacitate humorum, vel ex his ſimul agentibus.

IV. Pro differentia cauſæ adhibenda antiſpaſmodica, antiſeptica, diluentia, abſtergentia.

110. ÆQUALIS HUMOR.

I. Partes omnes per totam maſſam eadem magnitudine & colore donatæ, vel ita accurate miſtæ ut diſtingui nequeant, exhibent Humorem Æqualem.

II. Perfecta illa miſcela in ſanis & morboſis humoribus ſolitariis, optimæ præparationis ſignum: ſed quando obſervatur in ſanis & morboſis miſtis, difficilem ſeparationem, & criſin promittit.

111. INÆQUALIS HUMOR.

I. Partes in maſſa humoris, magnitudine, cohærentia, vel colore diſtinguendæ a ceteris exhibent Inæqualem humorem.

II. Talis imperfecta miſtio in maſſa ex ſanis & morboſis conſtante laudabilis: in iis vero ſolitariis imperfectam præparationem arguit.

112. FOETOR.

I. Odor graveolens exhalans ex humoribus totius corporis vel alicujus partis, alius, quam in ſanis percipi ſolet, vocatur Fœtor.

II. Generatur ille, dum oleoſa putredine, vel alia corruptione invertuntur; & Salina in alcali volatile convertuntur: Terreſtria enim & Aquoſa non concipiunt fœtorem, niſi ex his admiſtis.

III. Humores in loco clauſo ſine acceſſu aeris non facile fœtent: ſed accedens aer, maxime cum aucto motu vitali & nimio calore, fœtorem cito generat, ut & perfecta ſtagnatio, & debilior motus.

IV. Fœtor ipſe non multa mala infert, ſed quia eſt corruptionis & putredinis indicium, reliqua mala ex iſtis morbis ſunt deducenda.

V. Humor vel pars fœtorem ſpirans eſt tollenda; ſi fieri non poſſit, adhibenda condientia & antiſeptica corruptionis progreſſum impedientia.

TITULUS IV.

HUMORUM LOCUS ALIENUS.

Humores in loco alieno recepti referuntur ad generalem maſſam, vel ad quoſdam ſpeciales humores.

113. ERROR LOCI.

I. In ſanis, ſanguis, lympha, pinguedo, bilis, alvi excrementa, urina, & aer ſpecialia loca occupant; ſi vero in aliis partibus detinentur, Error loci vocatur.

II. Sic Bilis ſanguini miſta generat Icterum. Ruber ſanguis in arteriis lymphaticis receptus ad Inflammationem, Eryſipelas vel Maculas refertur; is autem in cavitates vel tunicam celluloſam depoſitus Effuſionem, Ecchymoſin, aut Collectionem inducit. Lympha loco pinguedinis celluloſam tunicam implens, generat Oedema, Leucophlegmatiam; interdum etiam colligitur in cavitatibus. Aer aliunde collectus Empneumatoſin producit. Sed Urina & Alvi excrementa alieno loco collecta ſpeciale nomen non obtinent.

III. Generatur 1. Solidorum deſtructione in vulnere, contuſione, ruptione, ſuſtentaculi defectu. 2. Validiore impetu, impedito reditu, & obſtructione.

IV. Hic ſtagnantes humores vel cum alienis circumducti, corrumpuntur, inquinant admiſtos, comprimunt partes adjacentes, multaſque functiones turbant.

V. Globuli rubri protruſi minuto impetu & quantitate reducendi; in cavis hærentes humores evacuandi vel diſcutiendi; obſtructio vel compreſſio eſt curanda, tollendo cauſam.

114. COLLECTIO HUMORUM.

I. Ex natura omnium humorum eſt, modica quantitate contineri, & tandem quoque transfluere: ſi ille fluxus ſubſiſtat, & majore copia colligatur in quacunque corporis parte, Collectio vocatur. Humoris morboſi per totam maſſam diffuſi collectio in quadam parte ad metaſtaſin referri ſolet.

II. Per ſoluta vaſa 1. funduntur in vicinia humores & colliguntur, ut in vulneribus, puncturis, contuſionibus, & ruptionibus. 2. In vaſis laxioribus, amplioribus, ſuſtentaculo privatis congregantur. 3. Ante partem obſtructam ligatam, compreſſam accumulantur. 4. Motus minor. 5. Motus major. 6. Abſorptio deficiens collectiones humorum faciunt.

III. Collecti humores partem recipientem tumere faciunt & aggravant: ſtagnando corrumpuntur, putreſcunt: partem vicinam comprimunt, ejuſque actionem moleſtiorem faciunt vel impediunt. Unde pro parte varia multi fiunt morbi. Quidam humores ſimul concreſcunt, alii liqueſcunt.

IV. In primo genere cauſarum curatio magis ad aperturam quam evacuationem collecti dirigenda, niſi apertura fuerit clauſa. In ſecundo genere artificioſa ſuſtentacula adhibenda cum applicatis roborantibus. In tertio poſt ablatum impedimentum, ut in priore agendum. In quarto adhibenda ſtimulantia diſcutientia. Sed in quinto genere adhibenda evacuantia motum ſedantia. Denique in ſexto quæ abſorptionem augent.

115. EFFUSIO.

I. Humorum per vaſa aut receptacula vulnerata vel rupta depoſitio, in tunicam celluloſam, cavitates corporis, vel extra corpus dicitur Effuſio.

II. Sanguis & lympha in tunica celluloſa collecta, ex venis vel arteriis ruptis aut vulneratis, (ad quod genus pertinet etiam Aneuryſma ſpurium, & Ecchymoſis ſpecies ex vena aperta), Effuſionis eſt ſpecies: ita etiam chyli & excrementorum depoſitio et ſoluto œſophago, ventriculo & inteſtino: atque urinæ ex rupta veſica, bilis ex rupta cyſtide, & in feminis fœtus depoſitio in cavum ventris per uterum ruptum, ad hunc titulum referri poſſunt.

III. Omnes cauſæ vulnerantes, contundentes, rumpentes, nimis diſtendentes, & ablatio ſuſtentaculi huc pertinent.

IV. Ex his 1. privatur pars vel corpus ſuo naturali humore. 2. Effuſus humor ſua mole premit adjacentes partes. 3. Stagnando corruptus inſuper multa mala infert.

V. Vas vel receptaculum apertum uniendum & conſolidandum ſi fieri poſſit. Effuſus humor educendus. Pars aperta ſuſtentanda, ut cohibeatur ulterior effluxus.

116. ECCHYMOSIS.

I. Sanguis in corporis ſuperficie, ſolutis repagulis ita effuſus in ſubſtantiam cutis vel tunicæ celluloſæ, ut maculam lividam exhibeat, vocatur Ecchymoſis.

II. In ſanis producitur contuſione, ſuſtentaculi defectu, punctura, phlebotomia & parvo vulnere: frequens ſcorbuticis, fragilitate & tenui acrimonia laborantibus interdum ſine læſione externa: raro ab impetu majore.

III. Sta-

III. Stagnans plerumque exſciccatus concreſcit, indureſcit, pars livet, & nigreſcit: humidus manens coagulatur, putreſcit, generat tumorem, qui ruptus ſordidum relinquit ulcus.

IV. Curatio in cauſis externis & internis tradita eſt: poſt generationem ſi major eſt collectio, conducit evacuare effuſum ſanguinem, priuſquam corruptelam induerit.

117. ICTERUS.

I. Color Flavus ſeu Croceus, interdum Sublividus vel & Subniger in corporis tota ſuperficie, albo oculorum & urina, a bile ita tingente, vocatur Icterus.

II. Bilis ſanguini miſta in colorem lividum vel nigrum mutata, Icterus niger vocatur: ſed pinguedo aut chylus corruptus flavum colorem præbens ad Cachexiam refertur.

III. Omnis cauſa naturalem bilis exitum in duodenum intercipiens & urgens bilem miſceri circulantibus, huc pertinet. Sic Calculus choledochum obſtruens, qui reſolvendus vel trajiciendus ut deponatur in duodenum. Spaſmodica conſtrictio in hyſtericis & animi pathematibus, ut prior ſpecies recidivantem icterum inferens, antiſpaſmodicis curanda & prævenienda. Commotio febrilis vel morbi metaſtaſis icterum inducens curatur modica alvi ductione per laxantia ſaponacea. Actio hepatis languidior bilem non ſecernens, ſaponaceis amaris calefacientibus promovenda; ſimulque alvus laxanda. Hepatis obſtructio reſolventibus ſaponaceis hepaticis reſeranda. Sed Inflammatio, vel Eryſipelas hepatis, veſiculæ, ductus choledochi & duodeni diriſſimum Icterum inferens, ut tales morbi curandi, dum ſimul alvus laxa ſervetur antiphlogiſticis.

IV. Varia naſcuntur ſymptomata. 1. Ex cauſis Icterum inducentibus. 2. Majore minoreve bilis corruptione. 3. Defectu bilis in primis viis ad chyli præparationem & tingenda excrementa. 4. A bile ſanguini & lymphæ miſta.

V. Non admittit ob varias cauſas generalem curationem, in genere alvum laxantia conveniunt.

118. EMPNEUMATOSIS.

I. Aer elaſticus collectus in quadam corporis parte, ubi in ſanis non reperitur, vocatur Empneumatoſis.

II. Hic hærens ſub cute in celluloſa tunica per totum corpus hoc nomen ſervat: ſed in ventris cavo ad Tympanitidem: in ſcroto vel umbilico ad Hernias; in ventriculo & inteſtinis ad Flatus refertur.

III. Apertura facta in pectore vel collo per vulnus, paracentheſin, vel bronchotomiam, aer ſæpe ſe inſinuat ſub pectoris integumenta, ſed alibi per præpoſteram inflationem. Vel generatur per putredinem aut aliam corruptionem ex ibidem ſtagnantibus humoribus.

IV. Collectus producit tumorem elaſticum, levem, compreſſilem: promovet contenti humoris corruptionem: comprimit vicina, & ſuffocat eorum actionem.

V. Prævenitur impediendo aeris ingreſſum, claudendo aperturam, ſuſtentando partem, & inhibendo effuſi humoris corruptionem. Nata collectio curatur extrudendo vel ſugendo admiſſum aerem, educendo corrumpentem humorem; dein pars ſuſtentanda, & ulterior corruptio antiſepticis prævenienda.

119. METASTASIS.

I. Humoris morboſi & doloris Translatio ex loco ubi natus fuit ad alium, Metaſtaſis vocatur: quo etiam refertur morboſi humoris per totum corpus diſperſi Collectio in quadam corporis parte ſpeciali.

II. In Metaſtaſi obſervant . 1. Perfectam & imperfectam . 2. A vi vitæ vel morbi . 3. Ad locum convenientem vel alienum . 4. Fixam vel vagam . 5. Ad exteriora vel interiora . 6. Ad emunctorium vel aliam partem . 7. Materiæ aptæ vel ineptæ . 8. Deorſum vel ſurſum . 9. Ad partem ignobilem vel principem . Prior bona , poſterior mala cenſetur .

III. Bona fit vi vitæ detrudente coctam materiem : mala vi morbi , abundantia morboſi humoris , defectu virium , retropulſione , derivatione ad interiora , præpoſtera evacuatione .

IV. Bona liberat hominem a morbi materia , vel eam ad minus periculoſam partem deponit : mala ſemper auget periculum , & ſæpe mortem infert .

V. Bona metaſtaſis permittenda & promovenda : mala autem aliunde derivanda , & vires vitæ inſtigandæ .

TITULUS V.

HUMORUM NATURA MUTATA.

Mutatio generalis præbet degenerationem mutabilem vel immutabilem .

120. METAMORPHOSIS HUMORUM.

I. Naturæ mutatio in humoribus eſt multiplex : nam fiunt ex tenuibus craſſi , ex crudis cocti , ex mitibus acres , ex bonis mali , ex benignis maligni & viciſſim : mutant etiam colorem & odorem . Quæ omnes mutationes in ſanis & morboſis humoribus variis , hic perſequi nequeunt , ſed in iſtis humoribus tradendæ .

121. CACOCHYMIA.

I. Color totius corporis vividus aliquomodo commutatus in luridum , cum quadam valetudine adverſa , plerumque cum levi intumeſcentia , interdum vero extenuatione , vocatur Cachexia , & Cacochymia .

II. Quæcumque ingeſta alimenta impediunt mutari in bonos humores , ſed permittunt leviter corrumpi : quæ concedunt vel promovent ſpontaneam humorum corruptionem : quæ minuunt excrementitiorum , & materiæ morbi evacuationem , Cachexiam producunt .

III. Ex tali in corpore nato humore morboſo , una cum antecedentibus cauſis remanentibus , tam multa fiunt per totum corpus & in partibus ſpecialibus , ut enumerari vix poſſint : primaria autem ſunt luridus color , intumeſcentia levis , horror , caloris frigoriſque viciſſitudo , actiones languidiores , lenta febris , flatuum generatio , laſſitudo , ſanguis emiſſus pallidior , urina varia .

IV. In curatione 1. Attendendum ad cauſas inducentes , ut tollantur . 2. Alvus laxior ſervanda ne accumuletur crudum . 3. Adhibenda ſtomachica ad promovendam primam coctionem . 4. Dein diu & conſtanter adhibenda roborantia antiſeptica .

122. CHLOROSIS.

I. Pallidus vireſcens faciei & totius cutis color in puellis puberibus plerumque cum menſium ſuppreſſione , vocatur ex alieno hoc colore Chloroſis .

II. Dum puellæ corpus minus quam antea increſcens in ſe generat abundantiam , quam exonerare nequit ob actionem uteri adhuc debiliorem ad expellen-

dum

dum & vaſcula exiliora non conſueta; illa abundantia deſtruens æquilibrium cacochymiam hanc infert.

III. Si vero cooperantes aliæ accedunt cauſæ, ut vita ſedentaria, nimia corporis quies, ſomnus longior; regio frigidior & humidior; vigiliæ protractæ; aſſumptio eorum quæ non ſunt eſui; abuſus potionis aquæ præprimis tepidæ; animi curæ & pathemata, eo certius generabitur chloroſis.

IV. Ex ita degenerata humorum craſi, præter dictum in facie & tota cute fœdum colorem multa alia oriuntur quæ Chloroſis ſymptomata cenſentur: ut ſanguis tenuis vix coloratus, dyſpnœa ad minimum motum, ſomnolentia, laſſitudo, ſedendi & decumbendi amor, ſolidorum laxitas, pulſus debilis, pulſatio & palpitatio in collo & temporibus, motus impotentia, cacochymia, cachexia, cruditas, partes inferiores tument tumore molli frigido aquoſo vel œdematoſo, ſed mane facies ſub oculis magis tumere ſolet, gravitatis ſenſus per omnia membra, & frigus. Tandem ad majorem corruptelam tranſeuns producit mobilitatem, hyſtericam paſſionem, convulſionem, anxietatem, capitis & ventriculi dolorem, picam, faſtidium, delirium, febrem hecticam lentam, maciem. Et quia uterus præ ceteris adficitur, hic producit menſium ulteriorem ſuppreſſionem, ſcirrhum, ſtrumam, ſterilitatem, & tandem poſt multas ærumnas placidam mortem.

V. Dum puella laborat corruptis humoribus in corpore cum naturali ſuppreſſa evacuatione, primo alvus eſt ducenda, ut inteſtina liberentur a cacochylia. Dein promovenda ventriculi concoctio ſtomachicis, ut bonus ſuppeditetur ſuccus; interim actiones roborandæ roborantibus, inter quæ excellunt chalybeata. Si ita natus fuit bonus ſuccus & menſes non prodeunt, iſti provocandi juſto tempore emmenagogis. His apparentibus ulterius in roborantibus perſeverandum, donec corpus ſatis firmatum fuerit.

123. SCORBUTUS.

I. Specialis in tota fere maſſa corruptio humorum, ſenſim nata & magis increſcens, producens membrorum, maxime crurum, laſſitudinem, citam defatigationem, maculas, primo ſubrubras, dein lividas, dolorem verſatilem in variis partibus, oris fœtorem, gingivarum corruptionem & conſumtionem cum facili hæmorragia, dentium vacillationem, cum urina deponente ſabulonem vel cryſtallos rubras, ut plurimum lateribus uroſcopii adhærentes, vocatur Scorbutus.

II. Differt 1. natura; nam in locis frigidis, ſeptentrionalibus, humidis, generatur Scorbutus Frigidus cum craſſitudine vel tenuitate humorum: In locis calidis & humidis naſcitur Calidus, etiam cum craſſitudine vel tenuitate humorum. 2. Quo magis increvit diutiuſque duravit, eo plura & vehementiora infert ſymptomata, quorum multa generali corruptioni ſunt communia.

III. Aggreditur otioſos, ſolitas exercitationes negligentes, longis morbis vexatos, animi cura, ſtudio, pathematibus preſſos; laxitate, febre quartana, debilitate virium, arthritide, hyſterica paſſione, aliiſve morbis chronicis, cachexia, cruditate, corruptione ſpontanea laborantes; in locis humidis, ſubterraneis, mari proximis degentes; longis navigationibus vel carceribus detentos; farinoſis, fumo ſaleve conditis alimentis, iiſque ſemicorruptis utentes; maxime autumnali vel hyemali tempore.

IV. Interna cauſa multa anomala ſymptomata inferens videtur humor acris ſpeciali indole donatus, quod acre latitat in humore tenui vel craſſo, eſtque differens in locis calidis vel frigidis, ſi generetur.

V. Ex tenuitate, craſſitudine, calida vel frigida indole, majore minoreve incremento, atque ex partibus & functionibus variis obſeſſis tam multa fiunt phænomena, ut enumerari vix poſſint, quæ aliis corruptionibus etiam ſunt communia, ſolummodo conjunctis characteriſticis ſignis diſtinguenda.

VI. Ad

VI. Ad diverſas ſpecies dirigenda eſt curatio. 1. Nam acre ſcorbuticum frigidum in humore craſſo hærens, curandum antiſcorbuticis, calefacientibus, reſolventibus, corporis exercitatione, loco ſicco aprico, leniter inchoando. Scorbuticum frigidum in tenui humore hærens, antiſcorbuticis, roborantibus antiſepticis curandum. 3. Scorbuticum calidum in craſſo humore hærens antiſcorbuticis reſolventibus aceſcentibus emendandum. 4. Idem in humore tenui hærens, exigit antiſcorbutica adſtringentia, antiſeptica, refrigerantia.

124. RHACHITIS.

I. Laxa impotentia membrorum, & totius corporis aliqua extenuatio, increſcente capite cum ventre plerumque tumefacto; in infantibus incipiens intra VI. & XXIV. ætatis menſem, vel quando ablactantur; tandem producens oſſium extrema protuberantia, & ipſa oſſa deformia, vocatur Rachitis.

II. Parentes valetudinarii, intemperate viventes, cachexia, ſcorbuto, hectica, hydrope, & maxime hyſteria, fluore albo, gonorrhœa laborantes, rhachiticos infantes pariunt.

III. Hujuſmodi tamen infantes ſano lacte muliebri nutriti, interdum hoc morbo non corripiuntur: ſed hi & etiam ſani, lacte ex valetudinaria vel intemperate vivente femina, nutriti, hoc morbo corripi ſolent.

IV. Sani etiam infantes præmature a lacte depulſi, alimentis aceſcentibus, & difficilioris digeſtionis nutriti, ſemper quieſcentes, in locis humidis & frigidis degentes, alvi fluxu, anorexia, acore, longa valetudine debilitati, Rhachitici fiunt.

V. In tali ſolidorum laxitate, humorum tenuitate, cruditate, labe ſcorbutica, atque actionum debilitate, in principio horum morborum ſigna proferuntur: dein oſſa molliora incurvantur, & in deformem figuram excreſcunt.

VI. Statim evitandæ cauſæ, infans nutriendus ſano lacte muliebri, ſæpe movendus & fricandus, tegendus veſtimentis & ſtragulis ſiccis, decumbendus ſupra lectulos ex aromaticis roborantibus confectos, alvus ſervanda aperta, danda antacida antiſeptica, antiſcorbutica ſtomachica, roborantia, parva copia ſimul longo tempore: oſſium deformitas prævenienda artificioſo ſuſtentaculo & applicatione roborantium.

125. CORRUPTIO.

I. Humoris utilis, inutilis, & morboſi, atque interdum ſimul partium firmarum degeneratio in ſtatum pejorem plerumque immutabilem, vocatur Corruptio.

II. Hæc degeneratio in auſterum & acorem, nam in vinoſum forſan non fit in nobis commutatio, motu vitali deinceps emendari patitur: ſed Putor, Rancor, Nidor, Situs, & Mucor, atque Empyreuma vehementi ignis actione inductum, difficulter vitali actione emendari poteſt. Pepſis autem & Pepaſmos quia eſt mutatio in melius tendens, ad hunc titulum non pertinet.

III. Corruptio hæc eſt perfecta vel imperfecta; calorem inducens vel frigiditatem; colliquefaciens vel in tenacem ſorditatem abeuns; in acutis vel chronicis; ſpontanea aut vi vitæ nimis agente inducta; tandem maligna, & contagioſa.

IV. Generatur 1. motu automatico, 2. motu vitali nimio, 3. contagio vel inficiente admiſto.

V. Aqua & Terra manet fere immutabilia: Oleum & Sal variam induunt metamorphoſin: Aer redditur elaſticus: Quinta eſſentia tota fere invertitur, vel abit.

VI. Omnia ingeſta, inquilini humores & partes firmæ humidæ, corruptioni præbent materiem.

VII. Omnes humores ſtagnantes in nobis viventibus, citius cum aeris acceſſu, tardius

dius in loco clauſo, in corruptelam abeunt; uti in contuſione, abſceſſu, empyemate, ſinu purulento, hydrope, ecchymoſi, obſtructione, ſphacelo, turunda relicta.

VIII. Motus vitalis minor aut debilior, uti in laxitate, quiete nimia corporis, ſomno longiore, debilitate virium, multiſque morbis chronicis, tardiorem corruptionem producit, quam perfecta ſtagnatio.

IX. Promovetur calore majore, uſque ad gradum coagulationis, a quacumque cauſa concitato.

X. Atque humido ſuppeditato, quod maſſam antea ſiccam liquefacit, ſaleſque ſolvit, unde dulcia, mollia, emollientia, inexpectatam corruptelam inferunt.

XI. In loco clauſo & ab aere privato diu ſervantur humores ſine corruptela; aeris autem acceſſu, vel humoribus prius admiſti præſentia, uti in empneumatoſi & tympanitide, cito concitatur, corruptio. Tempus autumnale, conſtitutio epidemica & endemica magis videntur inquinatione promovere corruptionem.

XII. Motu vitali nimis diu agitati humores ſani, poſt evacuationem copioſiorem, in lactatione, diabete, alvi fluxu, lienteria, hæmorrhagiis frequentioribus, hæmorroidum, menſium & lochiorum profluvio; vel poſt minorem renovationem chyli in cibi potioniſve defectu, in corruptelam convertuntur.

XIII. Maxime autem corrumpuntur excrementitii & morboſi retenti, qui evacuandi erant, in omni evacuatione ſuppreſſa, alvo adſtricta, iſchuria, prohibita perſpiratione, emplaſticis, oleoſis, pinguibus applicatis, aut corpore frigori expoſito.

XIV. Motus vitali major in febribus acutis, inflammatoriis, eryſipelatoſis, ardentibus, interdum ſubito humores in corruptelam convertit.

XV. Denique motus vitalis, & etiam particularis, turbatus, ſatis cito quoque corruptelam inducunt.

XVI. Corruptum bonis miſtum, cito in eandem corruptelam ea commutat: præterea contagioſum aut ſepticum mirabilem & difficilem corruptionem inducit, ut patet in quibuſdam morboſis conſtitutionibus.

XVII. Una ex his cauſis vix quidquam efficit, ſed cooperantes citam corruptelam producunt: uti actio validior in calore & humiditate, cum aere accedente, brevi omnia deſtruit.

XVIII. Corruptio inducta producit varia ſymptomata. 1. In variis corporis partibus. 2. Diverſis humoribus corruptis. 3. Actionibus minutis, auctis, turbatis, exſtinctis. 4. Differenti corruptela, rancida, acida, putrida. 5. Vehementia corruptionis. 6. Commutatione corrupti, in colliquativum, ichoroſum, cancroſum, glutinoſum, mucoſum, inſtigante vel turbante actionem vitæ. Quæ ſingularia in ſpecialibus morbis ſunt adſequenda.

XIX. Corruptela auſtera, acida, cruda, viribus vitæ ſuperabilis, calefacientibus, alcalicis, aromaticis, antiſcorbuticis, gummis, reſinoſis, moventibus, ſtimulantibus, roborantibus, ſubigitur, & in primis viis hærens, vomitoriis & purgantibus tollitur. 2. Colliquativa calida abſorbentibus, incraſſantibus, adſtringentibus, antiphlogiſticis, acidis & aceſcentibus, temperanda, ut minus fuerat. 3. Colliquativa frigida exigit antiſeptica, calefacientia, & evacuationem per fonticulos, ſetacea & veſicatoria. 4. Glutinoſa, ſordida, emendanda abſtergentibus, reſolventibus, ſaponaceis, fructibus horæis, ſalibus neutris. 5. Peſtilentialis, cancroſa, maligna, ſeptica, non emendabilis, omni modo tollenda, & evitanda, vel uſtione extinguenda.

TITULUS VI.

GENERALES HUMORES MORBOSI.

Varii inveniuntur generales humores morboſi , ex quibus huc retuli , qui morboſi ſunt ex Præparatione , Generali natura , & Speciali indole : nam qui ex craſſitudine , tenuitate vel acrimonia nomen obtinuerunt traditi ſunt , ut ichor , putor , liquamen , lympha , acrimonia , vappa , lentor , pituita , phlegma . Qui autem ex generali morbo nomen habent , ut arthriticus , podagricus , eryſipelatoſus , rheumaticus , cancroſus , ſtrumoſus , febrilis , in nominatis morbis deſcribuntur .

126. COCTUS HUMOR.

I. Aſſumta alimenta in bonum chylum mutata ; chylus actione vitali in naturales bonos humores circulatorios & ſecretorios converſus ; inutiles humores ad excretionem præparati ; & denique humores morboſi eouſque mutati , ut ſua evacuatione morbum tollant , dicuntur Cocti , vel Maturi .

II. Sola vis vitæ moderata , cum affluxu ſatis copioſo boni humoris , hanc bonam mutationem inducit .

III. Chyloſus , circulatorius & ſecretorius humor retentus ſanus dicitur ; ſed evacuatus ad morbos pertinet . Inutiles & morboſi retenti morbum præbent ; modica quantitate ſenſim emiſſi ſanitatem conſervant , & amiſſam reſtituunt .

IV. Cocti , chyloſi circulatorii & ſecretorii evacuatio temperanda , ſiſtenda : inutilis & morboſi evacuatio permittenda & promovenda , donec omnis ablatus ſit .

127. CRUDITAS.

I. Humores Nutrititii poſt ſatis longam moram in corpore non mutati viribus vitæ , vel ſponte corrupti , rejecti vel retenti : Circulatorii naturam nutritiorum ſervantes , vel corrupti , vel ad functiones obeundas non adaptati , vel rejecti : Secretorii non ſatis elaborati , alieni , aut ejecti : Excretorii minus ſubacti & ita emiſſi , vel corrupti , retenti & emiſſi : Morboſi viribus vitæ non ſatis ſubacti , retenti vel emiſſi , dicuntur Crudi .

II. Cruditas in prima coctione generatur 1. Alimentis immaturis , tenacioribus , nimia copia ingeſtis . 2. Adfluentium humorum defectu , alienata natura , in ſaliva , ſucco ventriculi , inteſtinorum , pancreate , bile . 3. Actione ventriculi & inteſtinorum debilitata . 4. Prægreſſa ventriculi & inteſtinorum impletione , a cacochylia , crudo , mucoſo , pituitoſo .

III. In circulatoriis , ſecretoriis & excretoriis generatur ex allatis nutritiis crudis vel ex nutritiis coctis : ſed in ſecunda actione non amplius præparatis . 1. Laxitate , vel rigiditate ſolidornm . 2. Debilitata actione virium . 3. Minori pulmonum actione . 4. Minori motu animali in otio , exercitio omiſſo , ſomno longiore . 5. Sprituum nimia conſumtione in vigiliis , ſtudio ſeveriore , animi curis & pathematibus . 6. Evacuatione copioſiore maxime boni humoris . 7. Valetudine adverſa ex prægreſſo morbo relicta . 8. Senili & puerili ætate , & ſexu ſequiore .

IV. In morborum omnium principio & incremento , ſemper materia eſt cruda : ita manet ultra debitum tempus motu vitali minore , turbato & vehementiore ; vel ex natura materiæ coctioni inepta .

Crudus humor in ventriculo , inteſtinis & meſenterio hærens , generat nauſeam , vomitum , gravitatem , anxietatem , hypochondriorum & ventris tumorem , faſtidium , anorexiam , dyſpepſiam , lumborum gravitatem , dyſpnœam ,

laſſi-

laſſitudinem, oppletionem; bilis, ſucci pancreatici, ventriculi & inteſtinorum inverſionem, alvi adſtrictionem, vel crudi copioſi egeſtionem, cardialgiam, agrypniam, ructum, eructationem, flatus, ſodam, colicam, ſaporem alienum, oris ſorditatem, linguam pellicula obductam.

VI. Crudum toti maſſæ miſtum producit pallorem, laxitatem, intumeſcentiam, obſtructionem, debilitatem, laſſitudinem, hydropem, leucophlegmatiam, vertiginem, cephalalgiam, dyſpnœam, albuminoſi & gelatinoſi defectum, perſpirationem minorem, frigiditatem, glutinoſi, mucoſi, pituitoſi productionem, menſium retardationem, ſuppreſſionem, ſcirrhum, ſtrumam, ſoporem, ſtuporem, ſomnolentiam, ſyncopen, abſorptionis defectum, urinam albam craſſam, turbidam.

VII. Talis non diu manet in corpore, ſed accedente corruptione ſpontanea convertitur, 1. Ablata parte tenuiore in glutinoſum, caſeoſum, melancholicum, gypſeam concretam materiem cum vel ſine acrimonia. 2. Vel attenuatur etiam cum vel ſine acrimonia. Hinc multi quaſi novi morbi, cacochymia, cachexia, color morboſus varius, aciditas, rancor, auſterum, catarrhi, arthritis, nitroſa, ſalina acrimonia, dolores, tumores duri dolentes, febris ephemera, lenta, meſenterica, nervina, ſcorbutus, phthiſis, convulſio, mobilitas, paſſio hyſterica, hypochondriaca, menſtrua aliena, urina varia, colorata acris, miculis & filamentis ſcatens.

VIII. Antequam crudum ſubiit metamorphoſin viribus vitæ concoqui poteſt: ſi degeneravit in acidum vel nitroſum actionibus etiam emendari poteſt; ſed converſum in nidoroſum, rancidum, non obtemperat viribus vitæ, ſed eliminari debet.

IX. Si contineatur in ventriculo vel inteſtinis, quia omne tunc eliminari poteſt, adhibenda vomitoria aut purgantia lenia, ne pariant majorem debilitatem. 2. Abſtinendum a dyſpeptis & abundantia. 3. Actio hujus organi & confluentium humorum adjuvanda ſtomachicis, roborantibus, amaris, ſaponaceis.

X. Quia crudum ex tota maſſa eliminari nequit, iſtud eſt ſubigendum. 1. Intercipiendo ſcaturiginem. 2. Corpus movendum exercitio, vectione, equitatione, ambulatione, frictione, medicamentis roborantibus, calefacientibus, ſtimulantibus, lente adhibitis, ne inexſpectatam pariant obſtructionem. 3. Diſponendum crudum ad faciliorem ſolutionem, ſaponaceis, reſolventibus amaris biliofis. 4. Si autem degeneratio tendat in glutinoſum, reſolventibus, in acidum, alcalinis; in corruptelam, antiſepticis ſimul utendum, de quibus amplius in inde natis morbis.

128. BENIGNUS HUMOR.

I. Humor morboſus, conſueta ſed & mitia, nullaque aliena inferens ſymptomata, Benignus vocatur.

II. Convenit tamen eum evacuare, quia in naturalem humorem non mutabilis, retentione ſenſim in malignum degenerat.

129. MALIGNUS HUMOR.

I. Humor morboſus, vehementia, multa, vel aliena ſymptomata inferens, aut latenter magnum vitæ periculum producens, dicitur Malignus.

II. Tam naturales, quam morboſi humores malignitatem induunt, maxime pingues, diuturniore ſtagnatione in loco calido, vel contagio.

III. Tales humores irritando organa motoria & ſenſoria, inducunt multa & valida in utriſque ſymptomata. Extinguendo autem has actiones, generant mitia ſed periculoſiſſima ſymptomata.

IV. In utriſque tolli debet humor, vel antidoto exſtingui ſi fieri poſſit. In

irritante, evacuatione largiore & refrigerantibus minuenda inducta ſymptomata. In maligno autem magis conducit alexipharmicis inſtigare vires vitæ.

130. BILIOSUS HUMOR.

I. Humor morboſus ſubpinguis, ſaponaceus, acris, calefacieus, amarus, flavi coloris, Biliosus dicitur.

II. Generatur ex pinguedine, oleoſa vel & medulloſa materia degenerata: atque ex gelatinoſo, & albuminoſo corrupto.

III. Hujus generationis cauſæ in corruptione & putredine traduntur.

IV. Hic in corpore hærens producit faſtidium, nauſeam, ructum nidoroſum amarum, ſodam, cardialgiam, colicam, dyſenteriam biliosam, choleram: in reliquo corpore eryſipelas, calorem mordacem, febrem biliosam, inquietudinem, anxietatem, tenuitatem humorum, urinam flammeam acrem, corroſionem, acriſiam.

V. Quia viribus vitæ emendari aut concoqui nequit, & ſolummodo per alvum eliminari cum levamine, aceſcentibus & leniter adſtringentibus eſt hic humor temperandus; blanda & continuata alvi ductione eſt ſenſim educendus.

131. PUS.

I. Humor ſubpinguis, albicans, aqua gravior, pultis mollioris conſiſtentiæ, inodorus, inſipidus ſi bonus ſit, actione vitali irritata natus, in ſanis non exiſtens, ad obtegendum, obvolvendum & educendum, quod lædit, productus, vocatur Pus. Quod conficitur, in cute, carne, viſceribus: colligitur natus in celluloſa tunica, & cavitatibus corporis, & miſcetur ſanguini circulanti: vix detegitur circa ligamenta, tendines, nervos, niſi eo deponatur. Produci videtur ex muco arteriarum lentore & pinguedine miſtis.

II. Solo motu vitali aucto per irritamentum naſcitur, poſt vulnus, contuſionem, uſtionem, excoriationem, febrem acutam, continuam, inflammationem generalem vel particularem, ſemper in aliquo loco tecto.

III. Perſeverans cauſa irritans ultra quatuor vel ſeptem dies, cum incremento ſymptomatum, doloris, febris, caloris, moleſtiæ, ſine critica evacuatione, non auſcultans curationi, neque præbens ſigna corruptionis aut ſphaceli, notat pus generari & recipere materiem irritantem, quando lenitur febris, & commutatur in remittentem, cum diminutione præcedentium ſymptomatum.

IV. Ita confectum ſuo tempore pedetentim eſt evacuandum, per emunctoria naturalia proxima & convenientia, vel per eruptionem, vel artificialem aperturam.

V. Ultra tempus retentum ſenſim copia auctum premit adjacentes partes; mora mutatur in qualitate & conſiſtentia aliena, corrumpit adjacentia, vel miſcetur circulantibus, vel præbet metaſtaſin.

VI. Pus maturum, ſi ſponte non exit, arte educendum: major ejus tenacitas diluenda & reſolvenda: cruditas promovenda ad maturitatem calefacientibus maturantibus: corruptio impedienda antiſepticis: copioſior evacuatio moderanda.

132. MELANCHOLIA.

I. Humor niger, ſplendens, gravis, tenax niſi ſuperveniente corruptela liqueſcat, cum vel ſine acrimonia vocatur Melancholia, quam veteres in Alimentariam, Excrementitiam & Morboſam diſtinguunt.

II. Sanguinis 1. pars oleoſa ſanguinis magis concreta parte terreſtri unita mitiſſimam præbet ſpeciem: ſal vero naturalis in auſterum converſus, oleoſo miſtus, priore deterior & tenacior. 2. Bilis ipſa, amiſſa ſaponacea natura, & natura-

turalis pinguedo corruptione in lentum nigrum & tenacem humorem converſa, pejorem melancholiam præbent. 3. Materia aſſumtorum cruda, pituitoſa, & mucoſa, in ſimilem tenacem vel acrem humorem abſque colore nigro commutata, a veteribus quibuſdam etiam ad melancholiam refertur. 4. Denique pars humorum gelatinoſa, & albuminoſa lenteſcens cum acquiſita acrimonia ad hunc humorem referri poteſt.

III. Diſtinguitur in lentam & mitem; vel tenuem & acrem; majori vel minori copia turgentem; manentem in generationis loco; vel per corpus diſperſam; aut per alvum vel vomitum erumpentem.

IV. Naturalis locus eſt in vena portarum, unde venæ cavæ tradita communicatur toti maſſæ; depoſita per bilis organa, vel per dilatatas vel exeſas venas meſeraicas & gaſtricas in inteſtina vel ventriculum, ſurſum & deorſum erumpit.

V. Formatur interdum ex hereditate; alimentorum incraſſantium abuſu; debiliori venæ portarum & hepatis actione; animi curis, pathematibus, ſtudio ſeveriore; vigiliis protractis; vita ſedentaria; ætate conſiſtente; hæmorrhoidibus ſuppreſſis; alvo adſtricta.

VI. Nata augetur & acrior fit mora, vel inſtigata calefacientibus, ſpirituoſis: tunc copia majore tumere facit hypochondria, fiunt hic flatus, murmura, gravitas, anxietas, anorexia, pſeudorexia, reſpiratio difficilior, hypochondriorum contractio, hæmorrhoides tumentes, quæ ruptæ levant. In inteſtina depoſita, præbet alvi excrementa nigra; in ventriculum delata vomitum nigrum, ructum rancidum, fœtidum, fauces & os erodentem, ſtuporem dentibus inferentem, cum deteſtabili ſapore. In cavum ventris effuſa, incurabilem tympanitidem generat. Sanguini autem communicata ſenſim mœſtitiam, timorem, delirium pertinax, maniam, inſomnium, vigilias pertinaces, ecſtaſin & alia cerebri mala. Corpus & urina vireſcit, liveſcit; generatur macies & debilitas.

VII. Materia non admodum acris ſed tenax reſolvenda ſaponaceis, gummis, oleribus, aquis mineralibus: dein educenda per alvum frequenti alvi laxatione; aut ſi hæmorrhoides fluant, illæ permittendæ: corpus movendum: evitandæ cauſæ generantes, calefacientia, ſudorifera, venæ ſectionem. Si autem materia ſit acrior & turgeat, moderanda eſt evacuatio anodynis, non vero integre ſiſtenda.

133. SPHACELUS HUMORUM.

I. Humor morboſus ſubniger, inemendabilis, extincta actione vitali natus, vocatur Sphacelus humorum.

II. Talis fit 1. Infectione peſtilentiali endemicorum, epidemicorum, malignorum, morſu venenati animalis. 2. Extincta actione vitali cum ſubſequente ſpontanea corruptione, in uſtione, vulnere, gelu, ſtagnatione, evacuatione nimia ſpirituum, & humorum defectu, debilitate ſumma, hydrope, anxietate, nervorum, arteriarum & venarum obſtructione. 3. Vehementiore circulatione, in acutis, ardentibus & continuis febribus, inflammatione, eryſipelate, calore majore. 4. Humore corrupto, putrido, colliquato aliis ſanis communicato, in ſcorbuto, melancholia, hydrope, ichore, pure, phthiſi, hectica, hungarico morbo, metaſtaſi.

III. Humores tali modo degenerati, minuunt & extinguunt 1. Senſum, unde anodynia, adipſia, inſenſilitas, anxietas, viſus & auditus primo depravatio, dein exſtinctio, ſtupor, doloris ceſſatio ſine ratione, oblivium. 2. Actionem, hinc frigus, debilitas, gravitas, febris deminutio, decubitus in dorſum, inquietudo, ſubſultus tendinum, aphonia, tremor, ſingultus, pulſus inæqualis, debilis. 3. Colliquefaciunt humores, unde alvi excrementa copioſa, liquida, nigra, fœtentia; urina nigra; ſudor copioſus, colliquativus, frigidus, fœtidus; ſangui-

nis ſtillæ nigræ, hæmorrhagia; petechiæ, livores, ichoris effluxus. 4. Faciei color pallidus, lividus, cadaveroſus; oculi concavi, ſquallidi, imaginem non reddentes; aures contractæ frigidæ.

IV. Humores per ſphacelum inverſi nulla arte emendari poſſunt; ſed ſi leviſſimus fiat in humoribus ſphacelus, ut eſt eſchara in partium ſphacelo, interdum ſanantur antiſepticis, vinoſis, aceſcentibus, aut pro diverſitate cauſæ alexipharmacis, quibus ſenſim parva pars humorum ſphacelata eliminatur.

LIBER III.

GENERALES ACTIONUM MORBI.

TITULUS I.

SENSUUM MORBI.

Senſuum morbi ad tria generalia referuntur . 1. Morbi in organo ſenſum exercente ſimplices ſunt , vel compoſiti cum aliis actionibus læſis . 2. In organo ſpeciali actione prædito percipitur anxietas . 3. In Encephali partibus pertinent morbi ad ſomnum vel mentis aberrationem .

134. DOLOR.

I. Oleſtus, ingratus, & fugiendus ſenſus, ab affecto nervo ſenſus generalis, vel particularis, vocatur Dolor .

II. Differt ille . 1. Magnitudine ſeu vehementia . 2. Duratione . 3. Mutatione loci . 4. Variis aliis accedentibus ſymptomatibus . 5. Parte affecta . 6. Cauſis dolorem inferentibus .

III. Omnes cauſæ liberum fluxum ſpirituum per nervos ſenſuum impedientes , ut compreſſio , contractio , extenſio , impetus major , irritatio , ſenſuum intentio , Dolorem inferunt manifeſtum vel abſconditum : quæ cauſæ tam multæ ut in ordinem vix redigi poſſint .

IV. Dolor . 1. Inducit inquietudinem , agrypniam , debilitatem & perturbatas actiones . 2. Pro parte affecta varia inducit ſymptomata . 3. Cauſa ſpecialis dolorem inferens ſpecialem prognoſin etiam præbet .

V. Curatio 1. Dirigitur ad cauſam dolorem inferentem . 2. Ad partem dolentem . 3. Vel generalis eſt in ablatione , & emendatione , aut minuendo ſenſum , per ſtupefacientia .

135. ARTHRITIS.

I. Ex doloribus articulorum & artuum ille , qui leniter incipit , ſenſim magis increſcit , non multum auctus ad adtactum , vix mutans colorem & magnitudinem partis , vago tempore redeuns , maxime ſi æger ſe aeri frigido vel humido exponit . Tandem vero continuo ſævire pergit , vix concedens membri motum præ dolore & debilitate , quæ membra ſæpe conſumuntur atrophia : interdum circa articulos generantur tumores frigidi diu perſiſtentes , omnem membri actionem intercipientes . Denique etiam interiores partes aggreditur malum , plerumque ſine vel cum miti admodum febre . Talis dolor vocatur Arthritis vera .

II. Hic dolor interdum fixam ſedem tenet , vel diverſas partes ſucceſſive invadit , cum calore vel frigore , unde habetur fixa , vaga , calida , & frigida . Si autem materia ichoroſa , ſcorbutica , purulenta , corrupta , rheumatica , podagri-

ca ,

ca, ſcabioſa, bilioſa, ad articulos delata, dolorem inferunt, illæ ſpecies his ſignis ab arthritide diſtinguendæ ſunt.

III. Corpora poſt multos labores quieſcentia, feminæ & ſenes ſe exponentes aeri frigido & humido, cum victu duro, poſt ſæpe prohibitam perſpirationem, animi curam & pathemata, vel ex hujuſmodi parentibus nata, in ſe generant ſpecialem acrimoniam, quæ ad ligamenta, carnem, & partes nervoſas depoſita, hunc morbum producit, ſenſim magis degenerans, majorique copia nata, perpetuum dolorem infert.

IV. In principio propria ſua ſymptomata producit, ſed acrior facta & majori copia nata. 1. Parit ancyloſin, rigiditatem, diſtorſionem, emaciationem, ariduram, tumorem circa articulos, exoſtoſin. 2. In toto corpore debilitatem, cachexiam, hydropem, ſcorbutum, pallorem, maciem. 3. In partibus diverſis aſthma, apoplexiam, colicam, cardialgiam, nephritidem, iſchuriam & multa alia per metaſtaſin.

V. In morbi principio evitandæ cauſæ perſpirationem impedientes, dyſpepta & nimium otium: adhibenda diaphoretica, reſinoſa, roborantia, alcalia fixa & volatilia, cum alvo laxiore. Pars actuali calore fovenda, & bene tegenda ut ſervetur in ea parte largior perſpiratio. Hic non cedens & in vetuſto malo, fonticuli faciendi.

136. CATARRHUS.

I. Dum ex oculis, naribus, faucibus, vel alicubi patentibus ulceribus, ſine irritamento externo, effluit humor tenuis, lymphaticus, ſubacris; vel quando dolores generantur verſatiles, utplurimum ab encephalo vel ſpina incipientes, deſcendentes ad dentes, pectus, fauces, lumbos, pulmones, ventrem, parteſque externas; omnes hi morbi a Catarrho provenire cenſentur.

II. Generantur ſenibus, feminis, valetudinariis, pituitoſis, cacochymicis, tempore vernali, autumnali, hyemali, tempeſtate humida, auræ frigidiuſculæ vel vento expoſitis, ſuppreſſa perſpiratione, vel ulceribus laborantibus, quadam conſtitutione epidemica.

III. Catarrhorum materia videtur peti ex lympha ſana corrupta, vel materia inutili perſpirabili in corpore retenta.

IV. Hærere videtur ille humor in nervis, ubi inficit ſuccum nervoſum, quem in ſimilem acrimoniam convertit.

V. Sequitur Catarrhoſus humor nervorum curſum a cerebro ad medullam, inde ad ganglia, dein ad extremitates nervorum, ubi ſubſiſtit, vel eliminatur. Si tranſverſe ab uno canaliculo nervi ad alterum feratur, maximam diſtantiam videtur brevi tempore abſolvere.

VI. Quoniam 1. catarrhus varium ſequitur curſum: 2. diverſas aggreditur partes: 3. mitis vel acris; frigidus vel calidus; ſalſus vel inſipidus; tenuior vel craſſior; inde varia genera Catarrhorum ab auctoribus traduntur.

VII. Infert 1. Ex natura materiæ dolorem, frigus, calorem, febriculam, horrorem, flatus, convulſionem, debilitatem, maciem, mobilitatem, ſyncopen, phthiſin. 2. Ex loco affecto, vertiginem, pleuritidem, peripneumoniam, nephritidem, colicam, cephalalgiam, anginam, arthritidem, anxietatem, tuſſim, raucedinem, ſternutationem, agrypniam. 3. Ad emunctoria delata, alvi fluxum, gravedinem, ſalivationem, ſputationem, urinæ profluvium, ulcus catarrhoſum, lachrymationem.

VIII. Catarrhoſa materia concoquenda hypnoticis cum calore externe conciliato, atque internis calefacientibus. Prævenienda generatio antiſepticis & evitatione cauſarum. Expellenda diaphoreticis, ſudoriferis, diureticis, veſicatoriis, fonticulis. Temperanda topicis, ſalibus volatilibus, ſpirituoſis.

137. PODAGRA.

I. Podagra vocatur dolor vehemens, qui prima vice regulariter media nocte, menſe Februario, aggreditur articulum majorem pollicis pedis, eum ſenſim rubedine parva ſuffundit, cum exigua intumeſcentia: dolor hic omni ad tactu & motu hujus articuli vehementer increſcit: ſenſim lenitur, & inter paucos dies inviſibiliter evaneſcit, relinquens aliquam doloroſam moleſtiam. Morbus ille major factus vel redeuns, poſt duos treſve dies a prima invaſione, pollicem alterius pedis ſimili modo invadit. Senſim repetitis paroxyſmis adultior poſt annos facta podagra, plures majoreſque articulos invadit, plures paroxyſmos format, & crebrius redit, plerumque bis in anno. Tandem in vetuſto malo, non ſolum aggreditur articulos, ſed alias partes & organa, incerto tempore redit; diutius durat; & non niſi menſibus æſtivis ceſſat.

II. Acre podagricum ſpeciale hærere videtur in naturali ſucco ligamentorum, ſed dein alios quoque humores inficit, qui nervos & membranas alluunt.

III. Id ſpeciale habet hoc acre, quod ſit tenue, inviſibiliter evaneſcens, niſi quod in adultiori malo in calculoſam materiem concreſcat, facilius occupet ſuccum ligamentorum, quam alios humores, & ibi melius concoquatur, & ſubigatur, relinquens ſui fere ſemper malum ſemen, poſtea erupturum.

IV. Proni ad hanc materiem formandam ſunt viri robuſti, ſalaces, ſpecioſo habitu præditi, quorum perſpicax eſt ingenium, atque cranium grandiuſculum: pueri autem, feminæ, & eunuchi raro corripiuntur.

V. Hi, maxime ſi ex hujuſmodi parentibus nati, quando diæta aliena corpus debilitarunt, victu opiparo, dyſpepto, compotationibus, vigiliis, lucubrationibus, venere præmatura & nimia, animi curis, otio poſt exercitia validiora, ad virilem ætatem venientes, pedes frigido & humido exponentes, impediunt acris nati exhalationem, in hunc dolorem ſæpe incidunt.

VI. Prima vice, ut dictum eſt, ſine prophaſi adoriri ſolet, quando præ dolore patiens redditur inquietus, vexatur agrypnia, & levi febricula, atque horripilatione.

VII. Qui ſæpius paſſi ſunt paroxyſmum, hi ob materiem per corpus diſperſam variis corripiuntur ſymptomatibus ante invaſionem, ut anorexia, vel pſeudorexia, apepſia, anxietate, moleſtia, flatibus, ructu, colica, alvo adſtricta, agrypnia, gravitate & intumeſcentia corporis, parciori evacuatione naturali, intumeſcentia venarum, formicationis ſenſu, tenſione & exquiſitiore ſenſu circa articulos, ſudoris naturalis interceptione circa articulos, dein erumpit dolor cum horrore, refrigeratione corporis & febre, qui dolor ſucceſſive varios articulos aggreditur.

VIIII. Omnis illa oberrans materia raro unica vice ad articulos deponitur, ſed multis ſucceſſivis paroxyſmis. Quo copioſior materia, magiſque vetuſta, corpuſque magis debilitatum, eo diutius durat paroxyſmus & eo plures ſe invicem ſequuntur: interdum loco doloris ægritudinem vel anxietatem inducit, vel interna invadit organa cum magno periculo.

IX. Tandem depoſita & cocta materia in ligamentis articulorum, forma vaporis exhalat; ſæpe cum pruritu & deſquamatione, relicta in articulo debilitate ſenſim evaneſcente, vel tophacea concretione deformitatem & immobilitatem inferente, cum exareſcentia reliquarum partium; remanente in corpore debilitate, cachexia, valetudine ſenſim evaneſcente, donec novo corripiatur paroxyſmo.

X. Qui citius redibit ſi æger ſe exponet cauſis primum paroxyſmum formantibus.

XI. Generatæ materiæ depoſitio ad conſueta loca retardatur vel impeditur. 1. Ligamentis deſtructis. 2. Viribus debilitatis ex ſenio, frequenti podagra, commutatione ſpirituoſorum in aquoſa refrigerantia, ſequenti ebrietate, lucubrationi-

tionibus, ſtudiis ſeverioribus, vel aliquo morbo debilitatem inferente. 3. Derivatione facta venæ ſectione, vomitorio, purgante. 4. Applicatione adſtringentium, repellentium, narcoticorum ad loca dolentia. 5. Incremento morbi ſupra corporis vires.

XII. Eædem cauſæ, ſi mortem non inferunt, Metaſtaſi favent. Retenta materia ad nervoſas partes depoſita inducit tremorem, anodyniam, convulſionem, pareſin, apoplexiam, frigus, ſaporem, ægritudinem, anxietatem. Ad Pectus translata, palpitationem, dyſpnœam, ſuffocationem, tuſſim, pleuritidem, peripneumoniam. Ad Collum, anginam, deglutitionem difficilem. Ad Ventrem, cardialgiam, flatum, ructum, tormina, anorexiam, faſtidium, nauſeam, vomitum, alvi fluxum, dyſenteriam, icterum, dyſuriam, iſchuriam, micturitionem, & multa alia pro functione læſa viſcerum.

XIII. In his locis hærens, ubi neque coqui, neque expelli poteſt, neque antidoto ſubigi, calidis vinoſis ad externa molienda eſt derivatio: in alvi egeſtione, ſudorifera, atque veſicatoria, ad cutim trahentia, ſunt adhibenda.

XIV. Curatio præſervatoria inter paroxyſmos conſiſtit in evitatione cauſarum. (V) Diæta temperata, potu ſeri lactis, hydrogalactis; moderata exercitatione; medicamentis antiſepticis, reſinoſis, ſaponaceis alcalinis, diaphoreticis. Simulque alvus laxa ſervanda.

XV. In paroxyſmo pars quieta & tecta ſervanda, donec ceſſaverit dolor. Si ſit intolerabilis, pars fovenda emolliente anodyno.

XVI. Poſt podagram remanens Tumor œdematoſus, diſcutientibus abigendus: Laxitas articulorum roborantibus curanda: Cachexia & debilitas generali methodo curantur.

138. RHEUMATISMUS.

I. Dolor atrox, fixus, diu durans ſine ſubſequente ſuppuratione, motu membri admodum increſcens, cum febre continua non admodum ardente, cum partis affectæ levi intumeſcentia, leni calore, & interdum aliqua rubedine, ſanum & utplurimum robuſtum hominem invadens, articulis majoribus magis quam minoribus infeſtus, maxime ſi corpus antea calefactum frigori exponitur, Rheumatiſmus nuncupatur.

II. Arthritis caret utplurimum febre & calore, invaditque ſæpius debiles. Podagra minoribus articulis magis infeſtus, per paroxyſmos ſævit, & ſine prophaſi invadit. Inflammatio majorem adjunctam habet febrem, abit in ſuppurationem vel corruptelam. Catarrhus ſæpius invadit debiles, dolorem magis verſatilem inducit, qui utplurimum ſequitur nervorum curſum. Scorbuticus dolor ſenſim increſcit, & conjunctas habet maculas lividas & oris vitia. Venereus dolor multo lenior eſt, media magis occupat membra, & profundior hæret.

III. Videtur ſuccus ligamentorum & articulorum naturalis validiore motu acris factus, impeditus exhalare, retentus in ligamentis & articulis, ſua natura vix amplius mutabilis, præbere ejus materiem.

IV. Quidam medici dolores ſcorbuticos, arthriticos, & catarrhoſos, aliam ſpeciem Rheumatiſmi faciunt; ſed quoniam horum curatio differt, hæ dolorum ſpecies diſtinctis titulis ſunt proponendæ.

V. Infeſtat plerumque ligamenta majorum articulorum, interdum vero etiam alias partes nervoſas, membranoſas, viſceraque interna: lumbos afficiens, Lumbaginem, coxas, Iſchiaticum dolorem producit.

VI. Cauſa antecedens eſt utplurimum corpus robuſtum, quod valida exercitatione humorem articulorum reddidit acrem, quodque frigore ſuperveniente, ut in natatione, ingurgitatione aquæ frigidæ, expoſitione vento vel auræ frigidæ, retentum & concretum, immobile remanet in partibus nervoſis, cum quibus tandem veluti in corpus ſolidum, acrimonia tamen donatum, abit.

VII. Ita

VII. Ita ſubſiſtens materia, ubi pus formari nequit, pertinacem infert dolorem, cum febre continua ſanguinem inſpiſſat, lentorem ſummum & cruſtam phlogiſticam inducit, cum corporis continuo calore, inquietudine, agrypnia, ſiti magna, urina rubra: articulum ſæpe rigidum relinquit. Specialem partem invadens multa anomala infert ex functionibus partium læſis.

VIII. Reſpuit omnia actu frigida, & calefacientia potentialia; ſtupefacientibus figitur; ſed iterata venæ ſectione, alvi ductione, antiphlogiſticis, ingeſtione diluentium, refrigerantium, & applicatione laxantium, humectantium, curandus. Si autem diu duraverit non amplius evacuantibus tentanda curatio, ſed pars emollientibus reſolventibus fovenda.

139. PRURITUS.

I. Senſus perceptio, qui nos inſtigat ad ſcalpendum vel fricandum, Pruritus vocatur.

II. Levis attactus mechanicus talem ſenſum inducit, ſic pilorum, inſectorum, calculi attactus: aut redeuns circulatio poſt partem compreſſam, gelu conſtrictam; hic ſponte ceſſat ablata cauſa.

III. Humor autem ſpecialis in cute relictus ab urtica, cantharidibus, alumine plumoſo, inſectorum ictu, pruritum relinquens, exigit ablutionem, & applicationem antiſeptici refrigerantis.

IV. Humor acris ad cutim depoſitus & retentus moleſtum pruritum generat. Ut 1. Materia perſpirabilis aere frigido, vel applicatis pinguibus retenta; ablutione, & diaphoreticis datis curandus. 2. Poſt alvum conſtipatam leni alvi ductione tollitur. 3. Poſt ulceris ſuppreſſionem, materia ad conſuetam partem reducenda. 4. In critica evacuatione ad cutim ſola ablutio adhibenda. 5. In biliofis alvi ductione derivandus humor. 6. Ex acrimonia acida in debilibus antacidis exſtinguenda. 7. In ſcabioſis & aliis cutaneis morbis plerumque mercurialia ſanant pruritum.

140. STUPOR.

I. Sentiendi potentia ablata vel minuta in quadam parte, raro autem in toto corpore, dicitur Stupor.

II. Nervus ad Tactum pertinens compreſſus, obſtructus, contuſus, abſciſſus, induratus, ligatus, exſiccatus, iſtius partis parit ſtuporem, unde in gravidis, menſibus ſuppreſſis, rhachitide, ſcirrho, ſtruma, aliiſque tumoribus, poſt vulnera & contuſiones, in variis partibus, naſcuntur Stupores, qui ex detecta cauſa ſunt curandi.

III. Natus quoque fuit ex profuſiore hæmorrhagia, aneuryſmate, arteria ligata vel compreſſa, qua impeditur ſufficiens ſanguinis influxus in aliquam partem. Cognoſcitur ex partis extenuatione, pallore & frigore. Curatur ſubiata cauſa comprimente.

IV. Eodem modo ex Vena compreſſa vel ligata naſcitur, niſi quod pars affecta liveat, tumeat, aggravetur, ut in gravidis, varicibus, & tumoribus prementibus venam.

V. Si vero in ætate ſenili, debilitate virium, laxitate, aeris nimia frigiditate, hydropicis, leucophlegmaticis, œdematoſis, motu vitali languidiore, pituitoſis, viſcidis generetur, curandus reſolventibus, ſtimulantibus, calefacientibus, frictionibus, ut celerior fluxus concilietur ſpiritibus.

VI. Qui vero in ſcorbuticis, ebrioſis, cachecticis, urinæ ſuppreſſione laborantibus, naſcitur, mutatam ſpirituum indolem arguit. Tarde curatur roborantibus, & ſublata cauſa urinam ſupprimente.

VII. Per totum corpus natus Stupor: aut in partibus duntaxat capitis, ut in

acutis, apoplecticis, plaga vel contuſione capitis, catarrhoſis, cephalalgia, febribus, gravedine, hydrocephalo, phrenitide, ſoporoſis, notat cerebrum eſſe oppreſſum, & curandum eſſe pro natura morbi, cum derivatione ad alvum, crura, pedes: multum etiam juvat ſuffumigiis & ſternutatoriis augere muci narium excretionem.

141. ANODYNIA.

I. Homo, in quo certe ſcimus dolorem ſatis validum adeſſe, non percipiens vel non indicans ſe dolere, dicitur Anodynia laborare.

II. Illa generatur. 1. In morbis indicantibus Cerebrum eſſe obſeſſum, uti in apoplexia, ſopore, ſyncope, convulſione, delirio. 2. Parte mortificata in ſphacelo, vulnere, contuſione. 3. Ceſſante ſpirituum influxu ex ſumma debilitate.

III. Inde in podagra, arthritide, rheumatiſmo, inflammatione, eryſipelate, cephalalgia, cardialgia, colica, angina, pleuritide, phrenitide, nephritide, ſi ſine ratione veniat, magnum periculum protendit, ægerque jacere ſolet quietus inſtar cadaveris.

IV. Secundum inventam cauſam dirigenda curatio, ſæpeque interim ſitus ægri mutandus, ne ex decubitu pars compreſſa moriatur.

142. CONSENSUS.

I. Dum quædam pars movens vel ſentiens agitata, aliam proximam vel & remotam, vel denique totum corpus in ſimilem, vel & interdum aliam vel vehementiorem motum vel dolorem concitat, nata illa actio ex Conſenſu provenire dicitur.

II. Generatur illa. 1. Continuitate membranarum. 2. A nervis ex eodem ganglio provenientibus. 3. Conſpirante actione, ut inter oculos & aures, uterum & mammas, cor, arterias & pulmones. 4. Similitudine humoris ſecreti, ut inter pectus & urinæ organa. 5. Ex quadam neceſſitate inter nares & ſternutationem, fauces & vomitum, uterum & conamen parturiendi.

III. Non omnes functiones æquali modo conſpirant. 1. Functio vitalis tota conſentit, atque reſpirationem concitat. 2. Actio animalis commovet vitalem reſpirationem. 3. Actio particularis aliam interdum particularem, & vitalem, & ſenſum in conſenſum trahit. 4. Senſus externi ſimul commovent actionem vitalem, & quandam particularem. 5. Senſus interni commovent vitalem, particularem & interdum animalem.

IV. Morbi ex conſenſu nati non levant priorem, niſi motus inde concitatus aliquam evacuationem faciat: quare ſymptomata ex Conſenſu nata periculum augent.

V. Quamprimum fieri poteſt, tollenda eſt cauſa Conſenſum inferens: ſed ſi tolli nequit, aut ſi poſt ablationem non ceſſant mala ex conſenſu nata, inducendus eſt ſtupor per Stupefacientia, vel Balſamica, habenda ſemper ratio cauſæ & partis. Vel liganda aut comprimenda pars, ut minuatur per nervos ſpirituum fluxus. Atque in ſummo diſcrimine nervus abſcindendus vel comburendus.

143. APOPLEXIA.

I. Qui homo ſubito corripitur abolitione omnium ſenſuum externorum & internorum, omnique actione muſculorum motus voluntarii, remanente motu vitali cordis, arteriarum & reſpirationis, dicitur Apoplexia correptus. Si vero quædam pars corporis ſubito privetur ſenſu & motu animali, remanente motu vitali in ea parte, nominatur Apoplexia partis, a quibuſdam Paraplexia.

II. Ad Apoplexiam ergo determinandam requiritur ſola abolitio actionis animalis in motu & ſenſu. Si vero ſenſus remaneat eſt Paralyſis. Si ſimul exſtinguatur

guatur motus vitalis, dicitur Syncope. Qui autem cum apoplexiæ phænomenis etiam afficitur difficili & ſuffocante reſpiratione, ſtatuitur Catarrho ſuffocativo correptus. Quibus cum apoplexiæ phænomenis eſt motus turbatus in viſceribus ventris, ut interdum audiantur borborygmi, hi ſi feminæ ſint, dicuntur Paſſione Hiſterica laborare, at viri Suffocatione Hypochondriaca; his etiam interdum ſimul deficit motus vitalis, & in aliis fiunt motus convulſivi in actione animali. Qualia phænomena etiam in ventre fiunt ligato pari vago nervorum in animalibus viventibus.

III. Quum ſenſuum internorum & externorum atque motus animalis exercitatio, dependeat a perpetuo & libero fluxu ſpirituum ex cerebro per nervos ad organa ſenſus & motus animalis, omnis cauſa ergo, quæ ſiſtere, vel impedire poteſt ſpirituum eorum fluxum in encephalo, generalem Apoplexiam generare poteſt; & particularem etiam in encephalo ad eam duntaxat cerebri partem, ex qua hi nervi emergunt, vel etiam in nervis remotioribus. Hæ cauſæ multæ eſſe poſſunt, & interdum ſibi mutuo oppoſitæ. Quare præſagia inſtantis apoplexiæ, effectus & curationes differunt.

IV. Sanguinis boni abundantia in obeſis, plethoricis, juvenibus, raro Apoplexiam infert, niſi calore, calefacientibus, ira, motu muſculari aut febrili, ſi majori copia colligatur in arteriis cerebri, quibus diſtentis comprimitur cerebri nervoſa moles, impediens ſpirituum effluxum per nervos. Protinus tunc larga inſtituenda eſt ſanguinis miſſio ex brachio, & repetita: dandum eſt purgans forte antiphlogiſticum, cujus operatio determinanda ſuppoſitorio, clyſmate. Utatur interim Diæta tenui, habeatque caput maxime elevatum.

V. Quum in omni aucta velocitate ſanguinis arteriæ ultra modum diſtendantur, hæ tumentes in encephalo, quia cranium cedere nequit, interdum ita comprimunt cerebrum, ut generetur Apoplexia, quam cauſam cognoſcimus ex ſignis majorem impetum ad caput indicantibus. Hæc autem cauſa aucta, vel manens, cerebellum etiam brevi poſt comprimendo hominem interficit. His hominibus majoris impetus ad caput accedentia ſymptomata præſagiunt Apoplexiam: ſed hæmorrhagia larga & alvi copioſior egeſtio ſuperveniens liberat. Quare etiam larga, & ſi opus repetita venæ ſectio eſt celebranda, atque derivatio ad alvum & pedes, per purgantia antiphlogiſtica data & injecta, atque epiſpaſtica pedibus vel cruribus applicata, eſt facienda. Capiti admoveri poſſunt Epithemata refrigerantia. Quæ omnia ſtatim in principio adhibenda.

VI. Ut encephalon teneat eandem ſanguinis quantitatem, tantum ſanguinis redire debet per venas jugulares, quantum per cor adducitur; compreſſa ergo vena jugulari cerebrum ſanguinis multitudine obruitur & fit Apoplexia: quæ cognoſcitur ex ſignis venæ jugularis compreſſæ, angina & tumore circa collum. Niſi cauſam comprimentem tollere valeamus, mortem inevitabilem exſpectamus. Tota ergo curatio ad ablationem eſt dirigenda, quum omnia antapoplectica ſint inutilia.

VII. In quibus hominibus anteceſſere ſanguinem coagulantes cauſæ, dein deteguntur ſigna grumi hærentis in aorta: ea apoplexiam periculoſiſſimam præſagiunt, & ſæpe fit ſi aucta circulatione par grumi ſoluta trudatur in carotides: quamobrem omnes inſtigantes cauſas evitare debent, nam nata apoplexia omnem medelam reſpuit.

VIII. Quæ ex Pituita naſci ſolet, a longo tempore ex pituitæ abundantis ſignis circa caput, ſenili ætate, tempeſtate pluvioſa, hyemali, prædici poteſt: & prævenitur generali methodo curationis pituitæ, factaque ſimul derivatione ad alvum per purgantia phlegmagoga, veſicantibus variis partibus applicatis, & internis reſolventibus, dum interim ad caput adhibeantur roborantia & ſtimulantia cephalica. Si vero corripiat, in præcedentibus pergendum, ſed ſimul volatilia & ſternutatoria naribus adhibenda: applicanda larga veſicatoria, aromatica calefacientia capiti & temporibus.

IX. Omnium periculoſiſſima Apoplexia fit ab effuſo humore in encephali cavitate, ſive ſit ſanguis, ſive lympha, ſive pituita, ſive ſerum, ſenſim collecta, ut in hydrocephalo, vel ſubito poſt contuſionem vel vulnus capitis, ſi terebra tolli non poſſit. Quæ ſubito fit a cauſis externis & terebra tolli non poteſt, effuſi humoris promovenda eſt abſorptio, & derivatio, per venæ ſectionem & alvi ductionem; quæ autem lente fit ſine manifeſta externa cauſa ut apoplexia pituitoſa (VIII) tractanda.

X. Dum materia melancholica, bilioſa, lympha acris, ſerum corruptum, materia ſcorbutica, ſcabioſa, arthritica, podagrica, ichoroſa vel purulenta ex ulcere ſuppreſſo, urina retenta, materia febris, ſanguis lochiorum aut menſium retentus, petat cerebrum, ſtatim derivatio eſt facienda ad loca ſuppreſſa, atque alvus ducenda, & epiſpaſtica applicanda.

XI. Si autem ab opio, papavere, hyoſcyamo, ſimilibuſque narcoticis & venenis ingeſtis, vel ex vini aut ſpirituoſorum abundantia naſcatur, ſtatim illa vomitu ſunt ejicienda, & poſt ejectionem acida ingerenda, quæ eorum virulentiam infringunt.

XII. Dum vero per Conſenſum, uti in cephalalgia, vermibus, hyſterica & hypochondriaca paſſione, dolore vehementi, epilepſia, partu difficili, vomitu, tuſi, generatur, minus periculoſa obſervatur, atque antiſpaſmodicis tollitur, modo auferri ſimul poſſit cauſa conſenſum concitans.

XIII. Quoniam principis organi actio 1. eſt intercepta; 2. cauſa hæret in loco abſcondito; 3. facile adjacens cerebellum & medulla oblongata ſimul comprimi poteſt, ſemper periculum portendit. Prout cauſa differt, ita quædam ſupervenientia, uti hæmorrhagia, hæmorroides, febris, alvi fluxus, menſtruatio, vomitus, urinæ profluvium, ſudor, tremor, bonum præſagire poſſunt: ſed ſtupor, ſopor, paralyſis, ſtertor, reſpiratio difficilis, oris ſpuma, ventris inflatio, vertigo, viſus obſcuratio, ſonitus aurium, pulſus debilis vacillans, recidiva, paralyſis, memoriæ læſio remanens, periculum augent.

XIV. Præſens promtum auxilium exigit ſecundum memoratas cauſas: poſt diſcuſſionem præſervatoria curatio eſt inſtituenda, tollendo vel evitando cauſas, quæ præcedentem induxerunt.

144. CATOCHE.

I. Qui homo ſubita prehenſione corripitur, ut ſit privatus omnibus ſenſibus externis & internis, atque motus animalis remaneat nullus, ſed ſervant membra ſitum, quem ante prehenſionem habebant, cum quadam rigiditate, ut tamen flecti poſſint a cauſa externa inſtar ſtatuæ ex cera, remanente pulſu & reſpiratione aliquomodo moleſta, is morbus vocatur Catoche ſeu Catalepſis.

II. In horum encephalo inventus fuit humor implens ventriculos, vel comprimens medullam oblongatam: quando ſtatim Cephalicis volatilibus æger excitandus & Roborantibus diſcutientibus humor diſcutiendus; deinceps ſternutatoriis, atque purgantibus derivandus & evacuandus. Inſuper per interna reſolventia cephalica reditus præveniendus.

III. In morbis acutis periculoſiſſima: ſed in paroxyſmo intermittentium & remittentium minus periculoſa. Curanda phlebotomia, alvi ductione per antiphlogiſtica, refrigerantibus ſimul capiti applicatis & ingeſtis: ex intermittente ſi veniat, eo proprio antidoto extinguenda.

IV. In hypochondriacis & melancholicis, ab atra bile encephalon petente, frequentius generatur quam ab aliis cauſis & ſæpe redit; curatur ut ſolet fieri in morbo illo generali.

V. Si ex ſubito terrore apprehendat, conducit ſtatim mittere ſanguinem, atque cephalicis volatilibus recenſitis ſuſcitare ægrum: verum ex profundiori ſtudio & nimia animi cura, nata, iiſdem volatilibus & cephalicis reſuſcitandus,

dus, omissa venæ sectione, sed simul quovis modo evitandæ allegatæ causæ.

VI. Ex dictis patet spirituum fluxum ad sensus externos & internos subsistere, ad motum animalem paulo majorem fieri, sed sine interruptione a causa urgente in encephalo; spiritus autem vitales solito modo continuare fluxum.

VII. Ex deficiente motu animali & sensu, alvus & urina supprimitur: increscente malo cum periculo nascitur suffocatio, frigiditas corporis, pulsus debilis, pallor & tandem mors, vel facile recidivat.

VIII. Tota curatio consistit in ablatione prementis encephalon, quod secundum diversas causas expositum est.

145. SYNCOPE.

I. Omnium actionum animalium & vitalium subita abolitio, ut homo iaceat per aliquod tempus instar cadaveris vocatur Syncope: ad remissiorem gradum variis utuntur nominibus.

II. Ut vita maneat, cor pellere debet sanguinem ad encephalum, inde omnes cordis morbi, pericardii accretio, defectus, cor grumum continens, sæpe repetentem & incurabilem Syncopen induxerunt, quod testantur cadavera dissecta.

III. Grumus sanguinis in uno ex quatuor vasis hærens, transitum sanguinis intercipiens, lethalem Syncopem induxit.

IV. Intercepto reditu sanguinis per venas ad cor, ut in paracenthesi, puris & lymphæ magna evacuatione, partu subitaneo, hypochondriorum constrictione, præposteta corporis elevatione, hypercatharsi, alvi fluxu, quibus demitur cruentorum externa sustentatio, nata Syncope cognoscitur facile & curatur adhibito sustentaculo ad totum ventrem, soluto vinculo hypochondriorum, & locatione corporis in situ magis horizontali. Dein quædam volatilia naribus adhiberi possunt, ut resuscitetur æger.

V. A sanguinis defectu, in abortu, partu, lochiorum & menfium profluvio, phlebotomia, ut & aliis hæmorrhagiis facile cognoscitur, sed a vulneribus internis & ruptionibus difficilius cognoscitur & curatur: nam hic defectus alimentis statim resarciri nequit. Corpus locandum horizontali situ, abdomen sustentandum, fricanda membra versus truncum, dein corpus alendum cibo eupepto vinoso parva copia simul.

VI. Calor nimius aeris aut morborum Syncopem inducens, moderate est refrigerandus, aspergenda facies aqua frigida cum aceto, bibere oportet dein acescentia parva copia simul.

VII. Aer fumo carbonum, liquoris fermentati, aut alieno odore inquinatus, renovandus est, & æger liberiori aeri exponendus, si Syncope afficiatur.

VIII. Paresi, debilitateque chronica laborantes sæpe syncopizantes roborandi sunt, volatilibus naribus admotis, & ad tempora & caput applicatis externis spirituosis volatilibus roborantibus, similibusque internis adhibitis parva copia simul.

IX. Qui ex nobilitate, hysterica passione, consensu, convulsione, graviditate, menstruatione, uteri morbi syncopizant, hi excitandi dictis volatilibus & interne danda nervina anodyna.

X. Ventriculus inordinate motus cacochyliam biliosam, vermes, aliave aliena continens, sæpe Syncopen infert, quæ superveniente vomitu cessavit, medicamentisque stomachicis prævenitur.

XI. Quum non solum humores, sed apti ferendi sunt ad cerebrum, ut spiritus formentur, hinc ex metastasi humoris morbosi, materiæ scorbuticæ, melancholicæ, podagricæ, sphacelatæ, pestilentialis, febrilis, erysipelatosæ, periculosissima Syncope generatur, quæ derivatione humoris ad debita loca, & ex cognita natura materiæ est curanda.

XII. Quum omnes actiones admodum langueant vel omnino cessent in Syncope, hinc refrigeratur corpus; vividus color mutatur in pallorem vel livorem; pulsus

pulſus tunc fere extinguitur, & deinceps fit inordinatus; hæmorrhagia & menſium fluxus ſi adfuit, ſiſtitur; ſanguis in magnis vaſis grumeſcit; hinc dein pulſus ſæpe inæqualis, reſpiratio difficilis, anxietas: reviviſcit ducto ſanguine ad debita loca, contractilitate vaſorum, vel novo addito irritamento, vel motu artificiali. Quæ ſi novos adducere non poſſunt humores, aut ſtagnantes movere, moritur æger.

XIII. Si vero naturalis color & calor non redeat cum pulſu libero & facili reſpiratione, periculoſa inſtat recidiva.

XIV. Homines ſæpe ſyncopizantes volatilibus naribus admotis ſuſcitandi, dein roborantibus nervinis corpus firmandum, ut minus redeat ſyncope.

146. SPHACELUS.

I. Exſtincta actio vitalis in quadam parte vel membro toto, nunquam reviviſcens, permittens dein humorum & ſolidorum corruptionem & deſtructionem automaticam, Spacelus vocatur.

II. In ardentibus, acutis, continuis, inflammatione, eryſipelate, gangræna, poſt pulſum durum frequentem, reſpirationem citam anheloſam, anxietatem, inquietudinem, ariditatem, ardorem, & in parte ſpeciali dolorem vehementem, tumorem renitentem, cum rubedine ad livorem vergente, tam validus concitatus motus, qui ſanguinem in lentorem & dein corruptelam convertit, ſolida deſtruit, & vires exhaurit, tali in parte, producens tumorem molliorem, laxiorem, pallidiorem, cinereum, lividum, nigrum, anodyniam, frigiditatem, ſtuporem, inſenſibilitatem; epidermidis ſeparationem, veſiculas ichore plenas; in reliquo corpore febris diminutionem, horrorem; frigiditatem; pulſum debilem frequentem inæqualem; reſpirationem frequentem exiguam; anxietatis diminutionem; adipſiam; ſudorem frigidum copioſum; alvi egeſtionem liquidam nigram; fœtentem; petechias; faciem cadaveroſam; ſanguinis nigri ſtillicidium, generat Sphacelum generalem humorum vel alicujus partis ſpecialis.

III. Arteria autem, maxime ſolitaria, compreſſa, rupta, vulnerata, magno aneuryſmate adfecta, immedicabilem Sphacelum, cum pallore, frigore, extenuatione, immobilitate, inſenſilitate, ſenſim inducit, qui curari nequit, niſi cauſa comprimens tollatur.

IV. Reditus quoque ſanguinis per venas interceptus, poſt intumeſcentiam, livorem, gravitatem, epidermidis elevationem, venas varicoſas tumentes, immedicabilem, ob ſanguinem ſimul concreſcentem, inducit, niſi ſatis mature tolli poſſit cauſa reditum intercipiens.

V. Minor in quadam parte vitalis actio quam ut vita ſervari poſſit, in decrepita ſenectute, morbo acuto vehementi vel chronico diu tolerato, evacuatione diuturniore, aliiſque cauſis ſummam debilitatem inducentibus, generat partis ſæpe Sphacelum ſine dolore aut tumore prægreſſo, qui omnem medelam reſpuit; vinoſis cardiacis, ſpirituoſis ingeſtis & applicatis præveniendus, & progreſſus ſiſtendus.

VI. Acre gelu ſi extinxerit omnem motum vitalem, partemque diu congelatam tenuerit, pars invenitur mortua, omni ſenſu & motu privata: minus diu autem ſi duraverit, primo nive, dein aqua frigida, denique tepore vita eſt revocanda: hoc niſi fiat ſequenti motu & calore tota pars deſtruetur.

VII. Calore autem adurente vel Contuſione ſi extincta fuit actio vitalis, pars primo fotu tepido, molli, humido, pingui fovenda, ut tentetur reviviſcentia.

VIII. Si vero Toxicum in morbis malignis, epidemicis, peſtilentialibus, morſu venenatorum animalium vitam extinguit, hujus medela ex iſtis morbis petenda.

147. ESCHARA.

I. Portio quædam alicujus partis mollis vitalis cum ſuis contentis humoribus mortificata ex quacumque cauſa vocatur Eſchara.

II. Ita fit a cauſa externa, in continuato adtritu, compreſſione, ligatione, contuſione, gelu, uſtione, corroſione.

III. Ab inquinatione peſtilentiali, putredine, malignis, corruptione, metaſtaſi & debilitate exſtinguitur latenter vita. Sed in Inflammatione, febre, gangræna & ardore interno videtur pars deſtrui.

IV. Humores in Eſchara ſtagnantes corrumpuntur, inquinant, fœtorem ſpirant, putreſcunt, nigreſcunt.

V. A cauſa externa nata facile ſanatur ablatione cauſæ: ab interna maligna cauſa proſerpere ſolet, atque roborantibus antiſepticis curanda: ex motu majore, ſi cauſa permaneat, ut inflammatio tractanda.

148. ANXIETAS.

I. Ut omnium ſenſuum morbi, ita Anxietas verbis vix exprimi poteſt, ſentiunt enim ægri aliquam inexplicabilem moleſtiam, quam a dolore diſtinguunt, in trunco corporis, nunquam in partibus externis aut membris, quam agitatione membrorum conantur abigere, unde in his ſemper Jactatio ſeu inquietudo.

II. Naſcitur illa a cauſis variis, & fere omnibus, quæ dolorem inferre ſolent, ſed quæ operantur in parte motu particulari prædita, cujus actionem impediunt, præprimis in pectore, & ventre.

III. Si Ventriculus nimia copia ingeſtorum ultra modum diſtenditur; aut quando aliena impediunt naturalem ventriculi actionem, aut ejus motum invertunt, uti venena, vomitoria, valida purgantia, navigatio, actio in gyrum, aut ſi farinoſa, fructus horæi, fermentantia, aut putreſcentia fuere aſſumta, homines fiunt anxii & inquieti. Si aliquid ingeſtum fuit, id vomitu ſtatim reddendum facta irritatione faucium: ſed ea ſi acria ſint, potu molli diluente promovenda evacuatio: ſi autem venenatum ſit, vomitorio exhibito id expellendum, inſuper dato diluente dicto: ſi vero ſolus motus inordinatus ſit cauſa, vel ſi remaneat anxietas expulſis alienis, exhibendum ſtomachicum, quod inordinatum motum compeſcit.

IV. Si putris Cacochylia in ventriculo aut inteſtinis hærens, vel Bilis corrupta, anxietatem inferat, ante omnia id alienum purgante apto expellendum, niſi in ſolo ventriculo hæreat, quando vomitorio dicto opus; dein remanens motus turbatus compeſcendus ſtomachicis aceſcentibus; ſi autem in inteſtino colo præprimis hæreat id tunc clyſmate eluendum. Vermes in his locis hærentes anthelminticis amaris abigendi.

V. Vix intolerabilior aut periculoſior Anxietas infertur, quam ex Ventriculi inflammatione aut eryſipelate; adeſt febris continua, præcordiorum ardor & pulſatio, cum ſummo faſtidio, unde Aſodes febris dicta. Præter generalia auxilia inflammationis & eryſipelatis, danda ſunt antiphlogiſtica anodyna tenuia, parva copia ſimul, & epithemata ventriculi regioni applicanda. Si autem bilis acris corrupta ſimilia ſymptomata infert, quando Leipyria febris dicitur, tunc cholera ſuperveniens ſolvit anxietatem: illa evacuatio leniter promovenda diluente ſaponaceo aceſcente, dein motus compeſcendus anodyno.

VI. Uteri motus inordinatus in gravidis, menſtruantibus, parturientibus & puerperis anxietatem inferens, compeſcitur anodynis uterinis. Si autem Uterus diſtendatur a retento ſanguine menſtruo, lochiis, placenta, fœtu mortuo, grumo ſanguinis, aqua hydropica, inferentibus anxietatem, ea omnia ſunt expellenda emmenagogis & ſuſtentatione ventris externa. Uteri autem tu-

mor,

mor, ſcirrhus, & reliqui morbi utero proprii anxietatem inferentes, ex dictis locis petendi.

VII. Quando in nephriticis, calculoſis, dyſuria, iſchuria, aliiſque morbis renum & veſicæ retinetur naturalis urinæ evacuatio, Anxietas inde nata, ſola ablatione dictorum morborum cauſæ curatur.

VIII. Anxietatis hypochondriorum frequentiſſima cauſa in hepate quærenda, quia tranſmittere debet ſanguinem venæ portarum, cujus tunc liber tranſitus interceptus Anxietatem parit, habetque adhærentem veſicam felleam, & ductum choledochum, per quem exonerat bilem, cujus retentio anxietatem infert: inde in Hepatitide, ictero, calculo bilis, melancholia tam frequens, & ut illi morbi curanda.

IX. Denique omnia Viſcera ventris motu particulari donata, ſi impediantur agere, uti lien, meſenterium, pancreas, anxietatem inferunt: iſtud fit a morbis his partibus propriis, atque ab humore hærente in cavo ventris, quare ſanguis in ventre effuſus, aſcites & tympanites inſuperabilem anxietatem generant. Curatio hujus ad dictos morbos dirigenda.

X. Ut ab actione viſcerum ventris generatur Anxietas, ita etiam in medio ventre a Pulmonis actione impedita, ſive pulmo intus impleatur viſcido, ſputo, pure, aqua, ſive hi humores in cavo pectoris hæreant, ut in empiemate, pectoris hydrope & phthiſi, naſcitur anxietas, quæ expectorantibus eſt curanda. Sed ex Convulſiva conſtrictione pulmonum nata, uti in aſthmatis multis, adhibenda antiſpaſmodica pectoralia. Ex Paralyſi harum fibrarum producta ad catarrhum ſuffocativum refertur, ex quo plerumque brevi moriuntur.

XI. Cor intus impletum grumo, calculo, vel tumens inflammatione, eryſipelate, aut pericardio privatum, eique adhærens, vel hydrocardia impediens liberum cordis motum, periculoſiſſimam anxietatem infert, vix admittentem curationem.

XII. Ut particularis motus Pulmonum pergat, non ſolum libera eſſe debet circulatio per pulmonum vaſa, actio pulmonum valens, & pulmones vacui, ſed etiam requiritur alterna receptio boni aeris, hinc frequentius in hac quam alia parte naſcitur anxietas, ut in aere non renovato, calidiore & infecto, atque conſtrictis faucibus a ſpaſmo vel tumore, tumente œſophago, & in angina, qui morbi ſuis appropriatis auxiliis tollendi.

XIII. Quum in Encephalo æque quam aliis partibus habeatur motus particularis, hic etiam naſci poſſe videtur anxietas: verum ſi partes Encephali priventur motu, homo ſimul quoque privatur vita, ut inde nullum habeatur anxietatis indicium, ſed vel apoplexia vel ſyncope exſtinguitur.

XIV. Ut recenſitæ omnes partes, ſi impediantur operari a ſuis morbis particularibus, inferunt Anxietatem, ita etiam ſi morbi generales has partes aggrediuntur, inducunt Anxietatem periculoſiſſimam, uti in acutis, febribus, variolis, ſcarlatina, morbillis, petechiis, peſte, eryſipelate, & inflammatione. In his tria tempora obſervanda: nam in Principio, dum adhuc materia diſperſa eſt per totum corpus, hi morbi exigunt ſanguinis miſſionem & alvi ductionem per antiphlogiſtica, & liberantur hæmorrhagia; his quoque danda antiphlogiſtica diluentia. Tempore autem Critico veniens per ſubſequentem evacuationem criticam tollitur; ſed ſi non ſubſequitur critica evacuatio, vel quando accedunt ſigna ſuppurationis, corruptionis, aut ſphaceli, homines plerumque moriuntur; tentanda tunc eſt derivatio ad cutim, ut viſcera liberentur ab inquinante materia, per attrahentia topica, & interna ſudorifera. Poſt criſin & criticum tempus, ſemper mala eſt Anxietas, omnem fere medelam reſpuens.

XV. Omnis etiam acrimonia catarrhoſa, rheumatica, arthritica, podagrica, ſcorbutica, cruda, corrupta, chronica, præprimis in ſucco nervoſo, ad viſcera interna collecta, vel ad ea faciens metaſtaſin, anxietatem generans, ducenda eſt ad cutim per diaphoretica & ſudorifera, applicatis ſimul veſicatoriis, habita ratione cognitæ acrimoniæ.

XVI.

XVI. Sed mobilitate, hyſterica aut hypochondriaca paſſione laborantes a Convulſione in quodam organo ſubito corripiuntur Anxietate, quæ antiſpaſmodicis eſt curanda, parva copia, ſæpe repetita, datis.

XVII. Denique Sanguis alienus, craſſus, crudus, viſcoſus, tenax, lentore infectus, circulationi ineptus, paulo magis vel motu febrili vel muſculari inſtigatus, Anxietatem inducit, quæ ex nota ſpecie craſſitudinis detegenda & ſenſim curanda.

XVIII. Omnis Abundantia humorum, ſive hæreat in cavitatibus, ſive in viſceribus, impediens actionem particularem illarum partium, Anxietatem infert: unde poſt vulnera, contuſiones, in hydrope, obſtructione, alvo adſtricta, urina ſuppreſſa, intercepto exitu bilis, hydrope vel abſceſſu particulari, varice aut aneuryſmate interno, deficiente ſuctione in lactantibus, lochiis & menſibus retentis, anxietas, evacuatione contenti naturali vel artificiali levari ſolet.

XIX. Atque ex impedita actione illarum partium, in omni copioſiore evacuatione, & in ſumma debilitate, quibus contenti humores circumduci nequeunt, producta Anxietas, analepticis & roborantibus ſenſim eſt ſuperanda, ſuppreſſa illa nimia evacuatione.

XX. Ex quacumque cauſa fuit nata, ſemper parit inquietudinem, jactationem, debilitatem, perturbatam coctionem, agrypniam. Sed pro cauſa varia præſagit hæmorrhagiam, hæmoptyſin, vomitum, variolarum, & exanthematum eruptionem, alvi egeſtionem, abſceſſum, ſudorem, parotides, ſyncopen, delirium, convulſionem, abortum, partum, cutis morbum, criſin, paroxyſmum, recidivam.

XXI. Generalis curatio nulla eſt, quia ſemper reſpiciendum ad cauſas anxietatem inducentes.

149. INCUBUS.

I. Dum homo in dorſum ſupinus decumbens, capite præprimis declivi, obdormiens corripitur oppreſſione pectoris, ac ſi pondus huic inſiſteret, cum ſuffocata reſpiratione, anxietate, ex voluntate membra movere non potens, neque edere vocem, plerumque cum inſomnio terribili, quæ omnia corpore erecto vel in latus converſo evaneſcunt brevi, remanente terrore, palpitatione cordis, tremore, ſæpe cum pallore & ſudore frigido, is dicitur Incubo laborare.

Solus decubitus & ſomnus in ſanis non producit Incubum, neque Incubo obnoxius, eo corripitur morbo, niſi in tali decubitu dormiat: ergo prædiſponens & accedens requiritur cauſa ad producendum Incubum.

III. Nemo, niſi puer aut debilis eo corripitur morbo, & tunc frequentius ſi præcedant ventriculi oppletio, ebrietas, animi cura & pathema, aut vigiliæ protractæ. Quarum quædam debilitatem augent, aliæ vires obruunt & difficiliorem diaphragmatis deſcenſum pariunt: forſan in his debilior eſt ſinuum & chordarum Williſii actio, ad adjuvandum ſanguinis reditum ex encephalo.

IV. In tali prædiſpoſito morbo ſomnus, in quo omnes animi actiones languent, & ceſſant; & decubitus horizontalis in dorſum, quo viſcera ventris ſurſum tradunt diaphragma, atque ſpinalis medulla hæret in loco infimo a ſanguine circulante tunc maxime preſſo; atque caput ſupinum declive, quo promovetur ſanguinis fluxus per arterias, ſed reditus impeditur per ſinus laterales & finum quartum, unde ad encephali poſteriora accumulatio ſanguinis; dein tota anterior cerebri moles ſepto tranſverſo forſan laxiore ſuſtentanda, pariunt ſimul turgentia vaſa, comprimentia cerebrum, nervos ex cerebello, medulla oblongata & ſpinali provenientes ita premi, ut non ſatis liber habeatur per hos nervos ſpirituum fluxus ad cordis, & pectoris motum vitalem, & pulmonis actionem particularem, præprimis ſi ſimul diaphragmatis difficilior habeatur deſcenſus.

V. Ut præſens diſcutiatur, corpus invertendum & erigendum. Prævenitur evitando omnes cauſas debilitantes, impletionem corporis cubitum ituri, decubitum in dorſum : ſed præprimis per interna roborantia nervina, & externa cephalica, quæ languidiorem cerebri motum augent.

150. AGRYPNIA.

I. Ut diſtinguerem vigiliam morboſam a naturali, eam Agrypniam vocare volui, quæ agnoſcit morboſam cauſam, & protrahitur ultra debitum tempus, ut homo privetur eo bono, quo frueretur ex naturali Somni & Vigiliæ viciſſitudine.

II. Cauſæ vigilias protrahentes multæ ſunt; de iſtis, quæ in ſanis hominibus ſomnum intercipiunt, alibi egimus; de illis autem quæ ex morboſa cauſa deducuntur, hic acturi ſumus. Delibabimus præcipuas.

III. Omnes morbi acuti, ardentes, febriles, inflammatorii, eryſipelatoſi, varioloſi, morbilloſi, phrenitis, & ſimiles, majorem fluxum, & impetum humorum, præcipue verſus caput indicantes, magnum malum portendunt : notant enim valde turbatam cerebri actionem & magnam cauſam : præſagiunt delirium, phrenitidem, convulſionem, debilitatem, ſphacelum, niſi impetus ſedatur ſuperveniente hæmorrhagia in principio. Quare larga & repetita Venæ ſectio eſt celebranda; Alvus ducenda purgantibus antiphlogiſticis; danda Diluentia hypnotica; applicanda refrigerantia hypnotica capiti, & epiſpaſtica pedibus; ut temperetur impetus & derivetur ad inferiora.

IV. Dum morbi ardentes, inflammatorii, acuti, tranſeunt in ſuppurationem, vel abſceſſum, pertinaces vigilias inferunt, quæ compeſcendæ ſunt ſuppurantibus hypnoticis. Si vero pus confectum ſit, uti in abſceſſu, & empyemate atque phthiſi, conducit pus cohibentia hypnotica adhibere.

V. Si vero humor acer, calidus, bilioſus, caput petens, omnem ſomnum intercipit, quod ex mordaci calore, & evacuatione humoris calidi tenuioris conjicimus, non ita conducit venæ ſectio, ſed adhibenda Incraſſantia refrigerantia externa & interna : ſi hæc non ſufficiunt, quædam hypnotica ſunt addenda.

VI. Materia cruda, tenuis, acris, ſpontanea corruptione, in morbis chronicis catarrhoſis & ſcorbuticis, nata; vel retentus inutilis humor, per alvum, urinam, & perſpirationem evacuandus, ad cerebrum & nervos delatus, perſeverantem agrypniam infert, quæ Diaphoreticis hypnoticis eſt curanda : ſi autem alvus conſtipata fuerit, illa alvum laxantibus reſeranda.

VII. Si vero propter ſtimulum doloris, ut in dentitione infantis, acrimonia, anxietate, & ex animi pathemate, turbetur æquabilis ſpirituum fluxus, qui in ſomno requiritur, iteratis vicibus danda hypnotica ut compeſcatur. Si autem adſit acrimonia, his addenda, quæ cognita acrimonia exiget.

VIII. Ex quacumque cauſa, ſive morboſa, ſive voluntaria, vel ex neceſſitate, ſi protrahantur vigiliæ, ſemper turbant coctionem; generant acrimoniam; conſumunt ſpiritus; inferunt maciem, debilitatem, frigiditatem, horrorem, tremorem, vertiginem, & multos alios morbos chronicos : atque ex varia cauſa præſagiunt abſceſſum, convulſionem, delirium, hæmorrhagiam, parotides, phrenitidem, rhachitidem, ſiccitatem.

151. SOMNOLENTIA.

I. Major in ſomnum propenſio, quam ſanis eſſe debet, Somnolentia morboſa dicitur.

II. Ut naſcitur ex variis cauſis, ita differt prædictio & curatio : nam ſi proveniat ex ſanguinis abundantia, in juvenili ætate, hæmorrhagia ſuppreſſa, vita otioſa opipara, vernali tempore, vel æſtate ingruente calore, præſagit hæmor-

hæmorrhagiam, qua tollitur, vel dato purgante antiphlogiſtico diſcutitur.

III. Quæ poſt copioſiorem ingeſtionem alimentorum venit, evitando abundantiam diſparet, ſed in perſeverante uſu cruditatem præſagit.

IV. Opium, papaver, hyoſciamus, ingeſta ſomnolentiam inferunt, & in quibuſdam vinum, & ſpiritus fermentati, quæ diſcuſſa virtute adſumtorum evaneſcit, & levatur acidis.

V. Sed in acutis, febribus, vel variolis, & morbillis inſtantibus, notat encephali compreſſionem; ſi brevi non ceſſat, materia ducenda ad cutim, per Derivantia.

VI. Ex minori copia ſanguinis ad cerebrum delata, ut in corporis quiete, diſcutitur exercitatione ſenſuum & motu muſculari: ſed ob frigus glaciale ſubſiſtens influxus mortem minatur ſi corpus traditur quieti. Ex defectu ſanguinis poſt largiores evacuationes concedendus eſt ſomnus, qui temperat evacuationem, & circulatoria replet.

VII. Si vero naſcatur intercepto reditu ſanguinis per jugularia, uti in anginoſis, aliiſque tumoribus colli, & peripneumonia, periculo non caret, niſi reſtitui poſſit liber ſanguinis reditus.

VIII. Omnis materia inutilis, ut urina, & perſpirabilis, vel morboſa, podagræ, arthritidis, ſcorbuti, melancholiæ, ſcabiei, crudi, ad cerebrum tranſlata, periculoſam ſomnolentiam infert, quæ derivantibus eſt abigenda.

IX. Humor etiam quivis in encephalo collectus defectu abſorptionis, ſive ſit ſanguis, ſive ſerum, ſive pituita, ut in hydrocephalo, periculoſam ſomnolentiam infert, quæ veſicatoriis, derivantibus, venæ ſectione, alvi ductione, ſuffumigiis eſt abigenda, pro cognita indole humoris retenti.

152. SOPOR.

I. Ut in ſomno naturali ceſſant ſenſus externi & interni, atque motus animales, ita etiam in Sopore, a cauſa morboſa, vel ab adſumtis, ex quo ſomno aliquomodo poſſunt excitari, ſed protinus relabuntur.

II. Ex quibuſdam in his levioribus mutationibus, vel novis accedentibus phænomenis, in artis detrimentum, multa finxerunt nomina. Ex oblivione Lethargus; frequenti excitatione e ſomno Coma vigil; permanente autem ſomno Coma ſomnolentum; ſopor autem altus & vix excitandus Caros vocatur: ſi membra non manent laxa ut in dormientibus, ſed inſtar corporis congelati rigida Catochen aut Ecſtaſin vocant: ſatius fuiſſet ad diſtinctas cauſas nomina imponere.

III. Febres epidemicæ, eryſipelatoſæ, rheumaticæ, catarrhales, humorem corruptum calidum producentes, immutando ſpirituum naturam & opprimendo cerebrum, varias ſpecies ſoporis periculoſi non raro inferunt: quæ curandæ ſemel inſtituta venæ ſectione, clyſmatibus refrigerantibus injectis, veſicatoriis ad nuchas applicatis, atque internis antiphlogiſticis leniter adſtringentibus exhibitis.

IV. In febre autem acuta, continua, ardente, inflammatoria, impetu majore ad caput, periculoſus generatur ſopor, niſi plane in morbi principio, aut ſi veniat hæmorrhagia, alvi fluxus, urina copioſa ſedimentoſa. In hac ſpecie Venę ſectio repetenda, Alvus ducenda, Epithemata refrigerantia capiti applicanda, exhibenda diluentia antiphlogiſtica.

V. Hujuſmodi morbi ultra ſeptem dies durantes in Purulentiam abeuntes, ſi præbeant urinam ſedimentoſam copioſam, vel parotides laudabiles, ſæpe liberant: at vero eadem materia in Corruptelam tranſeuns, corrupta copioſe emittens, vel ſimilis materia alibi nata, ad cerebrum delata, plerumque interficit.

VI. In febribus, quæ per paroxyſmos exacerbantur, videndum, an ſit intermittens, quando finito paroxyſmo febrifugum eſt propinandum; ſi ſit remittens ex putredine, ſopor ut putredo calida curandus.

VII. Crudi humores, præcipue abeuntes in corruptionem chronicam, producendis ſpiritibus inepti, interdum generant ſopores diu perſeverantes, ſine vel cum exiliſſima febre, uti in ſcorbuticis, cachecticis, cacochymicis, valetudinariis. Hujuſmodi homines volatilibus naribus admotis, cephalicis applicatis ſunt excitandi, atque antiſcorbuticis, ſtomachicis, cruditas eſt emendanda.

VIII. Humores viſcoſi, pituitoſi, uti in leucophlegmaticis, œdematoſis, hydrocephalo, cerebrum opprimentes, ſunt reſolvendi & diſcutiendi per topica cephalica, epiſpaſtica nuchis applicata, ſternutatoria, apophlegmatizonta volatilia naribus adtracta; alvus interim ducenda purgantibus; & vomitoriis pituita ex ventriculo educenda.

IX. Sanguinis refluxus ex capite impeditus, ut in angina, peripneumonia, tumore quovis colli comprimente jugulares, periculoſiſſimum ſoporem infert, qui ſanguinis miſſione in vena etiam frontali, & reliquis auxiliis dictos tumores tollentibus eſt curandus ſubito.

X. Materia catarrhoſa gravedinem inducens ſi ſimul obſideat cerebrum, vel opprimat venas jugulares, exigit volatilia, ſternutatoria, veſicatoria & epiſpaſtica, quæ ſolvunt & eliciunt materiem: dein Diaphoreticis expellendum eſt catarrhoſum.

XI. Urinæ intercepta evacuatio ex quacunque cauſa, ut in nephriticis, lethalem ſoporem infert, niſi ſuppreſſionis cauſa poſſit tolli.

XII. Materia atrabiliaria turgens venæ cavæ tradita, & ad encephalum delata, ſoporem cum taciturno delirio inferre ſolet, quæ purgantibus diu datis ſuperari ſolet.

XIII. Si hæmorrhagiis, lochiorum, & menſium profluvio, aliiſve evacuationibus natus fuit tantus ſpirituum defectus, ut ſopor fiat, illa evacuatio eſt compeſcenda, abdomen ſuſtentandum, & æger nutriendus cibo analeptico.

XIV. In hæmorrhagiis, menſium, lochiorum, aliorumque humorum evacuatione ſuppreſſa ſi tanta ſit abundantia, ut cerebrum oppreſſum ſoporem inferat, conducit phlebotomia, purgante, & interdum vomitorio abundantiam tollere.

XV. In peripneumonia, aliiſque pulmonum morbis frequens & periculoſus ſopor generatur, qui ſupervenientibus parotidibus ſæpe ſolvitur.

XVI. Multi Morbi cerebri ſeu encephali, ut cephalalgia, apoplexia, delirium, ſanguis vel alius humor in encephalo effuſus vel collectus, periculoſum ſoporem inferunt, ablatione, & derivatione iſtius humoris curandum.

XVII. Tandem inveniuntur medicamenta largiori copia data, uti papaver, opium, hyoſcyamus, ſpiritus fermentatus, quæ profundum ſoporem inferunt, acidis, vomitoriis, & purgantibus ſuperandum.

153. INSOMNIUM.

I. Senſuum Internorum & interdum muſculorum voluntariorum agitatio, cum vel ſine reminiſcentia, in dormientibus, vocatur Inſomnium.

II. Hoc ſi fiat in Sopore, aut in Vigilantibus ſine mentis voluntate, ad Delirium refertur.

III. Poſt ſtudia ſevera, animi curam, & pathemata, negotia peracta, præcipue inſtante ſomno, ob remanentem vividiorem rerum memoriam, ſæpe fit inſomnium; quare illa inſtante ſomno evitanda.

IV. Impetu etiam majore ſanguinis ad caput, in febribus, acutis, hæmorrhagiam narium, phrenitidem & alia capitis mala, præſagiunt Inſomnia, quæ venæ ſectione & alvi ductione compeſcuntur.

V. Interdum ex Conſenſu adfectæ partis, & maxime ventriculi, encephalon in dormientibus commotum, Inſomnium infert, quod anodyno compeſcitur.

VI. Materia melancholica ad cerebrum delata Inſomnium horrendum inferens,

rens, alvi ductione eſt eliminanda; ſed humor ex corruptione chronica eo delatus, roborantibus antiſepticis eſt emendandus.

VII. Si ingeſta copioſiora Inſomnium inferunt, iſtud parciore diæta facile prevenitur: ſed vinoſa, ſpirituoſa, & narcotica Inſomnium inferentia poſtea ſunt evitanda.

VIII. Inſomnium 1. non concedens æqualem & tranquillam circulationem, producit debilitatem, laſſitudinem, corporis gravitatem, capitis & oculorum oppletionem, cruditatem: atque in evigilantibus relinquit interdum actiones perturbatas tam animi quam corporis, ſi vehemens fuerit. 2. Pro diverſitate cauſarum ex eo prædicimus hæmorrhagiam, phrenitidem, delirium, metaſtaſin, metamorphoſin humorum. 3. An alia ſuperſtitioſa præſagiant, hominibus credulis relinquimus.

IX. Qui evitat cauſas Inſomnium inferentes, & veram allegatis morbis adhibet medelam, ex arte curat Inſomnia.

154. DELIRIUM.

I. Dum homo quaſi vigilans, aliena cogitat, percipit, molitur, aut agit, a cauſa morboſa, atque non valet ratiocinio ſuo iſtud emendare, Delirare præcipitur.

II. Quæ cauſæ, tam internæ, quam externæ, tam adlatæ, quam in corpore natæ 1. ſpirituum fluxum turbant: 2. ſpiritus nimis detrahunt: 3. eorum naturam invertunt, Delirium inferre ſolent.

III. Contuſiones, concuſſiones, fracturæ & vulnera capitis, cranii, omniumque partium encephali, tam valida, ut deſtruantur partes, periculoſiſſimum Delirium inferunt, plerumque terebratione, phlebotomia, & alvi ductione iterata, compeſcendum.

IV. Si ab iiſdem, vel aliis internis cauſis, humor colligatur in encephalo, producens cephalalgiam, agrypniam, inſomnia horrenda; vel torporem, ſtuporem, ſoporem, ſurditatem, cæcitatem, adipſiam, anodyniam; vel capitis gravitatem aut hydrocephalon, maxime ſi ſimul accenditur febris, generatur ſæpe Delirium, quod ichoris evacuatione per aures & nares, aut alvi fluxu ſuperveniente tollitur. Inde repetita alvi ductio, & applicatio veſicantium, ad ſcapulas, & diſcutientium ad caput, eſt adhibenda: conveniunt etiam fonticuli & ſetacea.

V. In doloribus & anxietate, diaphragmatis, hepatis, inteſtinorum, hypochondriorum, extremarum, lumborum, aurium, dentium, mammarum, uteri, ventris, colli, ut & in convulſione, tremore, ſingultu, ſuffocatione, ſi propter conſenſum generatur delirium, compeſcendus eſt ille motus anodynis: ſed quando ob translatam materiam æger delirat, revocandus eſt humor ad priora loca.

VI. Quod ex inflammatione, aut eryſipelate meningum aut cerebri naſcitur, pulſatione, febre acuta, ardore ingenti, præcipue capitis, cognoſcitur: brevi tempore necat: promta adhibenda auxilia: in repetita venæ ſectione, alvi ductione, & applicatione antiphlogiſticorum quærenda curatio.

VII. Morbi acuti, ardentes, inflammatorii, febriles, vel & eryſipelatoſi per totum corpus, aut in parte ſpeciali, ſævientes, ut in angina, peripneumonia, pleuritide, variolis; ſive per conſenſum encephalon turbent, ſive materiem eo transferant, ſemper delirium malum inferunt, minus tamen quam præcedens lethale: iiſdem quoque auxiliis, alvi ductione, venæ ſectione, antiphlogiſticis, diluentibus eſt compeſcendum.

VIII. Ex plethora poſt menſium, vel hæmorrhagiarum ſuppreſſionem natum Delirium, ſanguinis quavis evacuatione facile tollitur: ſed ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis, exigit revocatum fluxum, vel alvi ductionem, ut & illud quod ex alvo adſtricta oritur: verum ex urinæ & materiæ morbi ſuppreſſione

natum,

natum, non facile tollitur, nisi reserata suppressione, & artificiali apertura.

IX. Materia biliosa, acris, calida, maligna, colliquativa, febrilis, corrupta, ad encephalum delata, turbans spirituum motum, non facile emendanda vel evacuanda, periculosum delirium infert, quod acidis, leniter adstringentibus, refrigerantibus sensim est superandum, servata alvo laxiore.

X. In morbis purulentis raro fit delirium, nisi pus abierit in ichorem: inde ob metastasin & ob metamorphosin materiæ periculum portendit; antisepticis, cardiacis, & evacuatione ichoris superandum.

XI. Materia melancholica in vena portarum collecta, circulantibus mista, si turbat animum, diuturnum Delirium, quod sanguinis missione firmatur, inducit, sed continuata modica alvi ductione superandum.

XII. Post longam valetudinem, debilitatem, febrem diu toleratam, alioque morbos chronicos, quædam Delirii species generatur, quæ omnia evacuantia respuit, sed roborantibus antisepticis calefacientibus, quæ simul laxam servant alvum, curanda.

XIII. Non multum ab hoc recedere videtur, quod sequitur hæmorrhagiam, mensium & lochiorum profluvium, sed medicamentis analepticis, stomachicis, roborantibus curandum.

XIV. Forsan animi perpetua cura, studium, tristitia, simili modo exhauriunt spiritus, & tandem invertunt naturam: terror autem magis videtur turbare motum. In prioribus omissis causis, sponte cedit, sed ex terrore natum phlebotomiam largam postulat.

XV. Aliena, spirituum naturam immutantia, corpori communicata, ut morsus canis rabidi, ictus tarantulæ, vix superabile delirium inferunt: stramonium, opium, in fervidis regionibus, cicuta aquatica, aliaque philtra nisi mature vomitorio ejiciantur, periculosissima sunt. Sed a spiritibus fermentatis inductum delirium sponte evanescit; interdum vero perseverat, non nisi longa abstinentia superandum.

XVI. In deliraturis observatur facies tumens rubens; circa nares gravitas; capitis pulsatio; oculi rubri, truces, scintillantes, agitati; lingua tremula; fauces graciles dolorosi; hypochondriorum & ventris pulsatio, contractio; motus inordinati; palpitationes.

XVII. Sæpe post sudores colliquativos suppressos; sputationem frequentem; lachrymarum stillicidium; vomitum æruginosum; urinam tenuem coloratam, vel turbidam, vel cum suspensione sursum tendente, aut nigra vel viridi, emissam, generatur Delirium periculosum.

XVIII. Post insuetam corporis agitationem; alienam ferocem responsionem, vocem clangosam, tremulam; decubitum in ventrem insuetum; dysphoriam, inquietudinem; somnum turbulentum; insomnia horrenda; visum & auditum alienum; respirationem inordinatam; pulsum fortem, generatur Delirium, quod utplurimum mortem præsagit.

155. PHRENITIS.

I. Perpetuum Delirium cum febre continua, a causa inflammatoria vel erysipelatosa, partes encephali obsidente, vocant Phrenitidem: sed ab iisdem causis atque febre per consensum vel metastasin perpetuum delirium facientibus nata, Paraphrenitis audit.

II. Meningum reliquarumve partium encephali inflammatio aut erysipelas, quo turbatur sensus organum in capite, veræ Phrenitidis est causa.

III. Generatur illa utplurimum in ætate juvenili, tempore vernali & æstivo, post spirituosorum, vini, calefacientium, alexipharmacorum, sudoriferorum abusum, vehementia animi pathemata, cephalalgiam, auctam circulationem, exer-

exercitium validum, in tempeſtate ſicca & calida, quibus parte encephali nimis agitantur.

IV. Vel quando materia eryſipelatoſa aut inflammatoria, aliunde nata, fertur ad encephalum, vel id in conſenſum trahit, cum febre acuta continua, uti in acutis, febribus continuis, ardentibus, pleuritide, peripneumonia, variolis, morbillis, ſcarlatina, morbo hungarico, epidemico, paraphrenitide, angina, ſopore.

V. Priuſquam morbus ſedem fixit, præcedere ſolent leve delirium, ſecretionis & excretionis ſuppreſſio, oris ſiccitas, faciei rubor, tumor, oculorum rubedo, intumeſcentia, viſus ſcintillarum, vertigo, agrypnia, capitis & colli pulſatio & tenſio, tinnitus aurium, inquietudo, ulcerum detumeſcentia, dyſphoria, hæmorrhagia nulla, inſomnia horrenda, urina tenuis vel ſuppreſſa.

VI. Ab ita occupato encephalo generatur ſemper febris continua acuta, plerumque cum feroci delirio, interdum vero mitti & taciturno; ſæpe adeſt anodynia, adipſia, ſtrepitus inter potandum, alvus adſtricta, iſchuria, inquietudo, geſticulatio manuum inſolita, decubitus in ventrem; calor urens corporis, aut extremorum frigiditas; catoche, ſopor, ſcreatio frequens; torvus aſpectus; pulſus durus, frequens; reſpiratio anheloſa; ſtridor dentium; convulſio; narium ſtillicidium; tremor.

VII. Si illa ſigna minuuntur, ante 4. vel 7. diem obrepit ſomnus naturalis; redditur urina cum ſatis copioſo & laudabili ſedimento; alvi fluxus copioſus; vel ſupervenit hæmorrhagia ſatis larga, hæmorrhoidum aut menſium fluxus; varices; vel concitantur parotides aliive abſceſſus ad inferiores partes; vel denique dolor ad partes ignobiliores, quibus liberari ſolent.

VIII. Si vero dicta non veniunt ſuo tempore, intenduntur que præſentia ſigna; & augetur inquietudo, aut inſenſilis quies, agrypnia; detumeſcentia ulceris, alvus adſtricta, urina ſuppreſſa vel involuntarie emiſſa, mutatio frequens, narium ſtillicidium ſine ſequente hæmorrhagia, horror, rigor, aphonia, mors cito eſt exſpectanda.

IX. Ex cognita morbi cauſa & naturali ſolutione ſequentia ſunt agenda. 1. Statim inſtituenda phlebotomia & repetenda ſi requiritur. 2. Alvus ducenda purgantibus antiphlogiſticis. 3. Copioſe ingerenda diluentia antiphlogiſtica. 4. Capiti applicanda refrigerantia. 5. His non cedentibus ad Derivantia & dein Anodyna perveniendum.

TITULUS II.

MOTUS MORBOSUS.

Motus in partibus firmis, & fluentibus ſequitur leges mechanicas & hydraulicas: ſed in ſolidis inſuper deteguntur ſpeciales actiones vitales. Inde morbi referri poſſunt ad partes firmas & fluentes. In firmis eſt 1. *Motus major ordinatus aut inordinatus.* 2. *Minor in organis omnibus, vel ſolo animali.* 3. *Exſtinctus.* 4. *Alienus voluntarius vel involuntarius validior aut debilior.* 5. *Varius in motu vitali. In fluentibus referuntur ad humores* 1. *Circumductos.* 2. *Redeuntes.* 3. *Emiſſos.*

156. MOTUS MAJOR.

I. Partes motu vitali donatæ, in ſanis alterna conſtrictione cum certa potentia & frequentia agitatæ, ſi ab aliqua cauſa inſtigatæ ſe validius moveant, Motum majorem producunt. Actio autem animalis vel particularis ex morboſa cauſa ſe validius movens, ad Convulſionem utplurimum refertur.

II. Ve-

II. Vehementior fit ille motus 1. a cauſa mechanica in frictione, vectione, concuſſione, ambulatione, exercitio, equitatione. 2. Irritamento applicato in acrimonia, calefacientibus, moventibus, rubefacientibus applicatis; morbis inflammatoriis, eryſipelatoſis, acutis, putridis, calidis, febre. 3. Privatione munimenti, ut in ablatione cuticulæ, epithelii, muci tegentis. 4. Impetu interno humorum majore ſolida diſtendente. 5. Spirituum fluxu majore, animi pathematibus, aliiſve cauſis concitato.

III. Ita diu agitatæ partes firmæ ſe ipſas deterunt, producunt calorem, callum; ſpiritus conſumuntur, qui huic motui inſerviunt, unde debilitas, laſſitudo; adjacentes humores majore velocitate & impetu urgentur; humoris craſſioris pulſio in vaſcula anguſtiora, qua pars tumet; tenuioris expulſio; crudorum adſimulatio, chyli citior ſubactio; pituitoſi reſolutio; albuminoſi & gelatinoſi compactura in lentorem; pinguedinis conſumtio, & inverſio; vaſculorum nudorum ruptio.

IV. In curatione omnes cauſæ mechanicæ evitandæ, imperanda quies. Tollendum vel emendandum omne irritamentum. Partes nudatæ blando mucilaginoſo & molli pinguedine tegendæ. Impetus internus ſedandus evacuatione ſine ſtimulo, refrigerantibus, ſaponaceis aceſcentibus, nitroſis, fructibus horæis, laxantibus, humectantibus, anodynis. Animi pathemata emendanda.

157. PULSATIO.

I. Tam valida cordis vel arteriarum ordinata agitatio, quæ pulſui naturali reſpondet, ut in locis, ubi in ſanis non detegitur naturalis pulſus ad attactum, manifeſte ſentiri poſſit, vocatur Pulſatio.

II. Generatur illa 1. Motu muſculari majore, præcipue ſi adſit tenacitas, craſſitudo, pituita, lentor, quæ evaneſcit corporis quiete. 2. Stimulo applicato ad partem aliquam internam, qui removendus, vel emendandus. 3. Partis alicujus inflammatione aut eryſipelate. 4. Impetu majore circulatorio per totum corpus vel in quodam arteriæ ramo, quæ ſæpe hæmorrhagiam præſagit, qua tollitur, & phlebotomiam inſtituendam eſſe indicat, ut in acutis, ardentibus, febribus. 5. Impedito tranſitu per extremitates arteriarum. 6. Metamorphoſi humorum, quæ metaſtaſin præſagit in acutis, ſed in parte podagrica doloris diminutionem.

III. Varia inde fiunt. 1. Ex diverſa cauſa. 2. Ex loco ubi ſentitur pulſatio.

IV. Curatio ad cauſas & partem adfectam dirigenda.

158. CALOR CORPORIS.

I. Calor corpori ſano naturalis, qui inter 70. & 90. gradus ad thermometrum conſiſtit, ſi ultra illum terminum evehitur, dicitur morboſus: ſed multum ſuperans vocatur Ardor, Fervor, aut Æſtus.

II. Qui vero homines ſimilem percipiunt in ſuo corpore ſenſum ſine tali calore ad thermometrum, hi ſenſu caloris, non vero calore ipſo laborant.

III. Temperatus ſuavis & æqualis calor laudatur. Mitis extinctione virium. Inæqualis idem, vel ſpecialis partis adfectionem. Acris putredinem. Ardens inflammationem aut eryſipelas. Hecticus corruptelam. Viciſſim cum frigore ingruens, recaleſcentia, remittens & incertus, morbi frequentem recrudeſcentiam denotat.

IV. Calor major morboſus optime detegitur. 1. Thermometro applicato. 2. Manu. 3. Relatione ægri. Conjicitur ex Pulſu duro frequenti; Reſpiratione citata & calido emiſſo aere; Urina rubra; Morbis & cauſis majorem calorem inducentibus.

V. Corporis calor augetur. 1. Actu calidis ingeſtis vel applicatis. 2. Detra-

tractione refrigerii. 3. Motu inteſtino in humoribus. 4. Motu vitali aucto.

VI. Evehitur Calor corporis per aerem, aquam, & corpora ſolida calefacta applicata vel ingeſta: quando periculoſum eſt, protinus adhibere frigida.

VII. Corpus ex naturali vel morboſa cauſa pluſquam aer ambiens incaleſcens, ſi privatur illo refrigerio, ſive quod aer ſit calidus vel corpus obtegatur ſtragulis, idem fit ac ab actu calidis.

VIII. In fermentatione, effervescentia, putredine, colliquatione, aliaque corruptione, qua naſcitur nidor, putor, rancor, acor, per motum inteſtinum in maſſa liquida, generatur ſemper mordax & morboſus calor, qui præveniendo & exſtinguendo ſpeciales illas corruptiones, tandem ſuperatur.

IX. Dum motu muſculari aucto in exercitiis, vel frictionibus augetur calor, ſenſim inducenda quies & exhibenda diluentia tepida.

X. Sed motus vitalis inſtigatus a calefacientibus, ſtimulantibus, aromaticis, acribus, ſpirituoſis, uſtione, manente cauſa ſenſim magis intenditur, ea autem ablata ſenſim temperatur, quare ſtudendum ut tollantur hæ cognitæ cauſæ.

XI. At vero ſi morboſa interna cauſa ſimili modo irritando, uti in acutis, febribus, inflammatione, eryſipelate, bile corrupta, cholera, variolis, morbillis, ſcarlatina, pleuritide & ſimilibus nimium calorem infert, quia cauſa tolli nequit, temperandus eſt venæ ſectione, diluentibus antiphlogiſticis.

XII. In abſceſſu, ſuppuratione, phthiſi, hectica, empyemate, leipyria, remittentibus, typho, antiſepticis refrigerantibus temperandus calor.

XIII. In cacochymia, febre lenta, ſcorbuto, defectu humorum, hydrope, evacuatione nimia, diabete, alvi fluxu, hæmorrhagiis, temperanda evacuatio, & emendanda corruptela antiſepticis, roborantibus.

XIV. In permanente motu vitali ſi vaſa anguſtiora fiunt in ligatione, compreſſione, contractilitate aucta, obſtructione, ſponte evaneſcit ſublatis cauſis.

XV. Calor ille major in corpore natus varia producit aut præſagit. 1. Ex varia ſpecie caloris. 2. Ex cauſis calorem inducentibus. 3. Ex parte a calore maxime vexata. 4. Ex majore vel minore caloris gradu. Quare nihil ſpeciale ſine prægreſſa cognitione prædici poteſt.

XVI. Optima curatio conſiſtit in ſenſim ablata cauſa calefaciente; aut ſi tolli non poſſit, ut præveniantur mala ex majore calore exſpectanda.

159. INFLAMMATIO.

I. Globulorum rubrorum ſanguinis introitus in arterias lymphaticas, præbens tumorem rubrum, dolentem, ardentem, non facile digitis prementibus cedentem, perſiſtentem, vocatur Inflammatio. Hæc in parte ſpeciali tam vehemens ut interitum minetur, Gangræna vocari ſolet.

II. Generatur. 1. Frictione continuata. 2. Acribus calefacientibus applicatis. 3. Irritamento læſionis in vulnere, punctura, contuſione, adtritu. 4. Humore acri interne applicato. 5. Irritamento partium nervoſarum.

III. Hoc acre 1. Per totum corpus diſperſum, producit febrem acutam ardentem, ſiccam, cum pulſu duro frequenti, ſanguinem compingit in lentorem. 2. In parte externa viſibili ſua propria præbet characteriſtica ſigna. 3. In parte latente & organis internis, non conſpicitur color aut tumor; in parte, quæ ſimul intercipit circulationem ſpirituum vel ſanguinis, fit pulſus mollis; atque pro functione varia partis obſeſſæ, multa ſpecialia inducit ſymptomata.

IV. Evaneſcit 1. Si diu non duravit inviſibiliter. 2. Diutius durans tollitur critica evacuatione per ſudorem, urinam, ſputum. 3. Perſeverans optime curatur ſuperveniente ſuppuratione. 4. Alias abit in Indurationem. 5. Corruptionem, vel Sphacelum. 6. Quandoque producit metaſtaſin, vel propagationem.

V. Inflammatio ad Reſolutionem eſt deducenda, iterata & larga vena ſectione; purgantibus antiphlogiſticis; ingeſtione diluentium, refrigerantium, reſolventium.

tium . Quam primum metamorphosis est facta , ex inducta mutatione curatio petenda .

160. ERYSIPELAS.

I. Globulorum rubrorum sanguinis introitus in arterias lymphaticas , præbens parum elevatum tumorem , calentem , magis mordacem quam ardentem , dolorem ad pruritum accedentem , facile locum mutantem , vocatur Erysipelas .

II. Generatur . 1. Prohibita perspiratione in aere humido , frigido , pinguibus applicatis . 2. Spontanea corruptione pinguium & excrementitiorum humorum , cacochymicis , debilibus , biliosis , scorbuticis , putridis , purulentis , & post pinguium , oleosorum & spirituosorum abusum . 3. In parte speciali excitatur applicato ichore , pure , lympha , corruptis ; acribus , rancidis , calefacientibus , rubefacientibus applicatis ; circa cancrum , cariem , fistulas , & ulcera frequens , ab effluente & stagnante ichore .

III. Humor hic 1. Coctionis incapax critica in urina non præbet signa , diutius retentus redditur acrior . 2. Per totum corpus dispersus producit morbum acutum , calidum , febrilem , continuum , vel tritæophyen , cum pulsu frequenti celeri , non duro ; sanguis emissus vix concrescit ; potius ichorem quam pus generat . 3. In parte speciali visibili collectus infert tumorem latum , vix elevatum , rubrum ad flavedinem vergentem , qui color digito prementi facile cedit & redit , cum calore mordaci , vix pulsante , sed locum facile mutante . 4. In parte & organo particulari tam multa ex turbatis illarum partium functionibus producit symptomata , ut describi non possint .

IV. Humor ille tenuis acer , & calidus ad cutim hærens , absorbentibus est auferendus . Nimius calor refrigerantibus adstringentibus est temperandus . Interne danda antiseptica adstringentia cum anodynis .

161. CONVULSIO.

I. Violens , morbosa , invita , constans vel intermittens organorum moventium , a spiritibus influentibus , contractio , Convulsio appellatur .

II. Hæc in morbis encephali , phrenitide , catoche , sopore , agrypnia , cephalalgia , impetu majore ad caput , delirio , insomniis horrendis , parvis parotidibus , vertigine , feroci excitatione e somno , veniens ; superveniente hæmorrhagia larga narium , mensium , hæmorrhoidum ; alvi fluxu copioso , urina cruda hypostatica ; parotidibus magnis suppurantibus ; & in pueris variolarum eruptione , utplurimum compescitur . Hinc phlebotomia , alvi ductio , derivantia , epispastica pedibus applicata , cum refrigerantibus & humectantibus , hanc speciem curant . Humor autem acer pituitosus , lymphaticus , ichorosus encephali , evacuatione per aures , os , & nares sublatus , liberavit hominem : quare errhinis , vesicatoriis , & alvi ductione curatio tentanda . Exostosis , nodus , tophus , mala cranii conformatio , sinus venosus cartilagineus , hæreditas , omnem curationem respuunt : sed præpostera obstetricis pertractatione , fractura cranii & partu difficili inducta , curatur chirurgica operatione .

III. Quæ fit evacuatione nimia , in omni hæmorrhagia , alvi fluxu , diabete , puris , vel lymphæ acervata effusione , exigit boni humoris suppressionem , cum abdominis sustentatione ; sed mali humoris temperanda est evacuatio .

IV. Post alvum diu adstrictam , ischuriam , puris , ichoris , lymphæ , lochiorum , hæmorrhoidum , mensium suppressionem , meconium retentum , si generatur Convulsio , illæ evacuationes sunt promovendæ , quando sponte cessare solet .

V. Morbi acuti , febriles , ardentes , inflammatorii , erysipelatosi , putridi , variolæ , morbilli , maligni , purulenti , materiem ad encephalon deponentes , pericu-

riculoſam Convulſionem inferunt, quæ epiſpaſticis ad pedes, & alvi ductione eſt curanda. Sed in chronicis, catarrhoſis, podagricis, arthriticis, ſcorbuticis & ſimilibus materia revocanda ad priora loca.

VI. Ex dentitione, torminibus ventris, calculo renum, vermibus, punctura nervorum vel tendinum, alienis ad partes nervoſas hærentibus, aut dolore vehementi in aliqua parte proveniens Convulſio, ſi cauſa tolli non poteſt, anodynis nervinis compeſcenda.

VII. Quibuſdam hyſtericis, hypochondriacis, tenuitate & acrimonia gelatinæ laborantibus, debilibus, tanta eſt partium mobilitas, ut ſæpe ſine prophaſi in Convulſionem incidant, quæ nervinis, reſinoſis, balſamicis, anodynis, & alcali volatili eſt compeſcenda; dein roborantibus nervinis curanda.

VIII. Hic morbus quia præbet viſibilia phænomena, variis inſignitur nominibus. 1. Si faciat motum Tonicum vel Clonicum. 2. Senſum ſimul exſtinguens ad Epilepſiam refertur. 3. In ventre incipiens ad gulam tendens, ſtrangulationem inferens Hyſterica vel Hypochondriaca adfectio appellatur. 4. Muſculos anteriores corporis adficiens Emproſthotonos, poſteriores autem Opiſthotonos, membra rigida faciens Tetanos vocatur. 5. Solitarium hunc vel illum muſculum trahens tonice Spaſmus, ſed in lumbis Lumbago dicitur. 6. Vage vero oberrans ad Spaſmum flatulentum refertur. 7. Membra movens inſtar ſaltantium, ſingulis annis, media æſtate redeuns, circa decimum ætatis annum, Chorea St. Viti vocatur. 8. Similem fere producens membrorum agitationem a morſu Tarantulæ, Tarantiſmus audit. 9. In Capitis membranis ſæviens ad Cephalalgiam vel Clavum hyſtericum refertur. 10. In facie & ore producit Spaſmum Cynicum, Riſum Sardonium, Stridorem dentium, Oris clauſuram & torturam. 11. In faucibus Aphoniam, Suffocationem, Anginam. 12. In Corde Palpitationem, Aſphyxiam, Syncopen. 13. In Pulmonibus & organis reſpirationis Aſthma, Incubum, Vociferationem, Tuſſim clangoſam. 14. In Ventriculo Nauſeam, Vomitum, Ructum, Cardialgiam. 15. In Meſenterio & Inteſtinis Colicam, Chordapſum, Flatus, Murmura, Teneſmum, Dyſenteriam ſiccam, Tympanitidem, Crepitum. 16. In Urinæ viis Iſchuriam. 17. In genitalibus virorum Satyriaſin aut Priapiſmum. 18. Feminarum Suffocationem, menſium & lochiorum ſuppreſſionem, atque partum difficilem.

IX. Præter varios nominatos morbos multa mala inducit, uti dolores; evacuationem ſuppreſſam; circulationem exſtinctam, turbatam; diſtorſionem, luxationem; ruptionem; livorem; morbi incrementum, & alia.

X. Morbus hic ex variis cauſis natus nullum admittit generale antiſpaſmodicum; ſed medicamenta dirigenda ad cauſas: in genere autem nervina balſamica, reſinoſa conveniunt.

162. EPILEPSIA.

I. Illa ſpecies convulſionis, in qua homines, ceteroquin quoad ad externa ſigna, ſani ſubito corripiuntur, & aliquoties per incerta intervalla, vehementi muſculorum motus animalis contractione, qua membra & partes vario modo detorquentur, cum omnium ſenſuum internorum & externorum exſtinctione, Epilepſia vocatur.

II. Si mente conſtantes manent, levior habetur ſpecies, & ad hyſtericam hypochondriacam paſſionem refertur.

Si muſculi non ita contrahuntur, ſed homines quaſi alto ſomno, brevi tempore durante opprimuntur, ad Catalepſin vel Soporem referunt.

Ad prognoſin & curationem juvat diſtinguere in idiopathicam, & ſympathicam; recentem & inveteratam; puerorum & adultorum; hæreditariam, connatam & poſtea natam.

III. Ex lege vitali omnis pars mobilis irritata ſe magis movet: inde valida

totius cerebri vel medullæ oblongatæ irritatio, ante unionem cum cerebelli fibris, hujus eſt cauſa: quæ ſimul ita comprimit cerebrum, ut per nervos ſenſuum ſiſtatur ſpirituum fluxus.

IV. Cauſa irritans remotior non afficit organum vitale, quia fit ſine febre, & a febre ſuperveniente interdum ſuperatur: permanens autem eſt, quia raro ante mortem evaneſcit.

V. Cauſa chronica aliena in encephalo hærens, ſive ſit mala configuratio oſſium; ſive tumores duri aut partium encephali induratio; ſive humor acer in encephalo ante paroxyſmi invaſionem in partibus externis vel internis aliquam commotionem exhibere ſolent, aut ſine prophaſi ex improviſo cadunt. Raro hujuſmodi Epileptici curantur, niſi ultima ſpecies, evacuatione per aures & nares humoris acrioris. In hac igitur ſpecie per veſicatoria, fonticulos, ſetacea, apophlegmatizonta, ſternutatoria & alvi ductionem tentanda eſt curatio, an forſan eſſet ille humor acer, qui derivando potuiſſet evacuari.

VI. Quæ autem fit ex lochiis, menſibus, hæmorrhagiis, hæmorrhoidibus, alvo, urina, perſpirabili, meconio, fluxionibus quibuſvis ſuppreſſis, antequam habitualis fuit facta, per revocationem ſuppreſſæ evacuationis eſt curanda, quod ſæpe evenit.

VII. A vermibus inteſtinorum, fecibus induratis, torminibus ventris, cardialgia, dentitione, nervorum, tendinumque punctura, aut aliarum partium dolore vel læſione valida, ante paroxyſmi invaſionem prægredi ſolent ſymptomata partis læſæ, quæ ſenſim ad cerebrum propagata paroxyſmum inferunt. Concitans cauſa tollenda, ſi autem tolli nequit, anodynis nervinis, aut compreſſione ſupra nervum propagantem, conſenſus eſt minuendus.

VIII. Acrimonia acida, cruda, ſcorbutica, catarrhoſa, bilioſa, melancholica, hyſterica, in partibus remotioribus irritans vel ad cerebrum delata, in principio generat curabilem Epilepſiam, auferendo irritantem cauſam per appropriata medicamina.

IX. Mobilitate diu laborantes, quam utplurimum acquiſiverunt animi pathematibus, cura, ſtudio ſeveriore, frequenti ebrietate, vita intemperata, veneris abuſu, evacuationibus copioſioribus, tandem veram Epilepſiam patiuntur; quam curamus nervinis, reſinoſis, balſamicis, roborantibus.

163. MOTUS MINOR.

I. Partes firmæ in hominibus viventibus languidius vel minori potentia ſe moventes, quam in ſanis requiritur, præbent morbos ex Motu Minore.

II. Hoc fit 1. ab omnibus cauſis debilitatem inducentibus, cujus curatio ex proprio titulo petenda. 2. Motu muſculari nimis omiſſo, in otio, quiete, ſomno longiore; quando debito exercitio recuperari poteſt. 3. Solidorum laxitate, inertia, rigiditate, humiditate, minuta contractilitate, cujus curatio ex cauſis patet. 4. Humorum abundantia, maxime pituitæ, lymphæ vappidæ, qui humores ſenſim evacuandi. 5. Humorum defectu deſtruente æquilibrium, quando nimia evacuatio compeſcenda, dein corpus nutriendum eupeptis, & roborandum. 6. Humorum ineptitudine in nimia craſſitudine, tenuitate, tenacitate, crudita-te, aliena indole: qui morbi prius ſpeciali methodo curandi. 7. Abuſu nitri, antimonii, mercurii, aquæ tepidæ, opii, refrigerantium, atque calore majore, & frigore applicato: quæ cauſæ evitandæ. 8. Animi pathematibus ad triſtitiam vergentibus: hæc emendanda, fugienda; terror autem venæ ſectionem poſtulat. 9. Minuta actione movente in acrimonia, acida, cruda, nitroſa, ſpeciali contagio in epidemicis, peſtilentialibus; quæ diminutio ex allegatis cauſis cognoſcenda & curanda.

III. Ex hoc motu languidiore varia fiunt. 1. Ex diverſa cauſa ſi producatur. 2. In hac vel illa parte, vel corpore toto ſi fiat. 3. In diverſo minus moto

moto humore . 4. Ex ſubſequente varia humorum metamorphoſi .

IV. Minuitur inde circulatio , ſecretio , excretio , coctio ; hinc cruditas , concretio , frigiditas corporis , gravitatis ſenſus , pulſus debilis , arteriæ fere vacuæ , venæ pleniores , collectio in tunica celluloſa , humorum inviſcatio , ſtagnatio , ſomnolentia , hydrops , leucophlegmatia , varia humorum metamorphoſis per ſpontaneam corruptelam ſenſim inducta , unde cacochymia , colliquatio , pallor .

V. Poſt ſublatas vel evitatas cauſas . 1. Augendus motus frictione , vectione & motu muſculari . 2. Danda medicamenta calefacientia , ſtimulantia , roborantia , in principio parva doſi ſimul . 3. Prævenienda ſpontanea corruptio antiſepticis calefacientibus .

164. DEBILITAS.

I. Minus valens aut conſtans agendi potentia , in motu animali , vitali , vel particulari , vocatur Debilitas , quæ etiam ad viſum & auditum minus validum refertur . Hæc non admodum gravis , verum diu durans , utplurimum Valetudo adverſa appellatur .

II. Illa ex humorum defectu nata , poſt copioſiorem evacuationem , vel ingeſtionem parciorem , curanda cibo eupepto , parva copia ſimul , cum ſtomachicis & antiſepticis dato , ſublatis dictorum morborum cauſis , & minuta evacuatione .

III. Tanta humorum bonorum copia in toto corpore , qui ſuperant vires moventes , tollitur facta largiore quacumque evacuatione . In malis & morboſis humoribus per conveniens organum eliminandus humor . In chyli autem organis , vomitorium & purgans ſufficit , ſi natura ſponte non moliatur evacuationem .

IV. Humores ad producendos ſpiritus inepti , corruptione , colliquatione , putredine , cruditate , craſſitudine , lentore , pituita , lympha , mucore , producentes debilitatem , ſpeciali egent curatione .

V. Partes encephali oppreſſæ ab impetu majore , liberantur hæmorrhagia , alvi fluxu vel parotidibus , quod arte imitandum : ſed ab humore in encephalo collecto , potius evacuatione per aures , nares & fauces liberantur , in qua ſpecie veſicatoria & alvi ductio conveniunt .

VI. Solida laxata & languidius mota ad validiorem motum inſtiganda volatilibus , ſpirituoſis , roborantibus .

VII. Debilitatis effectus tam numeroſi ſunt ut deſcribi nequeant : nam differunt in organo vitali , particulari , & animali , & in quavis parte ſpeciali . In genere exſpectamus cruditatem , ſpontaneam corruptionem , frigiditatem , cachexiam , ſcorbutum , pituitam , rhachitidem , acrimoniam acidam , catarrhum , leucophlegmatiam , febrem lentam , phthiſin .

VIII. Nullum inveniri poteſt ob multitudinem cauſarum verum cardiacum , quæ autem ſtimulando vires erigere videntur , majorem debilitatem , ceſſante irritamento , relinquunt .

165. CONVALESCENTIA.

I. Qui poſt morbum totum vel fere ſublatum integras non recuperavit vires & perfectam ſanitatem , Convaleſcens vocatur .

II. Hi ob debiliores actiones præparantes , 1. non ferunt ſolita alimenta : 2. facile relabuntur : & in corruptionem ſpontaneam incidunt .

III. Eupeptis parva copia ſimul ſumtis corpus nutriendum , moderate exercendum ; cavendæ omnes cauſæ externæ validiores ; utendum medicamentis ſtomachicis roborantibus .

166. FRI-

166. FRIGIDITAS.

I. Minor caloris gradus in corpore vivente, ut & talis ſenſatio, qualis vivens homo ex minori gradu caloris ad thermometrum ſentire ſolet, dum verſatur cum aliis ſanis hominibus in iiſdem frigefacientibus externis cauſis, Frigiditas morboſa dicitur, in qua major & minor conceditur gradus.

II. Quia corporis viventis calor naturalis oritur ab adtritu motu vitali producto, omnes ergo hunc adtritum minuentes, ſiſtentes, tollentes, vel impedientes cauſæ frigiditatem inferunt.

III. Solida ſuſtentaculo privata, in quavis evacuatione copioſiore ſanguinis, puris, lymphæ, in vomitu, diabete, alvi fluxu, ſudore, omni humorum defectu & tenuitate pariunt frigiditatem, quæ curanda eſt, ſublatis iſtis cauſis, per analeptica, & artificialem ſuſtentationem. Sed a ſolidis laxioribus & inertibus, humidis, adhibendæ frictiones, ſtimulantia, diſcutientia, roborantia.

IV. Potentia movens debilitata, in pueris, ſenibus, feminis, animi quibuſdam pathematibus, chronicis, cruditate, catarrho, acido, nitroſa acrimonia, minuta circulatione, ſcorbuto, cachexia, paralyſi, pareſi, ſyncope, apoplexia, malignis, peſtilentialibus, phthiſicis, hecticis, hyſtericis, calefacientia roborantia exigit.

V. In principio febris & paroxyſmorum, quando validiorem expectamus calorem, frgiditas eſt ſuperanda actu calidis, diluentibus, antiphlogiſticis, ſaponaceis: ſed poſtea ſi tranſitus fiat in ſphacelum vel corruptionem, cardiacis, calefacientibus, ſpirituoſis calor eſt provocandus: ſi vero fiat ob nervum vel arteriam compreſſam, cauſa comprimens eſt tollenda.

VI. Moderata frigiditas non periculoſa, magna, periculum portendit: æqualis per totum corpus minus periculoſa quam inæqualis: perſeverans periculoſa, ut & illa, quæ cum calore viciſſim intenditur, aut inordinate redit: periodica autem latentem febrem intermittentem indicare ſolet.

VII. Frigiditas veniens in morbis calidis ardentibus, acutis, febribus, inflammatoriis, quia notat virium exſtinctionem, admodum periculoſa.

167. LASSITUDO.

I. Quum motu muſculari conſumantur ſpiritus, degenerent aliquomodo humores, terantur partes firmæ, poſt continuatum talem motum, relinquitur in iſtis organis ad movendum ineptitudo, & quædam doloroſa moleſtia: eadem ſi percipiuntur ſine laboribus tantis prægreſſis, is homo Laſſitudine morboſa laborare ſtatuitur.

II. Ex conjunctis cum Laſſitudine aliis phænomenis varias fecerunt Laſſitudinis ſpecies, ut ſpontaneam, ſqualentem, ulceroſam, tenſivam, phlegmonoſam, quæ ex cognitione eorum comparata cum cauſis laſſitudinis facile deducuntur.

III. Omnes cauſæ internæ, quæ ſimilem mutationem inducunt partibus firmis & fluentibus, qualis producitur a labore diutius tolerato huc pertinent; præcipuas adtingemus.

IV. Quemadmodum in vehementiore labore generatur laſſitudo, ita etiam magis in aucta circulatione, morbi inflammatorii, acuti, febris, & doloris, quæ præveniuntur moderando eum motum, ſanguinis miſſione, alvi ductione, & potu antiphlogiſtico. Laſſitudo nata poſt motum ſedatum & ablatam cauſam, diluentia vinoſa & leniter hypnotica, exigit. Si vero motus ille corruptionem vel deſtructionem fecit, ut illi morbi, nata laſſitudo tractanda.

V. Si præcedentes morbi in Purulentiam abierunt, quod etiam in variolis obſervatur matureſcentibus, obvolvens acre morboſum irritamentum ſopit, unde tunc ex prægreſſo majore motu relicta laſſitudo, non valet concoquere & expelle-

pellere pus, quare ad hanc laſſitudinem adhibenda interna calefacientia maturantia.

VI. Qui verſantur in loco vel aere calidiore, aut vexantur febre bilioſa, eryſipelatoſa, aut putrida calida, colliquativa, ſolutis & degeneratis humoribus graviori laſſitudine, quam magnitudo morbi poſtulare videtur, premuntur: ad quam levandam admodum conducit temperare ambientium nimium calorem, & dare interne acida & aceſcentia, applicare prudenter externa refrigerantia, ne nimis inhibeatur corrupti exhalatio; aut exſtinguatur debilis reſtans motus.

VII. Cacochymia, cruditate, ſcorbuto, perſpiratione prohibita, pituita ſeu viſcido corrupto, tenuitate, corruptione chronica laborantes, dum inepta ſuppeditatur materia ſpiritibus, perſeverante laſſitudine vexantur, quæ ſomno longiore & quiete augetur: hi homines ablata ſaburra ex primis viis, ſi adſit, per medicamenta roborantia diaphoretica ſunt curandi, ut præparetur & expellatur alienum. Interim corpus moderatis exercitiis ſæpe movendum.

VIII. Dum ingurgitatione alimentorum, evacuatione conſueta ſuppreſſa, per hæmorrhoides, hæmorrhagiam vel menſes, plethora, aut cacochymia, fuit nata, inferens laſſitudinem, ea per reſtitutam evacuationem levatur.

168. PARESIS.

I. Laxa & imperfecta ſenſim invadens impotentia movendi muſculos motus animalis, vocatur Pareſis. Hanc crura primo invadentem, Scelotyrben vocant.

II. Corpora baccho, venere, lucubrationibus, pergræcationibus debilitata, ſcorbutica, cacochymica, catarrhoſa, arthritica, podagrica, in quibus ſuccus nervoſus ganglia, vel medullam ſpinalem occupans alienus ſtagnans, collectus, ſpirituum liberum fluxum per nervos in muſculos remoratur, in hunc morbum incidunt.

III. Diu perſiſtit, remittit ſæpe, aliquomodo intenditur, tandem in veram paralyſin, artuumque contracturam degenerat.

IV. Evitandæ recenſitæ cauſæ; corpus multum moderate exercendum; ſpina dorſi & nervorum ganglia & curſus fricanda aromaticis, calefacientibus, balſamicis, addito alcali volatili; danda roborantia, antiſcorbutica, balſamica, reſinoſa, ad perfectam curationem.

169. PARALYSIS.

I. Exſtincta potentia movendi cum laxa partis immobilitate, in organo animali vel particulari, Paralyſis appellatur; idem in motu vitali, quia mortem infert, ad ſphacelum refertur.

II. Omnium muſculorum ſub collo paralyſin, Paraplegiam; lateris paralyſin, Hemiplegiam vocant. Hæc cum ſenſus extinctione ad Apoplexiam partis, ſed cum punctionis vel formationis ſenſu ad Torporem refertur. Imperfecta autem paralyſis ad Pareſin a me refertur.

III. Cerebri quædam pars compreſſa, a pituita, ſero, ſanguine effuſo, lympha; in cranii fractura, contuſione, in relictis cauſis apoplexiæ, ſoporis, convulſionis, delirii; ex materiæ purulentæ, melancholicæ, chronicorum, acutorum metaſtaſi; deficiente abſorptione; vehementi animi pathemate, ſimilibuſque, frequentius paraplegiam alioſque morbos, qui a quibuſdam ad Paralyſin referuntur, quam particularem aliquam paralyſin producit. Huic ſi ſuperveniat morboſi humoris evacuatio per nares, fauces vel aures, bonum: inde in hac ſpecie adhibenda capiti appropriata medicamenta; promovenda evacuatio per dicta emunctoria; alvus ducenda ad derivationem.

IV. Iidem morbi in ſpinali medulla, luxatio, exoſtoſis, fractura vertebrarum, ſpina bifida, collectio humoris, vulnera, infra ſitarum partium omnium

ſæpius inferunt paralyſin, vel apoplexiam, vel ſphacelum, quam particularem paralyſin: materia autem hic hærens Colicam pictonum prius inferens, concreta, non raro hujus, vel illius, vel omnium membrorum Paralyſin aut Pareſin relinquit. In hac ſpecie medicamentis nervinis cum actuali calore & frictione ad ſpinam dorſi curatio tentanda. Cauſa autem ſolida, arte chirurgica promte eſt removenda.

V. In Nervis & maxime eorum Gangliis 1. Humoris glutinoſi, mucoſi, pituitoſi, gelatinoſi, albuminoſi adcumulatio, concretio, comprimens tranſeuntes canaliculos nervoſos, Paralyſin particularem ſæpe inducit, poſt natationem in aqua frigida, decubitum ſupra lapides frigidos, frigidæ ſubitaneam ingurgitationem, aeris frigidi applicationem in corpore antea calefacto: quando partes fovendæ ubi nervus aut ganglion hæret, & fricandæ reſolventibus. 2. Nervorum autem capſulis rigidis calloſis factis, maxime ſi ex ſenectute fiat, omnem medelam reſpuit. 3. Relicta paralyſis poſt rheumatiſmum, contuſionem vel inflammationem, relinquentem concretum humorem, fotu reſolvente ad locum, ubi hæret cauſa, eſt curanda. 4. Materia arthritica, ſcorbutica, calida, tenax poſt dolorem diuturnum, maxime colicum, paralyſin inferens, balſamicis reſinoſis, antiſcorbuticis externis & internis curanda. 5. A tumore quocumque comprimente proveniens, ablatione & reſolutione tumoris curatur. 6. A nervo exareſcente, ut poſt ruptionem vel pertuſione tumoris, ſpinæ bifidæ, vel abſciſſo vel deſtructo nervo, nullam medelam admittit.

VI. In opii, ſpirituum fermentatorum, mercurii, antimonii abuſu, exhalatione arſenici, metallorum, ſi generatur paralyſis, inverſa natura ſpirituum, & exſtincta contractilitate ſolidorum, eorum abuſus evitandus, atque longo uſu antiſepticorum roborantium, ſpiritus emendandi.

VII. Varia præbet phænomena pro parte quam occupat: ſic alvus adſtricta; aphonia; urinæ incontinentia; catarrhus ſuffocativus; & multi alii morbi, quorum cauſa ſæpe eſt abſcondita.

VIII. Curatio dirigenda ad cauſas, in genere reſolventia, ſtimulantia, calefacientia, nervina, conveniunt; ſed mercurialia & antimonialia evitanda.

170. DECUBITUS.

I. Molliter aliquomodo in hoc vel iſtud latus quiete decumbere bonum eſt indicium; quidam vero ex conſuetudine in dorſum vel ventrem decumbunt, præcipue pueri, ſine malo indicio.

II. Sed ſupinum jacere in dorſum, mento elevato vel ad pectus preſſo; aut reſidere velle; ſtragula de pectore continuo removere; nudare perpetuo partes; aut movere membra; non conſuetus in ventrem dormire; in hoc vel iſtud latus duntaxat decumbere poſſe vel pronus, atque admodum inquiete, malum indicat.

III. Maxime inquietus obſervatur in ventriculi cacochylia, dolore, abundantia, alienis adſumtis, inflammatione, eryſipelate, faſtidio, acrimonia, dolore colico, typho, materia bilioſa, corrupta, putrida, metaſtaſi ad ventriculum facta, leipyria, qui indicat periculum, & ſolitam illorum morborum curationem exigit.

IV. In angina, peripneumonia, pleuritide, empyemate, phthiſi, tuſſi, aſthmate, pectoris & pulmonum atque reſpirationis impedimentum denotat & periculum.

V. Sed in delirio, phrenitide, ſopore, cephalalgia, delirantibus, omnibuſque morbi encephali admodum verendus malus decubitus, quia turbatam cerebri actionem ſignificat.

VI. In acutis, febribus, ardentibus, continuis, & remittentibus, inflammatione, eryſipelate, debilibus, plerumque anxietatis periculoſæ eſt indicium,

aut

aut malæ metaſtaſis ad interiora, ut in variolis, morbillis, petechiis.

VII. Ex cauſis varium decubitum inducentibus prædicimus delirium, convulſionem, hæmorrhagiam, ſphacelum, partum, abortum, aphthas, criſin, incubum & multa alia.

171. INQUIETUDO.

I. Dum homo ægrotans vel valetudinarius cogitur omni veluti momento movere membra, ſitum mutare corporis, jactare membra, is laborat Inquietudine.

II. Cauſæ inquietudinis multæ ſunt, quæ referuntur ad morboſas cauſas vel ad partem adfectam.

III. Ita putrefactum, bilioſum, cachecticum, crudum, melancholicum, ſcorbuticum, corruptum, ichoroſum, purulentum, urinoſum, perſpirabile, venenatum, rancidum, acidum, alvi excrementa retenta, eryſipelatoſum, inflammatorium, febrile, acutorum & critica materia, omneſque cauſæ anxietatem inducentes, atque varia animi pathemata Inquietudinem inferunt.

IV. Eodem modo circulatio per quaſdam partes, aut earum actio impedita, ut pulmonis, reſpirationis, ventriculi, hepatis, lienis, meſenterii, renum, veſicæ, teſtium, uteri, cerebri, per quaſcumque cauſas, ut per vulnera, contuſionem, inflammationem, convulſionem, ut in hyſtericis & hypochondriacis, abſceſſum, compreſſionem, collectionem, reddit homines inquietos.

V. Multa quæ Inquietudinem ſequuntur non proveniunt ex ipſa inquietudine, ſed ex ejus cauſa, unde perperam huc conferrentur. Sed debilitas, cruditas, agrypnia, laſſitudo ex omni inquietudine ſunt exſpectanda.

VI. Ut ex arte curetur, inquietudinis cauſa eſt tollenda, quod ex iſtis morbis peti debet: aut obſtinate quieſcendum: vel quies concilianda narcoticis, quod non ſemper poſſibile aut tutum.

172. PALPITATIO.

I. Actio movens inordinata involuntaria, tremore paulo fortior, in organo animali, vitali & particulari, vocatur Palpitatio.

II. Hujus phænomeni cauſæ quærendæ in partibus firmis, vel fluentibus, vel per conſenſum agentibus.

III. Cauſæ organicæ, quæ liberum ſanguinis fluxum per cor remorantur, ut cordis offificatio, callus, calculus, excreſcentia, tumor, induratio, grumus, ulcus, concretio cum pericardio; arteriæ aortæ & pulmonalis ſimiles morbi, atque aneuryſmata & varices, inducunt palpitationem diu durantem, maxime auctam ad motum muſcularem, cum pulſu inæquali, & reſpiratione ſuffocata. Cordis motus ſæpe audiri poteſt & facile tactu externo ſentiri. Vix ullam medelam admittit, evitare debent ægri motum muſcularem, ne copia ſanguinis obruti ſuffocentur.

IV. Si vero in febribus acutis, inflammatoriis, eryſipelatoſis, vel rheumaticis, ſive recenſitæ partes iſtis morbis ſint correptæ, ſive febris ad dictas partes metaſtaſin faciat, palpitatio naſcetur, periculum portendit, & ut morbus acutus curanda eſt.

V. Corpora mobiliora, ut in hyſtericis & hypochondriacis, ſolo animi pathemate, excitatione e ſomno, menſtruationis tempore, in chloroſi, & menſium ſuppreſſione, corripiuntur ſæpe palpitatione, quæ cum curata mobilitate quoque evaneſcit.

VI. Vermes alicubi in corpore hærentes, præcipue in pericardio, ſuo motu inordinato & vellicatione palpitationem inferunt, quæ applicatione amari eſt curanda, ut auctores præcipiunt.

VII. Humoris tanta craſſitudo, ut non facile circulatoria permeare poſſit, tendens in naturam lentoris, qui ex præſente vel prægreſſa febre acuta cognoſcitur, generat periculoſiſſimam palpitationem, auxiliis antiphlogiſticis curandam.

VIII. Craſſitudo autem cruda, viſcida, cacochymica, eodem modo difficiliori ſuo tranſitu parit palpitationem, ſed ex reliquis adjunctis notis cognoſcitur, eorumque morborum curatione abigitur.

IX. Sæpe partes ab acrimonia vellicatæ, ut in ſcorbuto, arthritide, catarrho, oberrante vel ad interiora pulſa, palpitant, quæ palpitatio ex cognita acrimonia eſt curanda.

X. Quæ palpitatio typum febris intermittentis ſequitur, febrifugo abigitur: ſed quæ remanet fugata febre, proveniens ex debilitate aut grumo relicto, quod in curatione eſt obſervandum, febrifugis non cedit, ſed detectæ cauſæ curationem poſtulat.

XI. In defectu virium, copioſioribuſque evacuationibus, natæ fuere palpitationes, quæ cibo facilis digeſtionis & roborantibus fuere curatæ.

XII. Sæpe etiam cor & aliæ partes palpitant, a ſero vel pituita in encephalo collecto, quæ ſublatæ fuere evacuatione per aures & nares.

XIII. Omnes fere naturales vel morboſæ evacuationes ſuppreſſæ produxerunt palpitationem, quæ alvi ductione, ſanguinis miſſione, vel artificioſa concitata evacuatione fuit ſublata.

XIV. Omnium periculoſiſſima generatur in acutis, viribus exhauſtis, tendentibus in ſphacelum.

173. MOBILITAS.

I. Corpora viventia ſana perpetuum motum in organo vitali & particulari habent, nullum vero in organo animali: in his ea innata eſt lex, ut a ſtimulo motus vitalis & Particularis fiat major proportionate cum cauſa ſtimulante; motus autem animalis nunquam niſi a cauſa validiſſima: ſi vero illa innata lex ita mutatur, ut ex minima cauſa, quæ in ſano homine non concitaret motum, motus major & turbatus fiat; vel a ſolita cauſa major turbatio fiat; vel denique ſine accedente cauſa hæ partes valide & inordinate moveantur, talis mutata diſpoſitio vocatur Mobilitas, ab aliis Irritabilitas, Orgaſmus ſpirituum, Ataxia, Oſcillatio major, & Criſpatio.

II. Talis ſtatus frequentiſſime obſervatur in organo vitali & particulari, raro in animali niſi excellat. Producitur, vel eſt naturalis 1. In tenella ætate, & eo major, quo infans nativitati propior. 2. In corpore valetudinario, maxime poſt profuſiores evacuationes, morbos diu toleratos, & in iis, qui animi curis & pathematibus confecti ſunt. 3. In ſequiore ſexu, præprimis ſi feminæ laborent menſium ſuppreſſione vel profluvio, aut fluore albo. 4. In hominibus humore tenui & acri laborantibus. 5. Omnibus partibus ſuo tegente epithelio vel muco privatis. 6. Idioſyncraſia & nativa cauſa.

III. Effectus in diverſo ſtatu differunt. Nam extra paroxyſmum habentur ſymptomata humoris, cum vel ſine acrimonia cruda, & motus debilioris: in paroxyſmo habentur motus inordinati tonici vel clonici, in motu particulari & vitali; & majori in malo, etiam in motu animali. Hinc adficiuntur ſyncope; capitis dolore; morbis a fluxionibus & deſtillationibus; flatibus & murmuribus inteſtinorum; lumborum dolore plerumque cum frigiditate; viſcerum tenſione; alvo ſicca; tympanitide abeunte & redeunte; inſultu epileptico; vertigine, aurium tinnitu; adſcenſu molis veluti ex imo ventre gulam verſus, quem vocant hyſtericam paſſionem; commotione in dextro vel ſiniſtro hypochondrio, vel in medio ventris, ac ſi animal vivens vel fœtus in ventre latitaret; cordis palpitatione; præcordiorum anxietate ſponte vel levi animi pathemate accedente; hi odore vel motu non conſueto in animi deliquium incidunt; a minimo medica-

men-

mento vel vomitorio vel purgante eorum tota œconomia corporis ſæpe turbatur; aeris mutationem plerumque ſentiunt; urina his eſt in principio alba & craſſa, tandem aquoſa, ſi cruda materia retinetur, vel pellucida & magis tincta, ſi accedat colliquatio, in qua urina ſæpe apparent miculæ; non raro ſupprimuntur menſes & urina; difficile pariunt; menſtruationis tempore multis ſymptomatibus vexantur; ingeſta non ferunt & vomitu rejicere ſolent.

IV. Priuſquam aggredimur hujus morbi curationem, ſequentia ſunt præmonenda. 1. Omnia evacuantia augent & confirmant hunc morbum. 2. Reſolventia & attenuantia magis exaſperant. 3. Martialia roborantia in principio magnas turbationes inducunt. 4. Volatilia & acria, paulo majori doſi data, ſæpe convulſiones inferunt. 5. Laxantia & anodyna mitigare ſolent ſymptomata, nunquam perfecte curant, & eorum frequentior uſus ad leniendos dolores, ita figit morbum, ut deinceps omnem curationem reſpuat.

V. Curatio duobus diverſis temporibus ſuſcipitur & variat. Nam in Paroxyſmo ſcopus eſt compeſcere concitatum motum inordinatum per anodyna, volatilia, aromatica, additis reſinoſis nervinis. Extra paroxyſmum autem ſenſim inducta debilitas eſt curanda roborantibus; humorum tenuitas compingenda iiſdem; ne ſpontanea fiat corruptio, his admiſcenda antiſeptica calefacientia; iiſdem quoque emendatur cruda acrimonia. A leniſſimis & parva doſi incipiendum & diu continuandum: ne autem natura adſueſcat eidem medicamento, mutatio eſt facienda, ſervata eadem indicatione curativa. Si alvus in his ſit conſtipata, ea ſolvenda purgantibus anodynis miſtis.

174. HYPOCHONDRIACA.

I. Commotio inſolita, flatulentia & anxietas circa hypochondrium, præprimis ſiniſtrum, longo tempore perſeverans, non omni tempore æque ſæviens, plerumque ſine febre, cui tandem accedere ſolet in quibuſdam mentis quædam deſipientia, vocatur Hypochondriacus morbus: cui interdum multa alia anomala & incerta ſymptomata adjunguntur.

II. Dum in ætate conſtante, viri intemperate viventes, multis animi pathematibus, curis & ſtudiis vitam in otio tranſigunt, materia perſpirabilis retinetur, ingeſta alimenta in cruditatem degenerant, quod alienum in ſucco nervorum præprimis latitans, ſolita & etiam anomala ſymptomata hujus morbi infert.

III. Hujus morbi materia videtur humor crudus, magis minuſve acer, qui ad partes nervoſas applicatus, perturbat motum, inducit anxietatem, & dolorem. Is ſi formetur ex materia melancholica, conſimilem morbum inducit, quem vocamus melancholiam.

IV. Materia hæc cruda aliena hærere videtur in cavo capſulæ nervorum, & præprimis eorum qui ſunt in meſenterio, ventriculo, liene, inteſtinis, ceteriſque ventris viſceribus: unde tandem propagatur ad renes, fauces, pulmones, & caput.

V. Hinc naſcuntur varia & anomala ſymptomata. 1. Ex natura materiæ magis minuſve calefaciente, refrigerante, & acri. 2. Ex loco quem præprimis aggreditur.

VI. Si ventriculi nervi hanc materiem continent, ejus actio invertitur, unde cardialgia, apepſia, dyſpepſia, coctio vitiata, fames vel nimia vel deleta aut aliena, nauſea, vomendi conatus, & quandoque vomitus materiæ variæ, ructus & flatus, acor, auſteritas, anxietas, interdum ventriculo vacuo, interdum vero eo pleno, vel dum digeruntur alimenta.

VII Eodem modo in meſenterio & inteſtinis producitur flatus, anxietas, colica, alvus plerumque ſtipata, aut egerens excrementa varii coloris, hæmorrhoidum dolor, ventris intumeſcentia vel contractio, commotio inſolita, præ-

primis in ſiniſtro hypochondrio, ubi pulſatio, æſtus, & dolor generatur.

VIII. Si nervos renum magis occupat, generatur lumborum dolor, pulſatio & ardor inſtar nephritidis, ſiſtitur urinæ evacuatio, vel redditur urina colore & conſiſtentia varia.

IX. Nervos pectoris obſidens turbat reſpirationem, inducit ſuffocationem, tuſſim, cordis tremorem, palpitationem, anguſtiam, dolorem lateris inſtar pleuritidis; in collo generat anginam & difficilem deglutitionem.

X. In caput tendens generat cephalalgiam, pulſationem, turbans cerebri functiones, producit agrypniam, ſyncopen, vertiginem, inſomnia; imo quibuſdam in rebus mentis aberrationem, quam ſpeciem proprie Melancholiam hypochondriacam vocant, variis animi pathematibus ſtipatam.

XI. Ex conſenſu cerebri vel nervorum, vel quia ipſa materia per omnes nervos vagatur, infertur dolor, pulſatio, horror, tremor, formicationis ſenſus, frigiditas, phlogoſis, laſſitudo, debilitas; in articulis arthritis, interdum leves convulſiones generantur.

XII. Morbus eſt ſenſim increſcens, diu durans, non facile cedens; ob multa anomala ſymptomata cognitu difficilis; ſæpe pro alio morbo habetur ſi hanc vel illam partem occupat; evacuantia validiora & medicamenta fortia reſpuit; ægri inconſtantes, variam curationem expetentes, hunc morbum ſæpe incurabilem faciunt.

XIII. Ut ex arte curetur hic morbus 1. Evitandæ omnes cauſæ; vivat æger vacuus ab omnibus animi curis, ſuum corpus multum moveat; evitet omnem adſumtorum abundantiam & lucubrationem. 2. Medicamentis ſtomachicis proſpiciendum ut ventriculus bene concoquat, nullamque cruditatem relinquat. 3. Inteſtina vacua ſervanda a ſuis excrementis per alvum laxantia, quibus ſemel aut bis alvum quotidie exonerat æger. 4. Dein acre natum ſubigendum longo uſu & ſæpe mutato medicamine ne adſueſcat natura, medicamentorum roborantium, nervinorum, antiſepticorum, maxime eorum quæ ex chalybe præparantur, quo etiam pertinent aquæ minerales, quæ martem continent. Si una cum his corpus magis caleat vel frigeat, ex iſtis medicamentis eligenda frigefacientia vel calefacientia.

175. HYSTERIA.

I. Convulſionis ſpecies vocatur Hyſteria, quæ in ventre incipit, miram producens contractionem & agitationem, & ſæpe ſubito invadit, ſenſim ſurſum repit, ad collum veniens ſuffocationem cum tumore inducit, cum mira & violenta muſculorum conſtrictione, vel cum animi deliquio: quæ omnia evaneſcunt ceſſante paroxyſmo, niſi quod ſæpe relinquatur laſſitudo.

II. Poſt omnes evacuationes copioſiores in utroque ſexu, ut poſt hæmorrhagiam frequentiorem, menſium & lochiorum profluvium, frequentiorem phlebotomiam, fluorem album, alvi fluxum, lactationem, ſalivationem, gonorrhœam, generatur, quæ exigit ſuppreſſionem evacuationis, cum cibo analeptico roborante ſtomachico.

III. Studia ſeveriora, animi cura, triſtitia, mœror & ſimilia ſenſim inducunt, ſed terror, ira, profuſum gaudium, ſubito paroxyſmum inferunt: in quo caſu ſubito inductus paroxyſmus eſt compeſcendus phlebotomia, atque antihyſtericis dictis ingeſtis & naribus admotis.

IV. Dum ex conſenſu partis dolentis, in gravidis, menſtruantibus, odoriferis applicatis, uteri, ovarii, meſenterii, inteſtinorum, lumborum, renum morbis producitur paroxyſmus hyſtericus, ſupponit corpus iſtud mobilitate laboraſſe: propterea in paroxyſmo Conſenſus eſt minuendus antihyſtericis anodynis, dein firmandum corpus roborantibus nervinis, ſublatis morbis conſenſum concitantibus.

V. Dum

V. Dum humores circulantes, & maxime ſuccus nervoſus, in debilibus, cachexia, chloroſi, laxitate, nimia corporis quiete, longa adverſa valetudine, menſtruis ſuppreſſis, corrumpantur in acorem vel auſterum, vel rancorem, qui nervos aut eorum ganglia occupat, ſæpe recurrens hyſtericus paroxyſmus generatur, qui antacidis, nervinis, roborantibus debet curari.

VI. Symptomata admodum differunt pro parte adfecta. 1. Uterum occupans generat partum difficilem, lochia & menſtrua difficiliora aut ſuppreſſa. 2. In Urinæ organis dyſuriam, iſchuriam, urinam copioſam tenuem pellucidam. 3. In Chyli organis anxietatem, cardialgiam, nauſeam, ructum, anorexiam, vomitum, colicam, icterum, flatum, crepitum. 4. In Reſpirationis organo tuſſim, ſingultum, aſthma, ſuffocationem, aphoniam. 5. In Corde pulſationem, palpitationem, aſphyxiam, pulſum inæqualem, inordinatum. 6. In encephalo & nervis apoplexiam, ſyncopen, delirium, convulſionem, viſum & auditum vitiatum, animi pathemata varia, cephalalgiam, ſternutationem, vertiginem: dorſi, lumborum, colli, pectoris, hypochondriorum convulſionem, dolorem, debilitatem, frigiditatem, gravitatem, torporem, tremorem. 7. Denique in toto corpore cachexiam, chloroſin, corruptionem, phthiſin & infinita alia.

VII. Hic morbus, quia per inordinatos paroxyſmos intenditur, alia in paroxyſmo eget curatione, ut nempe ſiſtatur vel minuatur paroxyſmus medicamentis in mobilitate & conſenſu traditis, alia vero temporibus intermediis, quæ curatio in cauſis exhibita fuit.

176. HORROR.

I. Subito ingruens frigoris ſenſus, cito tranſeuns, aut diu perſeverans, tam in partibus internis, quam externis, cum tremula conſtrictione involuntaria, Horror vocatur: hic autem validior cum quadam rigiditate Rigor appellatur.

II. Omne noxium frigidum, calidum, mechanicum, acre, nervoſis partibus applicatum, hoc phænomenon inducit.

III. Materia cruda, cacochymica & ſcorbutica, varios, vagos, ſæpe redeuntes, utplurimum ſine calore ſubſequente, vel cum levi incaleſcentia fugaci Horrores inducit, qui vexant valetudinarios, debiles, chronico morbo laborantes, urinam albam craſſam crudam reddentes. Horum frequens recurſus & duratio copiam materiæ arguit, non autem multum periculi. Abiguntur calefacientibus, ſudoriferis, antiſcorbuticis, diu adhibitis.

IV. Qui vento, aura, vel aere frigido & humido, atque inſueta corporis denudatione, in valetudinariis, ob prohibitam perſpirationem inducitur Horror, lecto calido atque calefacientibus diaphoreticis facile diſcutitur.

V. Poſt nimiam quamcumque evacuationem inductus ſpontaneam corruptelam præſagit; alimentis eupeptis minima copia ſimul datis, ſtomachicis, antiſepticis, roborantibus prævenitur.

VI. Sed in hæmorrhagiis ſolitis, menſibus, lochiiſque ſuppreſſis Horror in principio facile abigitur revocata evacuatione, aut artificiali alia inſtituta: ſi diu duravit, cacochymiæ habenda eſt ratio. Ex morboſorum autem humorum ſuppreſſione natus periculoſior, quando evacuatio eſt revocanda per conſuetum vel aliud emunctorium.

VII. In acutorum, febris continuæ, ardentis, phrenitidis, anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ, hepatitidis principio veniens, ut & principio paroxyſmi intermittentis ſubſequentem ardorem præſagit, actu calidis & antiphlogiſticis abigendus.

VIII. Sæpe autem recurrens aut continuo vexans in iiſdem, crudorum copiam vel corruptelam arguit, antiphlogiſticis antiſepticis temperandus.

IX. In acutorum morborum ſtatu veniens, tempore critico, cum coctionis ſignis Criſin portendit, At inferens anxietatem, laborem, ſtuporem, convulſionem,

nem, exolutionem, vocis interceptionem, laſſitudinem, debilitatem, parvas parotides, die non critico, ſudorem frigidum, alvum liquidam fœtentem, humoris morboſi malam metaſtaſin vel metamorphoſin indicat.

X. Finito autem morbo ſæpe veniens, recidivam, ſuppurationem, corruptelam, vel nimiam evacuationem arguit.

XI. In ſuppuratis puris abundantiam aut corruptelam denotat, & phthiſin præſagit, antipueticis antiſepticis temperandus.

XII. In omnibus morbis putridis frequens & malus eſt, ſolis medicamentis condientibus, & putredinem cohibentibus, curandus.

XIII. Ad detegendam cauſam, præſagiendum & curationem inveniendam diſtinguunt Horrores in Criticos, Symptomaticos, Perdurantes, Redeuntes, Periodicos, Vagos, & Frequentes.

177. TREMOR.

I. Motus alternus, vacillans, laxus, involuntarius, inordinatus, in organo animali, vitali, particulari, vel in quibuſdam ſimul, vocatur Tremor.

II. Vigiliæ protractæ, morbi diuturniores, evacuationes largiores, nimia venus, exhaurientes ſpiritus, & alimenti defectus ſi Tremores inferunt, hi facile ſanantur, evitatis cauſis, per ſomnum longiorem vel hypnoticis inductum, nutrimenta eupepta, & dein medicamenta roborantia: ſed ex hæreditate vel ſenectute veniens curationem non admittit.

III. Spirituum autem natura inverſa abuſu vini, ſpirituoſorum, opiatorum, antimonii, mercurii, Tremorem infert non facile emendabilem, etiamſi hæ evitentur cauſæ: ſed ex aquæ tepidæ abuſu natus facile curatur roborantibus, cum moderatiore aquæ uſu.

IV. Animi multa pathemata, ut ira, terror, profuſum gaudium, nimium tremorem inducentia, phlebotomiam poſtulant: ſed poſt corporis actiones validiores relicti tremores ſponte evaneſcunt. Tremor ſponte natus in gravidis abortum vel partum inſtare plerumque ſignificat. Mobilitate laborantibus frequentes tremores antiſpaſmodicis nervinis curandi.

V. Materia cruda, cacochymica, pituitoſa, ſcorbutica, corrupta in chronicis, tremorem inferens roborantibus, antiſcorbuticis, antiſepticis emendanda, & expellenda.

VI. Evacuatio perſpirabilis, ſudoris, puris, ichoris ſuppreſſa Horrorem inferens, diaphoreticis, & fonticulis eſt evacuanda: ſed in iſchuria, per diuretica; in alvo adſtricta per alvum laxantia.

VII. Materia melancholica aut bilioſa ad caput delata, niſi alvi ductione eliminetur, periculoſos Tremores inducit.

VIII. Omnium febrium intermittentium & remittentium, præſertim quartanæ, paroxyſmi cum tremore incipiunt, qui ſponte evaneſcit, & citius adhibito calore actuali, cum potu antiphlogiſtico. Poſt febres ſanatas autem remanens, ut debilitas curandus.

XI. In febribus continuis, acutis, ardentibus, inflammatoriis diverſa præſagia præbent Tremores. 1. Venientes in principio, non ſunt timendi, modo non perſeverent. 2. In morbi incremento periculoſi, plerumque convulſionem, delirium, aliaque capitis mala præſagiunt, niſi larga hæmorrhagia, phlebotomia, alvi fluxu, aut ductione præveniantur. 3. Die critico venientes cum aliis bonis ſignis, criſin; alias malam metamorphoſin vel metaſtaſin promittunt, & cum malis ſignis mortem. 4. In morbi decremento ſemper mali, proveniunt enim tunc ex ſuppuratione, corruptela, vel alia mala metamorphoſi, præcipue ſi vires corporis ſunt debiles.

178. TOR-

178. TORPOR.

I. Diminuta movendi potentia, ut in pareſi, vel interdum exſtincta in motu animali, ut in paralyſi, cum punctionis vel formicationis ſenſu Torpor vocatur.

II. Cauſa externa comprimens nervum vel arteriam ſublata, dum redit in tali parte circulatio, Torporem inducit brevi evaneſcentem, quam Obdormitionem vocant; hic frictione ad partem prius compreſſam & inferiorem, citius evaneſcit, humor autem viſcoſus ſimulque acer in nervi ganglio vel & medulla ſpinali hærens, Torporem inferens, quem morbum Indiæ incolæ Beriberi vocant, comprimens nervos motorios, & irritans ſenſorios plerumque decubitu in aere frigido maxime in ebriis, ibidem colligitur & concreſcit.

III. Ultima ſpecies quo plures partes occupat, & præcipue in facie & collo, eo periculoſior: utplurimum per multos annos durat, & interdum ad finem vitæ.

IV. Pars, ubi ex anatomicis conſtat hærere materiem concretam, fricanda ſæpe balſamicis, oleis aromaticis, inſtigatis alcali volatili: interne danda reſolventia calefacientia.

179. PULSUS MORBOSUS.

I. Cordis & arteriarum vibratio, vigore, tempore, magnitudine & ordine, a ſtatu ſano recedens, Pulſum morboſum præbet.

II. Validior factus 1. ex motu muſculari, ſubſequente quiete brevi in ordinem redit. 2. A ſpirituoſis, aromaticis, & calefacientibus adſumtis tandem poſt ſubactionem vel expulſionem eorum quieſcit. 3. Ab irritamento interno febrili, inflammatorio, bilioſo, putrido, eryſipelatoſo, quo vehementior & diutius durans, eo pejor: hujus præſagia & curatio ex dictis morbis, circulatione & impetu aucto, petenda. 4. Ab acrimonia ſolubili natus, ipſum morbum utplurimum curat.

III. Debilior apparens in obeſis, leucophlegmaticis, aliave cauſa naturali nihil boni vel mali ſignificat. Sed 1. ex encephali compreſſione periculoſiſſimus. 2. Ex ſpirituum defectu in acutis corruptelam aut mortem præſagit. 3. In chronicis morbi longitudinem & ſpontaneam metamorphoſin promittit. 4. In cordis, pulmonum, & hepatis morbis interceptam circulationem deſignat. 5. In aridura particulari a compreſſo nervo vel arteria ſæpe generatur. 6. In principio paroxyſmi febrilis utplurimum debilis ſine periculo, ſed in morbi incremento & ſtatu periculoſus. 7. In chyli organo adfecto magis quam in morbis aliarum partium debilitatur. 8. Poſt nimiam evacuationem quo debilior eo pejor, ſuſtentatione majorum vaſorum roborandus. 9. Poſt doloris incrementum vel provenit a ſuperatis viribus, vel ab acrimonia nitroſa.

IV. Celer pulſus cum majori vel minori frequentia obſervatur. 1. In bilioſis, eryſipelatoſis, putridis morbis, ob humorum tenuitatem & acrimoniam fit celer & frequens. In humorum defectu celer, frequens & debilis. 3. In vappida humorum tenuitate celer & ſæpe rarior.

V. In humorum tenacitate, & pituita ſine acrimonia ſtimulante, dormientibus, ſenibus, & triſtitia tardior fieri ſolet pulſus.

VI. Major fit 1. Ex majori copia ſanguinis recepta, in motu muſculari, ira, vinoſis, cibo ſumto, compreſſo aliquo ramo arteriæ majore, cum libera circulatione per arteriam pulſantem, quando ſimul non redditur multo durior. 2. Ob impeditum tranſitum per arterias in morbo inflammatorio & lentore fit major & durior.

VII. Ex parva copia ſanguinis recepta 1. in pulmonum, hepatis & cordis morbis

morbis tranſitum intercipientibus, & poſt nimiam evacuationem periculoſus eſt minor ſeu parvus. 2. Ex deficiente actione propellente in animi deliquio, parte paralytica, morbis chronicis, hydrope, leucophlegmatia longitudinem morbi promittit. 3. In morbis acutis & inflammatoriis minor & durior periculoſiſſimus eſt.

VIII. Mollis & ſatis magnus pulſus, liberum & copioſum ſanguinis fluxum indicans, ſemper bonus: ſed in pulmonum & hepatis morbis, leucophlegmatia, ſcorbuto, ex virium defectu, aut in cerebri compreſſione ſoporoſorum & delirantium, periculum præſagit.

IX. Durus pulſus ſemper malus, debilitatem & deſtructionem præſagit, ſive fiat a majori impletione, ſive impedito transfluxu, quando ſimul fit major: pejor autem eſt ſi ob contractas arterias ſimul fiat minor.

X. Inæqualis ejuſdem arteriæ dilatatio in ſua longitudine, multis digitis ſimul adplicatis detegenda, in pulſu Vermiculari, Formicante, Tremente, Vacillante, Meiuro, Serrato, Dicroto, Capriſante, ex deficiente vel mortificata actione, in quibuſdam arteriæ fibris nata, periculoſa eſt: ſed ex redeunte actione Undoſus in acutis & chronicis, plerumque criſin præſagit.

XI. Pulſus eodem temporis ſpatio plures faciens vibrationes, frequens dictus, in tenella ætate naturalis, generatur 1. Motu muſculari, ira, lætitia, adſumtis calefacientibus, ſpirituoſis, qui ſponte in ordinem redit, vel phlebotomia, & refrigerantibus temperatur. 2. In morbo inflammatorio generali & particulari, febre ardente, & lentore, frequens & Durus. 3. In morbis autem eryſipelatoſis, bilioſis & quibuſdam putridis, Frequens & Celer. 4. In ſumma debilitate & humorum defectu fit Frequens Debilis & Parvus. 5. In criſi inſtante fit frequentior & major. 6. In virium incremento fit frequentior & robuſtior.

XII. Dum pauciores eodem tempore arteria facit vibrationes in adultis, magna ſtatura, ſomno & corporis quiete, naturale eſt: ſed 1. In humorum tenacitate & pituita rarus pulſus longitudinem & periculum præſagit. 2. In ſoporoſis, apoplecticis, ſyncopticis periculoſiſſimus, cerebelli oppreſſionem indicans.

XIII. Rhythmi arteriarum tempore, ordine, vel magnitudine inæquales, quibuſdam hominibus familiares nullum periculum portendunt. Sed Decurtati, Reciproci, Recurrentes, Intermittentes, 1. a corde vel arteriis majoribus offificatis, pericardio cordi adcreto, vermibus in pericardio hærentibus, ſcorbuto, pulmonum ſpaſmodicis morbis, vel ab acrimonia liquoris pericardii provenientes, diu feruntur ſine periculo, ut & illi qui ex mobilitate vel paſſione hyſterica fiunt. 2. A cordis, venarum, vel arteriarum polypo inexpectatam mortem præſagiunt. 3. Ex vehementia morborum acutorum, eorumque metamorphoſi in ſpacelum, mortem inſtare ſignificant.

XIV. Subſiſtens pulſus per non admodum longum tempus in hyſtericis, ſyncopticis & validiore animi pathemate, non valde periculoſum ſignum: ſed in acutis, debilitatis, vigore febris, apoplexia, ſopore, delirio, periculoſiſſimum.

TITU-

TITULUS III.

FLUXUS HUMORUM MORBOSUS.

Fluxus morboſus obſervatur 1. *In Circulatione* . 2. *Reditu* . 3. *Evacuatione* , *quatenus illa eſt naturalis vel morboſa* .

180. CIRCULATIO MAJOR.

I. Humores circulatorii , æquali tempore ad longiorem , vel minori temporis ſpatio ad eandem diſtantiam pulſi , eorum dicitur Velocitas aucta : iidem autem majore potentia propulſi , ſive majorem , ſive minorem inde acquirant velocitatem , eorum Impetus dicitur major .

II. Hæc fiunt . 1. Frequentiore cordis & arteriarum rhythmo . 2. Earumque partium majore actione . 3. Copia ſanguinis majore ſingulis rhythmis ejecta . 4. Accedente cauſa in motu animali , particulari , frictione , adjuvante fluxum . 5. Denegata via per aliquos ramos arteriarum . 6. Impedito reditu per venas .

III. Inde ſolum cor ad augendam Velocitatem vel Impetum non ſufficit . 1. Alterne impleta arteria cadaveris non facit ſaltum . 2. Sanguis æquali vi preſſus non tranſit minutiſſima vaſa . 3. Ita preſſus ſanguis accedente frictione partis minora vaſa intrat . 4. Debilitata vel exſtincta actione particulari in organo , retardatur etiam transfluxus . 5. Stimulo promovetur circulatio . 6. Venæ & lymphatica ligata pergunt contentum liquorem ducere verſus truncum ; ſed arteriarum rami deplentur . Elaſticitas contractilis neque auget neque minuit velocitatem , ſed æqualem ex inæquali facit .

IV. Velocitas & Impetus major producit 1. In Solidis ruptionem , rigiditatem , adtritum , compreſſionem , extenſionem , ſiccitatem , callum , amplitudinem . 2. In humoribus intumeſcentiam , maciem , tenacitatem , gravitatem , lentorem , phlegma , acrimoniam alcalinam putridam , errorem loci , collectionem in arteriis , ecchymoſin , metamorphoſin . 3. In Actionibus dolorem , anxietatem , phrenitidem , pulſum durum , plenum , frequentem , pulſationem , ardorem , inflammationem , gangrænam , ſphacelum , debilitatem , laſſitudinem , moleſtiam , inquietudinem . 4. In Humoribus variis , tenuiſſimi expulſionem , aquoſi & ſpirituoſi exhalationem ; Pinguedinis adtenuationem , corruptionem , rancorem ; Salis converſionem in alcali volatile ; Chyli citiorem conſumtionem ; Bilis converſionem , acrimoniam ; Urinæ paucitatem , rubedinem , acrimoniam ; Albuminoſi & Gelatinoſi inſpiſſationem ; Lactis converſionem in humorem nauſeoſum corruptum ; Puris citam converſionem in glutinoſum vel ichoroſum ; Excrementitiorum citiorem degenerationem ; acidum exſtinguit ; crudum ſubigit ; pituitam adtenuat . 5. Denique infert reſpirationem frequentem anheloſam ; perſpirationem nimiam ; ſudorem copioſum vel nullum , interdum fœtentem ; ſitim ; hæmorrhagiam ; exanthemata , & multa alia mala .

V. Nam in variis partibus ſpecialia inducit etiam phænomena . Generalia autem in parte viſibili ſunt Calor , Tumor , Rubor , Siccitas , Splendor , Pulſatio , Dolor , Durities .

VI. Si autem in caput urget , facies rubet , tumet ; oculi protuberant , rubent , lacrymant , vident flammam , ſcintillas , rubras repentes anguillas ; vertiginoſi fiunt & lucem non ferunt ; aurium fit tinnitus , ſuſſurrus , ſonitus ; narium rubedo , pruritus , ſternutatio ; colli & capitis dolor tenſivus , pulſans ; parotides ; temporum pulſatio . In Encephalo generatur apoplexia , convulſio , agrypnia , ſomnolentia , ſopor , inſomnium , delirium , phrenitis .

VII. Curatur ille motus major 1. Ablatione vel correctione ſtimuli ſi adſit .

2. Eductione humorum ſine ſtimulo, iterata venæ ſectione, & purgante refrigerante. 3. Quiete muſculorum, ſenſuum & animi. 4. Exhibitione & applicatione diluentium, refrigerantium, anodynorum. 5. Revellendo in aliam partem minus principem. 6. Frigidorum lenia & blanda applicatione. 7. Si adſit humorum ſpiſſitudo, ſimul adhibenda ſaponacea aceſcentia. 8. Sed in putrida tenuitate, aceſcentia adſtringentia adhibenda.

181. CIRCULATIO MINOR.

I. Humores circulatorii minori velocitate per ſuos canales delati, ob minorem cauſam pellentem, præbent Circulationem minorem: ſed Velocitas minor cum valente cauſa pellente refertur ad Impeditam Circulationem.

II. Pellens cauſa fit minor 1. In minori & debiliori motu vitali & particulari, deficientibus conſumtis vel alienatis ſpiritibus. 2. Motu animali omiſſo, in quiete, ſomno. 3. Animi pathematibus ad triſtitiam accedentibus. 4. Solidorum ineptitudine, in laxitate, rigiditate, humiditate, ablato ſuſtentaculo. 5. Deſtructo æquilibrio in defectu, per evacuationem copioſiorem, in abundantia hydropis, leucophlegmatiæ, & plethoræ. 6. Extincta actione in epidemicis, peſtilentialibus, acrimonia nitroſa, cruda, acida, abuſu nitri, antimonii, mercurii, refrigerantium, opii, febris invaſione. 7. Nimio calore & frigore. 8. Conſenſu ex ventriculi morbis.

III. Impeditur autem circulatio 1. Anguſtatione, compreſſione, contractilitate. 2. Humorum craſſitudine, viſciditate, tenacitate, 3. Obſtructione.

IV. Varii fiunt hinc in corpore morbi & phænomena. 1. Ex deficiente vel impedita circulatione. 2. Cauſa varia. 3. Functione partis, ut in arteriis, venis, nervis, encephalo, pulmonibus, corde, hepate, liene, chyli organis.

V. Humores minus moti lenteſcunt, concreſcunt, crudi manent, corrumpuntur, ſtagnant, colliguntur, maxime in tunica celluloſa: unde hydrops, leucophlegmatia, frigus, cachexia, pallor, evacuatio minor, debilitas, gravitas, acrimonia frigida, colliquatio chronica, ſomnolentia, ſyncope, pulſus debilis, laxitas, & multi alii morbi.

VI. In curatione 1. Attendendum ad cauſas, quæ tollendæ vel corrigendæ. 2. Vis vitæ inſtiganda irritantibus, calefacientibus. 3. Vires augendæ roborantibus.

182. STAGNATIO.

I. Humores diu in eadem corporis parte manentes, etiamſi motu inteſtino agitentur, ſtagnare dicuntur.

II. Humores in ſe nullam movendi potentiam habentes ſtagnant 1. Deficiente vel minuto motu vitali vel particulari, quando frictione, motu muſculari, moventibus, ſtimulantibus movendi. 2. Subſiſtunt exitu clauſo, obſtructione, compreſſione, contractione, quando via eſt aperienda. 3. Humores concreti, incraſſati, tenaciores facti, ſubſiſtentes reſolvendi. 4. Effuſi in deſtructione, vulneribus, contuſione, ecchymoſi, per artificialem aperturam educendi ſi fieri poſſit, alias fotu molli fluor ſervandus. 5. In parte laxata, ſuſtentaculo privata, ſtagnantes, artificiali ſuſtentatione & frictione inde depellendi, ut in aneuryſmate, varice, œdemate. 6. Ex deficiente abſorptione proprio loco proponitur.

III. Differunt effectus & phænomena. 1. Pro parte in qua hærent humores. 2. Humoris ſtagnantis propria natura. 3. An ſtagnantes fuere prius magis minuſve agitati. 4. An retineant vel dimittant partem tenuiorem. 5. Majori minorive calore aut frigore ſi retineantur. 6. Cum vel ſine acceſſu aeris.

IV. In humoribus concreſcibilibus ſemper generatur grumus, in his dein &

cete-

ceteris humoribus corruptio ſpontanea & acrimonia, quæ eo vehementior, quo plus pinguedinis continet humor, & diutius detinetur.

V. Quia omnes ſtagnantes humores corrumpuntur ſenſim in deteriorem corruptelam, tentanda eſt eorum ablatio, & in principio motus circulatorius in iis concitandus.

183. REFLUXUS IMPEDITUS.

I. Quantum arteriis & nervis ducitur in aliquam partem, tantum reduci debet per venas cruentas & lymphaticas, niſi pars ſpecialis emunctorium habeat, liber ille Reditus difficilior vel impeditus ad hunc titulum pertinet.

II. Hoc fit 1. Compreſſione, ligatione, contuſione, tumore, convulſione, decubitu, grumo in vena hærente. 2. In parte ſpeciali per anginam, herniam, & in gravida femina per fœtum; atque ex mala conſuetudine per hypochondriorum conſtrictionem. 3. Forſan venæ ipſæ ſuo motu privatæ, ſimiles morbos pariunt.

III. Effectus & phænomena differunt. 1. Prout refluxus per venam cruentam vel lymphaticam ſit impeditus. 2. Pro parte varia in vena jugulari, cava, portarum, pulmonali. 3. Et ex parte ſpeciali in capite, pulmone, hepate, liene, utero.

IV. Generalia ſymptomata ex refluxu per Venam impedito, ſunt tumor, livor, gravitas, frigus, varices, venarum tumor, ruptio, ſanguinis collectio, vel eruptio in tunica celluloſa, cavitate corporis, aut effuſio; ſtagnantis & collecti concretio, corruptio; anxietas; compreſſio adjacentium; dolor; intumeſcentia, hydatides; pareſis, paralyſis, ſtupor, torpor; ſphacelus: ſi pars excretorium vas habeat, generatur evacuatio major. Refluxus autem per Lymphaticum interceptus, potius producit œdema, hydatides, hydropem.

V. Refluxus autem e Capite impeditus, in angina aliove colli tumore vel compreſſione, producit, præter generalia, apoplexiam, ſuffocationem, decubitum impoſſibilem, vertiginem, faciei, oculorum, labiorum, linguæ intumeſcentiam lividam, ſalivationem, lacrymationem, oris hiatum, ſomnolentiam, ſoporem, ſtertorem, pulſum debilem, colli pulſationem. Reditus autem hypochondriorum conſtrictione impeditus, producit collectionem ſanguinis in vena portarum, uteri & viſcerum ventris vaſis; unde dolor, tumor, anxietas, menſium, lochiorumque profluvium. In corpore reliquo defectus, pallor, frigus, debilitas, ſyncope; atque ex ſtagnante in vaſis his ſanguine concreto, & dein corrupto, multa alia mala.

VI. Omnes tali modo producti morbi ſunt incurabiles, niſi cauſa impediens tollatur; fallax inducitur levamen ſanguinis eductione ex parte tumente; in extremis autem conducit ſuſtentare partem & elevatam locare, donec impediens cauſa fuerit ſublata.

184. ABSORPTIO DEFICIENS.

I. Dum naturalis exhalans in omnibus cavitatibus noſtri corporis humor inde iterum non aufertur, defectus eſt in Abſorptione, quæ poteſt eſſe parcior & omnino nulla.

II. Illa ſalubris abſorptio minuitur & intercipitur 1. Obſtructione oſculorum. 2. Viſciditate, tenacitate, craſſitudine & cruditate humorum. 3. Compreſſione venarum aut lymphaticorum, qua intercipitur reditus. 4. Motu languidiore in oſculis, & vaſculis venoſis abſorbentibus, ut & in partibus humorem urgentibus ad illa oſcula.

III. Dum minus aufertur quam adducitur, neceſſe eſt ibidem generari abun-

dantiam, humiditatem, tumorem, hydropem. Humores ibidem ſtagnantes corrumpuntur.

IV. Prout in parte varia deficit Abſorptio, ita differunt morbi, qui in particularibus ſunt perſequendi. Nam in Encephalo manens humor, parit ſomnolentiam, ſoporem, apoplexiam, vertiginem, ſyncopen, incubum, & hydrocephalum internum. In Pectore & pulmonibus obtinens, generat aſthma & dyſpnœam. In Pericardio palpitationem. In Ventre inferiore aſciten. Sed in Inteſtinis alvi fluxum & lienteriam, In Oculis lacrymationem.

V. Recenſitæ cauſæ ex ſuis conjunctis phænomenis ſunt eruendæ, & ex inventis curatio deducenda: ſed ſi motus in venis & oſculis ſit languidior, is promovendus frictionibus & roborantibus ſtimulantibus.

185. ABSORPTIO MAJOR.

I. Citior humidi tenuioris, ex cavitatibus vel peripheria corporis, ablatio arguit nimiam fieri Abſorptionem.

II. Quia ſola actione venarum & vaſculorum abſorbentium abſolvitur abſorptio, horum nimia actio hujus morbi cauſa eſt.

III. Nimia hac ablatione humidi ex peripheria corporis parit cutis ſiccitatem, in ore ſalivæ defectum, difficiliorem deglutitionem; in larynge tuſſim, diſpnœam, ſputi defectum & tenacitatem; in inteſtinis alvum adſtrictam, & ſtercora dura compacta generat.

IV. In tali caſu 1. ſuppeditanda humida copioſiora & humectantia. 2. Temperandus venarum motus major laxantibus, evacuantibus ſine ſtimulo, ut venæ ſectione, & purgante refrigerante.

186. EVACUATIO MORBOSA.

I. Corpus perfecte ſanum, temperate vivens, ſolummodo humores inutiles & ſolida detrita, actione vitali, per naturalia emunctoria eliminat: femina autem menſtruans inſuper bonum ſanguinem ejicere tenetur. Sed in Morbis, & Diæta aliena, multis modis ab ordine eo recedit, quando Morboſa dicitur Evacuatio major.

II. Hæc varia præſagia præbet & indicationes ſuggerit. 1. Si fiat humore utili, inutili, vel morboſo. 2. Humore circulatorio, ſecretorio, vel excretorio. 3. Tenui, craſſa, cruda, cocta, colliquata, calida, frigida, miti, acri, coloris & odoris varii, pituitoſo, lymphatico, ichoroſo, purulento, bilioſo, melancholico, ſanguineo, gelatinoſo, albuminoſo, mucoſo, mucilaginoſo, chyloſo, ſenſibili, inſenſibili. 4. Subito ſi fiat vel ſenſim; ſtillans vel acervatim; artificialis vel naturalis; critica vel ſymptomatica; facilis vel difficilis. 5. Quibuſnam in morbis & morbi tempore fiat. 6. Locus an ſit conveniens vel non, in ſpeciali humore vel parte affecta.

III. Quæ corpora cujuſvis humoris majorem copiam emittunt, quam ſanitati competit, vel morbus exigit, eo Profluvio aut nimia Evacuatione laborant.

IV. Hoc ſi fiat 1. Majore circulatione, impetu, aut ſolidorum motu aucto, vix curatione eget, præcipue ſi abundantia præceſſerit, quum copioſa evacuatione ſimul tollatur evacuans cauſa: ſi autem nimia fiat, temperanda eſt. 2. A vaſis autem diſruptis, in vulneribus, contuſionibus, fragilitate, non niſi caſu prodeſſe poteſt, quare ſtatim cohibenda. 3. Ab impedito reditu per venas vel lymphatica major facta, ſemper mala, & cauſa comprimens auferenda. 4. In laxato tono oſculorum, pareſi, debilitate, ſuſtentaculi defectu, adhibenda roborantia cum modica ſuſtentatione. 5. Ab acribus, irritantibus, & medicamentis evacuantibus, poſt ſtimuli ablationem optime compeſcitur anodynis. 6. Semper

mala ſi fiat ex humorum nimia tenuitate, colliquativa, hectica, quia cohiberi non debet, & non poteſt, niſi inſpiſſato illo humore, quod difficile fieri poteſt, antiſepticis incraſſantibus.

V. Quoniam nimia evacuatione relinquitur humorum defectus, omnia mala ibidem (65) tradita expectamus: & multa ſpecialia pro differentia humoris (11) emiſſi.

VI. In curatione 1. Ad varios humores adtendendum qui evacuantur, an retinendi vel emittendi. 2. Ad varias cauſas, quali modo tolli poſſint aut debeant.

VII. Humores minori copia emiſſi quam pro ratione ſanitatis vel morbi requiritur, vel omnino retenti, multos morbos inferunt, & increſcere faciunt.

VIII. Minuta vel ſuppreſſa evacuatio 1. Ex anguſtia, clauſura vel coaleſcentia, plerumque arte chirurgica curanda. 2. Emiſſarium autem compreſſum, obſtructum cauſarum ablationem exigit. 3. Humorum tenacitas, viſciditas, lentor, craſſitudo, concretio, aliave ineptitudo ad transfluendum, ſecundum humoris naturam reſolventia exigit. 4. Ex debiliori actione pellente ſubſiſtens, ſtimulantibus & roborantibus promovenda evacuatio. 5. Anguſtiora facta emiſſaria contractilitate, laxantibus amplianda; ſed ſi fiat per convulſionem antiſpaſmodica adhibenda. 6. Ex humorum influentium defectu ſubſiſtens non temere augenda; ſed ſi proveniat ab arteria compreſſa, comprimens cauſa ſtatim tollenda.

IX. Effectus poſt minutam vel ſuppreſſam evacuationem multum differunt pro natura humoris (11) retenti: quæ ſpecialia in morbis illorum humorum ſunt quærenda. In genere autem exſpectamus abundantiam; evacuationem aliam majorem; æquilibrium deſtructum; metaſtaſin vel metamorphoſin; morbi longitudinem & periculum; corruptionem vel putredinem; multoſque alios morbos ex his demum productos.

X. Curatio inſtituenda priuſquam retenti humoris facta ſit mutatio. 1. Si ſit humoris utilis illa abundantia tolli poteſt, revocata evacuatione vel phlebotomia. 2. Humor autem inutilis per ſua conſueta emiſſaria educendus. 3. Morboſus pro natura materiæ per varia organa naturalia vel artificialia evacuandus. 4. Denique curatio dirigenda ad cauſas. (VIII.)

187. PERSPIRATIO MORBOSA.

I. Humor, qui inviſibile, vi vitæ per peripheriam corporis, os & nares emittitur in ſanis, retentus, raro enim nimia copia emittitur, præbet Perſpirationem Morboſam minutam vel ſuppreſſam.

II. Quæ minor fit ob parciorem ingeſtionem, relinquit morbos ex defectu nutrimenti relictos, cum acrimonia detritorum humorum: illa non largiori ingeſtione, ſed modica copia alimenti eupepti, poſt ablatas cauſas ingeſtionem impedientes, eſt promovenda.

III. Quæ alimenta cruda, tenacia, coctioni inepta producunt parciorem perſpirationem, ſimul onerant corpus, cruditatem primarum viarum, & in toto corpore cachexiam generant: quæ alimentis aupeptis, ſtomachicis & roborantibus reſolventibus curantur.

IV. Organum chylopoieticum debile, cruda relinquens ingeſta, ipſaque circulatio languidior, in omni quiete, ſomno longiore, quibuſdam animi pathematibus, virium debilitate, corporis refrigeratione ab interna cauſa, minuens perſpirationem, exigit ſtomachica, aromatica, roborantia, diaphoretica.

V. Materia perſpirabilis per aliud emunctorium eliminata, quod facile patet, indicat evacuationis diminutionem, & humoris derivationem ad cutim faciendam eſſe.

VI. Quæ prohibetur, frigido & humido externo, corporis nuditate, aura frigidiuſcula, pinguibus applicatis, priuſquam malam induxit metamorphoſin, remo-

remotis cauſis, provocanda eſt calore externo, & internis ſudoriferis.

VII. Morbi ex prohibita vel minuta perſpiratione provenientes differunt 1. Pro natura cauſarum impedientium. 2. Qui fiunt ex abundantia retenti inutilis, quo per ſolam cutim eliminari poteſt; unde illa corporis gravitas, laſſitudo, & caloris difficilis tolerantia, curatur largiore ſubſequente Diaphoreſi. 3. Ipſa retenta materia inutilis poſt metamorphoſin ſæpe generat dolores, catarrhos, longam valetudinem, multos morbos chronicos, febrem ephemeram, imo ſynochum ſimplicem: qui morbi ſenſim ſuperantur largiore perſpiratione vel ſudore rorido. 4. Hæc retenta materia in quodam ſpeciali humore recepta, vel ad aliquam ſpecialem partem depoſita, varios morbos particulares inducit.

VIII. Facile videtur concitata largiore evacuatione ſenſibili per ſanguinis miſſionem, vomitum, purgationem, urinæ & ſudoris eductionem, tolli non poſſe perſpirabile retentum, ſed quia eſt humor ſpecialis, priuſquam ſubiit metamorphoſin, non niſi ſubſequente largiore perſpiratione, vel ſudore rorido patitur eliminari: poſt metamorphoſin tandem per proprium organum eliminari ſæpe negat.

188. SUDOR.

I. Humor viſibilis ex cute exhalans illæſis partibus, cutique adhærens vocatur Sudor, qui in perfecte ſano & temperate vivente homine non obſervatur.

II. Sanis autem corporibus multæ cauſæ ſudorem provocant: ut motus muſcularis, calor externus, aſſumta calefacientia, animi pathemata, humidi abuſus, alimenta copioſiora, ſudorifera: hic nihil boni adfert niſi ſit vicarius. Statim tamen non cohibendus ſed ſenſim.

III. In morbis autem acutis, inflammatoriis, tempore critico, peracta coctione, ſaluberrimus. Poſt perſpirationem prohibitam, ejus materiem eliminat. Alvi fluxum ſiſtit derivando. In urinæ diminutione juvat, omnem tamen urinæ materiem eliminare nequit. Ex metaſtaſi productus laudatur. Qui autem ex morbi vehementia, debilitate virium, tenuitate humorum, colliquatione, purulentia, laxitate producitur minuendus eſt, non omnino ſupprimendus, dum interim recenſiti morbi curentur.

IV. In morbis cum materia per Sudorem eliminanda, ſi ſudor non erumpit vel exhalare cohibetur, retinet morbi materiem, morbum auget, vel novum morbum producit. Arte tunc derivatio eſt facienda ad cutim ut ſudor revocetur.

V. Sudor ipſe varias qualitates ſæpe exhibet, quæ a Medico obſervandæ ſunt. 1. Calidus ſudor bonum ſignum, niſi perpetuo fluat. 2. Frigidus, ſemper malus. 3. Sic etiam Colliquativus, continuus, fœtidus, milliformis, erumpens. 4. Colorati ſudores ſemper mali; Sanguineus interdum vicarius obſervatus fuit. 5. Diurni, nocturni, matutini, ſemper recurrentes, longitudinem portendunt. 6. Ex ſolis partibus ſuperioribus expulſus periculum portendit. 7. Sed ex parte antea arida & inflammata, morbi diminutionem denotat bonus ſudor.

189. URINA.

I. Humor excretorius naturalis viventium, renum actione a communi maſſa ſeparatus; per ureteres in veſicam delatus, dein per uretram e corpore emiſſus, Urina appellatur.

II. Hic humor, ruptis renibus, ureteribus, aut veſica, in cavum ventris effuſus; vel quovis modo ſanguini circulanti miſtus, retinet idem nomen.

III. Materiem præbent Urinæ varii humores. 1. Inutiles; 2. Utiles advectitii, circulatorii, ſecretorii, nutrititii, 3. Morboſi, bilioſi, lymphatici, ſeroſi, ſanguinei, chyloſi, mucoſi, gelatinoſi: pus, ichor, melancholia, pituita, catarrhus:

rhus: humor crudus, coctus metastasin faciens, qui varia phænomena & præsagia præbent. 4. Humor urinæ viæ & generationis in utroque sexu etiam varius urinæ mistus hac via emittitur.

IV. Urinæ secretio duo morborum genera suggerit. 1. Qui pertinent ad urinæ secretionis actionem, ut Ischuria, Dysuria, Profluvium, Stillicidium, Incontinentia, Micturitio, qui specialibus titulis proponuntur. 2. Qui differentias seu varietates liquoris emissi, hoc loco tradendi, complectuntur, & Uromantia vocatur.

V. Inspicitur urina 1. Ut perpendantur inventa phænomena 2. Vel examinatur in cognito morbo, ut ex inventis petatur cognitio, vel præsagium. 3. Vel generales inde deducimus effectus.

VI. Phænomenorum examen Uromantia dictum refertur 1. Ad liquorem ipsum, 2. Ad ea quæ in hoc liquore continentur.

VII. In liquore perpendimus 1. Quantitatem, 2. Qualitatem, 3. Coctionem, 4. Cruditatem.

VIII. Quantitas urinæ, ex communi humore, qui etiam per alia emunctoria eliminari potest, constans, & speciali, solis renibus segregando, copia multum differre potest, sine sanitatis detrimento, regulariter fere dimidium assumtorum aufert. Recedere potest 1. in abundantia, quo pertinet Profluvium & Diabetes, & 2. paucitate vel defectu, quo refertur Ischuria.

IX. Copiosius evacuata 1. Post potum copiosiorem aquosorum, clara & pellucida est; prævenitur parciore ingestione; relinquit sanguinem dilutum, solidaque laxiora, & debilitatem actionem. 2. Ex abusu diureticorum infert debilitatem & siccitatem, nisi antecesserat tenuis abundantia in corpore; alias mucilaginosis, oleosis, & lactis potu curanda. 3. Ex tenuis abundantia in corpore, ut in hydropicis & leucophlegmaticis & alia evacuatione minuta, salubris. 4. Ex resolutione critica, tam in chronicis quam acutis, salubris. 5. Sed ex colliquatione in iisdem mala, quando sæpe crassa & colorata redditur, antisepticis compescenda. 6. In summa humorum tenacitate aquosa emissa mala, & resolventibus curanda. 7. Ex consensu & mobilitate inducta damnosa, antispasmodicis compescenda. 8. In puerperis & largiore hæmorrhagia salutaris. 9. Ex particulari renum motu aucto damnosa, compescenda epithematibus ad lumbos ex adstringentibus refrigerantibus. 10. Ex metastasi ab alvi fluxu salutaris.

X. Urinæ excretio interdum minuitur vel integre supprimitur. 1. Defectu potionis, copiosiore ingestione augenda. 2. Sed a sanguinis lentore in acutis, febribus, inflammatoriis, rheumatismo nata, venæ sectione, diluentibus antiphlogisticis ingestis, & lumbis applicati, promovenda. 3. Ob sanguinis crassitudinem vel pituitam, in chronicis, hydropicis, cachecticis & leucophlegmaticis minuta secretio, diureticis calefacientibus promovenda. 4. Ex minuta renum particulari actione, in sopore, debilitate, frigiditate, apoplexia, catoche, vel laxitate, subsistens, iisdem calefacientibus est augenda. 5. Verum ob auctam aliam evacuationem, minuta, sæpe salubris, & sponte curatur, reliquis evacuationibus temperatis. 6. Ex consensu aliarum partium dolentium, mobilitate vel contusione, minuta procedens vel subsistens, anodynis antispasmodicis curanda. 7. Materia arthritica, podagrica, scorbutica, varioloſa, rheumatica, & acrimonia succi nervosi ad renes delata, supprimens vel minuens evacuationem, ad debita loca derivanda. 8. Vias urinæ comprimentes causæ in gravidis, lochiorum mensiumque suppressione, alvo adstricta, uteri, vaginæ, perinæi, prostatarum, intestinorum, & reliquarum adjacentium partium tumores, curationem eorum morborum exigunt. 9. Ut & tumores, inflammationes, contusiones, sarcomata viarum urinæ, secundum inventos morbos, curanda. 10. Calculus in his viis hærens, oleosis, mucilaginosis & diluentibus eliminandus, aut arte chirurgica tollendus. 11. Sed sanguis effusus concretus, glutinosum, mucosum, purulentum, viam obplens, resolventibus diureticis expellendum; in

vesica

vesica hærens injectio facienda ; his non procedentibus , immisso cathetere urina emittenda .

XI. Qualitatem multiplicem detegimus , 1. Visu . 2. Olfactu . 3. Gustu . 4. Sensu . 5. Consistentia . 6. Speciali qualitate . 7. Experimentis .

XII. Visu (XI , 1.) detegimus 1. colorem . 2. perspicuitatem .

XIII. Colores inveniuntur 1. magis intensi , vel 2. dilutiores , vel 3. varii .

XIV. Color naturalis proxime accedit colori corticis citri : dilutior debilibus , quiescentibus , pueris , largiore potatione : intensior robustis , operariis , adultis , parciore potu .

XV. Duplici materia constat , una colorata , altera decolore : ablatione diluentis minuitur quantitas cum incremento coloris ; aucta colorante augetur simul totius quantitas .

XVI. Retentione materiæ tingentis & copiosiore vehiculi communis dilutior fit color .

XVII. Inter varios colores posuimus urinam Albam , qui color urinæ non est naturalis : in Acutis notat exitum crudi cum retentione detriti , unde frequens ad caput metastasis : in Chronicis copiam materiæ crudæ : in Pulmonum morbis defectum præparationis : in Catarrhosis & Arthriticis exitum humoris acris : in Renum morbis muci evacuationem : in Pueris , debilibus & diæta largiore , utcumque naturalis est .

XVIII. Rubicundior fit 1. Defectu diluentis in parciore ingestione , largiore evacuatione , & nimia humidi depositione in hydropicis , quando simul parcior , ut in evaporatione . 2. Majore calore , in ardentibus , inflammatoriis , acutis , febribus , rheumatismo , aere calido , spirituosorum & calefacientium abusu , ut in urina cocta . 3. Putredine , in putridis febribus , erysipelatosis , hecticis , phthisicis , ut in urina loco calido servata . 4. Colliquatione , in cruditate , scorbuto , chronicis , catarrhosis , scabiosis , quibus sæpe pellicula supernatat , ut urina longo tempore servata . 5. Majore detritu , in aucto motu febrili & musculari , quando ejus copia simul augeri potest . 6. Suppressa sanguinis evacuatione , in mensibus , lochiis , hæmorrhoidibus & aliis , quando a mictu cruento distinguenda . 7. Colliquatum vel putrefactum cum urina emissum , cum perfecta , vel imperfecta miscela , urinæ quantitatem auget , & morbi incrementum præsagit .

XIX. Color urinæ naturalis Flavus seu Citrinus 1. In morbis cum materia , retentionem designat . 2. Intensior autem talis fit color in corruptione chronica , cacochymia , & scorbuto . 3. Ex stagnantibus & putrescentibus humoribus in hecticis , tympanitide , febre lenta . 4. Ex morbis acutis , erysipelatosis , putridis , vel inflammatoriis in corruptelam abeuntibus . 5. Ex bile corrupta sanguini mista sine bilis exitu impedito . 6. Denique a bilis permistione in hepatitide & ictero , quando linteum immersum vix eluendo colore inficit . 7. Simili interdum colore tingit Rhabarbarum adsumtum .

XX. Color urinæ Viridis , Lividus aut Niger 1. Ex sanguine retento aliquomodo concreto critice sæpe emittitur . Sed 2. ex sanguine vel pinguedine putrida malum signum . 3. Ex bile corrupta ictericorum maligna . 4. Ex melancholia interdum bona , interdum mala . 5. Ex materia sphacelata mortis præsagium . 6. Sed ab absumta Cassia fistula , nullum præsagium præbet .

XXI. Radii lucis libere per totam urinæ massam transeuntes nrinam Pellucidam præbent : inde partes terrestres nullæ , sed salinæ & aquosæ plerumque copiosissimæ : pinguedo , crudum , & biliosum corruptione vel colliquatione ad summam tenuitatem redacta , præbent in pellucida urina varium colorem ; ex quo dicitur splendida , flammea , lucida , nunquam bonum vel crisin præsagiens ; in quo coloris diminutio bonum indicium præbet , maxime in febribus biliosis .

XXII. Si autem libere non transeunt lucis radii per urinæ substantiam , Opaca dicitur urina : partes distinctæ simul apparentes Turbidam præbent urinam . Ex deficiente solutione terræ , olei , salis , vel materiæ morbi provenit . Frequens

quens Pulmonum & Ventriculi morbis . In Acutis cruditatem & difficilem crifin , frequentem recidivam & capitis mala portendit . In Hydropicis humoris defectum & corruptionem . In Ictericis copiam materiæ ſed minorem colliquationem . In ſolita ſanguinis evacuatione ſuppreſſa , arthriticis & podagricis , ſæpe emittit critice materiem . Hæc ita perſiſtens pertinaciorem unionem denotat , quam quæ ad fundum ſedimenti forma deponit materiem .

XXIII. Olfactu detegimus ſpecialem in ſana urina Odorem ab aliorum animalium urina diſtinctum . Odore carens , ut infantibus , in adultis defectum virium vel retentionem materiæ denotat . Gravis odor naſcitur poſt validam circulationem , vel diuturniorem retentionem . Alienus autem odor ex matulis receptus , nullum indicium præbet : ſed ab adſumtis aſparagis , terebinthina , cepis , inſpiratione diuturniore odoriferorum receptus , facile decipere poteſt . Fœtida urina in calculoſis , gonorrhœa , fluore albo , menſibus & lochiis ſuppreſſis , ulcere veſicæ , uteri vaginæ , pudendorum ab admiſto humore generatur . Sed fœtida proveniens in morbis putridis , colliquativis , magnum periculum portendit . Acidus odor obſervatus fuit in prævalente acrimonia acida .

XXIV. Guſtus pauca in urina detegere poteſt , & ad decipiendum utplurimum adhibetur . Inſipida eſt recens natis , aliis indicaret materiæ urinæ retentionem . Acris , talem humorum naturam denotaret , aut ſtagnationem , vel adminiſtionem , moleſtum exitum produceret . Dulcis eſt in chyli emiſſione , ut in diabete . Amara indicaret pinguedinis rancorem .

XXV. Tranſeuns urina per uretram aliquem ſenſum excitat . Non percipitur in delirantibus , ſoporoſis , apoplecticis , & extincto ſenſu uretræ . Dolorem movet ex muci defectu & acrimonia , atque uretra dolente : vel quando ipſa urina eſt acris , ſaponacea , bilioſa , putrida , valide abſtergens .

XXVI. Urinæ liquor libere tranſmittens radios lucis Tenuis cenſetur ; ſed difficilius tranſmittens , aut quando exhibet partes viſibilis Craſſa nominatur : minor quoque cohæſio inter partes Tenuem ; ſed major Craſſam urinam exhibet .

XXVII. Tenuior facta urina 1. Ex copioſiore aquæ ingeſtione laxitatem , & debilitatem , præſagit , niſi minuatur ingeſtio . 2. In minuta perſpiratione , prægreſſa hæmorrhagia , & partu , abundantiam aquoſi tollit . 3. In acutis , ſtatu morbi , ardentibus , inflammatione , phrenitide , pleuritide , lentore , catoche , capitis & pectoris morbis , materiæ retentionem arguit ; quare exſpectamus longitudinem , periculum , incrementum , metaſtaſin , recidivam , abſceſſum , convulſionem , delirium , agrypniam , metamorphoſin in pejus . 4. In chronicis , crudi retentionem deſignat , ſi ſimul ſit colorata colliquationem & corruptelam arguit , cum principiorum unione . 5. In ſpaſmodicis , hyſtericis , epilepticis , paroxyſmum præſagit . 6. In bilioſis , melancholicis , ſcorbuticis , nephriticis , morboſæ materiæ retentionem deſignat . 7. A diureticis adſumtis & animi pathematibus , motum particularem renum auctum eſſe deſignat .

XXVIII. Craſſior redditur urinæ liquor 1. Parciore potionis ingeſtione , vel copioſiore perſpiratione , ſudore , & alvi egeſtione , quando ſimul minuitur quantitas . 2. Deficiente præparatione ingeſtorum in debiliori actione organi chylopoietici & reſpiratorii , humorumque ſaponaceorum minuta quantitate , vel inverſa natura , vel quando nimia copia ingeruntur : inde in pueris , feminis , debilibus , morbis ventriculi & pulmonum , urina craſſa diu emittitur ſine levamine . 3. Detrita materia , vehementi circulatione in acutis , ardentibus , febribus continuis , intermittentibus & remittentibus , nata , in morbi principio urinam craſſam faciens , magnitudinem morbi denotat . 4. In morbo autem acuto ad criſim tendente , ſolutionem materiæ indicans , ſalubrem criſim præſagit . 5. Sed in iiſdem ſine ratione veniens colliquationem arguit ; unde periculum , metaſtaſin , longitudinem , malaque capitis præſagit . 6. Materia pituitoſa , catarrhoſa , gravedinis , ſcorbutica , arthritica , albam & craſſam præbet urinam , quod craſſamentum tandem ad fundum ſolet deponi . Pus autem citius ad fundum colli-

gitur, ſive ex toto corpore veniat, ſive ex urinæ viis. 8. Mucus viarum urinæ craſſiorem faciens urinam, cum emiſſionis difficultate reddi ſolet. 9. Humor bilioſus, melancholicus, & ſphacelatus, ſuo colore a reliquis diſtinguitur. 10. Humores nutrititii relaxatis tubulis renalibus, quando Diabetes vocatur, exeuntes virium debilitatem præſagiunt.

XXIX. Urinæ liquor 1. Æqualis eſſe debet, ſi autem Inæqualis ſit, vehementem turbationem indicat. 2. Conſtans etiam prævalentem vim vitæ indicat; ſed Inconſtans aut Varia urina, vim vitæ deficere, aut morborum multitudinem, aut ſpontaneam corruptionem, deſignat. 3. Viſcida aut Tenax urina ſimilem circulantium malam naturam denotat, niſi fiat a muco in itinere admiſto. 4. Acris eſt interdum ex tali ſecreto humore, vel ob muci acrimoniam aut defectum. 5. Ita quoque fit putrida in morbis putridis, calculoſis, ſtagnatione, ulceribus viarum urinæ, aut ichore urinæ admiſto. 6. Oleum aut lixivium colore & conſiſtentia referens, colliquationis eſt indicium. Si autem aquam referat pelluciditate & tenuitate ex urina tenui (XXVII) intelligi poteſt. Lactis colorem habens in colore albo (XVII) traditur.

XXX. Experimentis, affuſione alcali vel acidi detegunt ſubſequente effervescentia, ſi in urina Acidum vel Alcali prædominet: ſed lintei immerſione tinctura flavam non facile deponentis cognoſcunt Bilis admiſtionem.

XXXI. Urina dicitur Cocta, quæ indicat vim vitæ prævalere, morbi materiem præparatam eſſe & evacuari, unde admodum differunt phænomena. 1. In Sanis, citrinus color cum levi nubecula. 2. In Acutis rubra urina cum albo ſedimento. 3. In chronicis modice tincta cum levi ſedimento, coctionem ſignificat.

XXXII. Eadem phænomena in contrariis morbis venientia Cruditatem arguunt: ut & multa alia, quæ ob numeri magnitudinem recenſeri nequeunt.

XXXIII. Quæ viſibilia (VI) in urinæ liquore continentur. 1. Sunt urinæ Propria. 2. Aliena.

XXXIV. Propria 1. ſunt per totam maſſam diſperſa in urina Turbida (XXII); vel Miculas formant. 2. Vel adcreſcunt lateribus matulæ. 3. Ad ſuperficiem colliguntur. 4. In medio natant. 5. Vel ad fundum deponuntur.

XXXV. Materia ſalina nitroſa præbet in medio refrigeratæ urinæ Cryſtallos oblongas, micantes, minutiſſimas, in iis, qui laborant doloribus vagis, frigidis, ſcorbuto, pallore, & longa valetudine.

XXXVI. Vel Cryſtalli hæ magis terreſtres & rubræ, ſcorbuticorum, arthriticorum, nephriticorum, podagricorum, quibus frequens eſt nervorum & lumborum dolor frigidus, lateribus uroſcopii adcreſcunt, in quibuſdam tenaciſſime ut vini tartarus, in aliis autem poſt formationem præbent in fundo matulæ ſabuloſnem vel arenulas: hæ antiſcorbuticis calefacientibus, roborantibus evaneſcunt.

XXXVII. Quæ ad urinæ ſtagnantis ſuperficiem colliguntur, reliqua maſſa ſunt leviora, & ſua natura diſtincta: arguunt humoris corrupti exitum ſine levamine.

XXXVIII. Spuma copioſa & perſiſtens, ſaponaceam urinæ naturam indicans, generatur in nephriticis, purulentis, hecticis, colliquativis, & putridis tam chronicis quam acutis morbis, cum corporis emaciatione, & debilitate: non niſi longo uſu antiſepticorum emendari poteſt.

XXXIX. Eadem materia corrupta levis, ſed tenacior, tandem refrigeratæ urinæ ſuperficiem tegit Pellicula, quæ uroſcopii inclinatione lateribus adhærere ſolet. Hæc in ſcorbuticis, intermittentibus, cacochymicis, febre hectica, & colliquativa, longitudinem & pertinaciam præſagit; in acutis interdum convulſionem promittit, antiſepticis reſolventibus curanda.

XL. Atque in morbis colliquativis urina in ſuperficie materiem pinguem, ut lac cremorem, format, cum magna corporis emaciatione.

XLI. Ma-

XLI. Materia viſibilis in refrigeratæ urinæ medio inſtar Nubeculæ collecta, ſurſum vergens mala capitis portendit, deorſum vergens ſalubrius: inde delirii, phrenitidis, parotidum, convulſionis & rigoris præſagium. Color in nubecula ruber, albus, lividus, niger, denotat an ex materia detrita, cruda, colliquata, melancholica, aut ſphacelata proveniat, unde formatur prognoſis.

XLII. Materia viſibilis, tandem in refrigerata & quieſcente urina inſtar pulveris gravioris ad uroſcopii fundum collecta, ex materia cruda, vel critica, vel morboſa confecta, vocatur Sedimentum: quod 1. Quantitate, 2. Colore 3. Qualitate, varium, multa in morbis præbet diagnoſtica & prognoſtica.

XLIII. Sedimentum Copioſum, multitudinem materiæ arguit: inde malum in materia cruda & morboſa; ſed in critica tam acutorum quam chronicorum ægrum liberat.

XLIV. Deficiens autem vel minori copia apparens, in morbis omnibus, qui viſibile ſedimentum præbere ſolent, ſignum eſt vel retentionis, vel colliquationis: ſed in aliis, ut & in peſtilentialibus, neque bonum neque malum indicium præbet.

XLV. Albus in ſedimento Color & conſtans ex materia critica morborum acutorum, & febrium, ſalutem portendit. Ita etiam a materia Purulenta, modo non adſit ſcaturigo perpetua. In Catarrhoſis, arthriticis, podagricis, ſcorbuticis, gravedine laborantibus, crudorum exitum denotat, interdum ſimul acre educit. In debilibus, chronicis, cacochymicis, pueris, feminis, valetudinariis, anorexia, dyſpepſia, aſthmate, vel bilis defectu laborantibus, aut qui nimis larga utuntur diæta, imperfectam chyli concoctionem arguit. In morbis veſicæ & viarum urinæ, gonorrhœa, fluore albo, nephriticis, muci vel puris admiſtionem deſignat.

XLVI. Flavum ſedimentum ex bile, chylo, pure, pinguedine, nutritiis humoribus corruptis, formatum, ſemper longitudinem & periculum portendit.

XLVII. Ruber color in acutis, febribus, & inflammatoriis morbis, majorem detritum arguit, & ſæpe ſalutem portendit, niſi diu permaneat, vel redit poſt peractam criſin. In podagricis vehementiam morbi denotat. In ſcorbuticis ex ſale tingente fit. In menſium retentione cum levamine emittitur. Hoc ſedimentum a ſanguine emiſſo eſt diſtinguendum, in nephriticis & mictu cruento.

XLVIII. Sedimentum lividum, nigrum, viride, ex ſanguine, bile, pinguedine corrupta, vel ex melancholia, ſemper malum præſagium præbet.

XLIX. Æquale ſeu Læve ſedimentum notat perfectam coctionem & ſimplicem morbi materiem, Inæquale, Aſperum, Divulſum, & Turbatum redditur in imperfecta coctione, & varia materia congregata. Craſſum ex partibus majoribus cohærentibus confectum cruditatem vel corruptelam arguit. Tenue autem ſalubrius eſt. Grave ex materia purulenta ſalubre eſt, ſed ex bonis humoribus malum portendit. Læve autem ex nubeculis intelligitur.

L. Farinoſum ſedimentum imperfectam materiæ ſubactionem arguit, longitudinem portendit, quæ tamen aucto motu vitali curabilis eſt. Lateritium ex farina cum quadam rubedine interſperſa quaſi conſtans, febris intermittentis eſt characteriſticum ſignum, ſi non adhæreat lateribus uroſcopii: in ſcorbuticis autem inſtar cryſtallorum particulæ rubræ lateribus adcreſcunt. Sputiforme, mucoſum, pituitoſum, viſcidum, geniturale, vitri inſtar in fundo hærens, cui incumbit aliquid farinoſum vel ſubrubrum ſedimentoſum, indicans evacuari pituitoſum, vel gelatinoſum, morbi longitudinem præſagit.

LI. Bonum ſedimentum conſtans, ſenſimque copia ad ſtatum morbi increſcens, ſolutionem portendit: Inconſtans autem periculum præſagit: malum ſedimentum conſtans & inconſtans nunquam bonum præſagit; melius ſenſim quantitate minui quam increſcere.

LII. Quo citius in acutis ſedimentum indicat ſigna coctionis, eo brevior futurus morbus: plane autem in principio cruditatis abundantiæ ſignum eſt.

LIII. Quæ corpuſcula, vel partes viſibiles, ab urina diſtinctæ cum calente urina emittuntur, utplurimum propriis titulis proferuntur. Sic Calculus, Sabulo, Arenulæ, Calculi nomine veniunt. Sanguis ad Mictum cruentum refertur. Carunculæ, furfures, ſquamæ, pus, morbum viarum urinæ arguunt. Grumus, filamenta, membranæ, pili, corpuſcula oblonga vermium inſtar, ex prægreſſa concretione formantur, pus, mucus, ichor ex partibus adjacentibus.

LIV. In aliquo cognito morbo varia ætate & gravidis, ſi urina ſit examinanda, ut inde formetur præſagium, adtendendum ad phænomena expoſita, quæ comparata ad cognitam cauſam præſagium ſuggerent. In morbis autem peſtilentialibus, quia materia inviſibilis; particularibus, quia materia ad renes non venit; ſolidarum partium, quia non formatur materia, fruſtra quærimus in urina indicium.

LV. Illa autem præſagia magis generalia & certa fiunt ex multis congeſtis in urina ſignis. 1. Promittimus Sanitatem, vel morbi Brevitatem, ex nubecula alba vel ſubrubra ſenſim deorſum deſcendente, ſedimento ſimili die critico veniente, & bene colorato urinæ liquore. 2. Longitudinem ex urina intenſe rubra, cruenta in principio, tenui, diaphana; ſedimento craſſioris farinæ partes referente, grumoſo, inconſtante, inæquali, mucoſo, pellicula ſupernatante, ſpuma multa. 3. Metaſtaſin ex urina ſenſim tenuiore, inconſtante vel turbida. 4. Parotides ex urina ſenſim tenuiore cum nubecula ſurſum tendente. 5. Delirium & Phrenitidem ex iiſdem, maxime ex nubecula ſimul nigra; ſed ex urina turbida prædicuntur cephalalgia & alia capitis mala. 6. Convulſionem ex ſuſpenſione clara, ſpuma, pellicula innatante, parciore vel ſuppreſſa, aquea copioſa in chronicis. 7. Recidivam ex urina rubra cum rubro ſedimento ſero veniente; colorata tenui, poſt criſin; perturbata ſedimentum non deponente; flava cum albo ſedimento crudo. 8. Metamorphoſin ex urina inconſtanti in colore & contentis. 9. Maciem ex urina ſpumoſa, oleoſa, fœtente, craſſa, alba, copioſa. 10. Hydropem ex urina lixivioſa cum dyſpnœa; parciore, maxime in morbis pectoris & pulmonum.

190. HÆMORRHAGIA.

I. Sanguinem rubrum vel extra corpus, vel in quadam corporis cavitate effuſum, Hæmorrhagiam vocant.

II. Varias complectitur ſpecies. 1. Naturalis eſt in menſtruatione & lochiis, niſi modum excedant. 2. Tuſſiendo ex pulmonibus ejectus ſanguis, Hæmoptyſis. 3. Exſcreando ex faucibus ejectus, Sputum cruentum. 4. Vomendo ex ventriculo per os emiſſus, Vomitus cruentus. 5. Per alvum depoſitus ſine dolore, Diarrhœa cruenta, cum dolore, Dyſenteria cruenta. 6. Ex ani vaſis ſtillans Hæmorrhoides fluentes. 7. Per uretram emiſſus, mictus cruentus vocatur. 8. Ex naribus autem & reliquis partibus ſolitum Hæmorrhagiæ nomen ſervat. 9. Sanguis arte eductus ad Phlebotomiam vel Arteriotomiam refertur.

III. Maximam obſervant differentiam Practici inter Exiguam & Copioſam: Acervatam & Stillantem vel lentam: Criticam vel Symptomaticam: variis Temporibus morbi venientem, hæmorrhagiam.

IV. Generatur illa 1. Ex cauſa mechanica ſolvente vaſorum latera, in vulnere, contuſione, laceratione, quæ ſtatim ſiſtenda, niſi caſu profit. 2. Quæ autem fit ab acrimonia interna vel corrodente applicata, ſimul requirit corrodentis emendationem vel ablationem. 3. Ab impetu majore veniens ſe ipſam ſiſtit; abundantior autem ſiſtendus, aut ad aliam partem derivandus, ſi ex loco periculoſo fiat. 4. A refluxu impedito infidele levamen infert, ſublata remora compeſci debet. 5. Quæ fit fragilitate, laxitate, ſuſtentaculi defectu, præter auxilia his morbis propria, exigit artificialem ſuſtentationem. 6. Humorum tenuitas, in

morbis

morbis endemicis, peſtilentialibus, petechiis, acutis in corruptelam abeuntibus, chronicis colliquativis, ſcorbuto & ſimilibus, periculoſiſſimam hæmorrhagiam infert, antiſepticis leniter adſtringentibus compeſcendam.

V. Varia præbet præſagia 1. In diverſo corporis ſtatu & morbo. 2. Ex cauſis hæmorrhagiam excitantibus. 3. Varia hæmorrhagiæ ſpecie. 4. Præter hæc, ſi effundatur in nimia hæmorrhagia ſanguis extra corpus, omnia mala, quæ in Defectu traduntur, veniunt. 5. Si autem fiat effuſio in cava corporis, præter mala ex defectu, ſanguis effuſus ſua mole comprimit, & tandem ſuperveniente corruptione varios morbos producit.

VI. Siſtitur hæmorrhagia ſi requiritur 1. Compreſſione. 2. Applicatione ſtypticorum. 3. Minuendo generalem impetum actu frigidis, ligatione modica membri magni, imo phlebotomia in alia parte. 4. Abſciſſione vel uſtione vaſis aperti, reliqua ſi non juvant.

TITULUS VI.

ACTIONES FEBRILES.

Febris multiplex patitur diſtingui 1. *Per Paroxyſmos*, 2. *Durationem*, 3. *Phænomena ſpecialia in cute*, 4. *Morbum novum ſupervenientem, qui dicitur febris ſymptoma*, 5. *Cauſam variam febrem inducentem, quæ tunc dicitur febris ſymptomatica vel illegitima.*

191. FEBRIS.

I. Qui morbus incipit cum horripilatione, frigore corporis & pulſu debiliore ab interna cauſa; pergit cum majore calore, pulſu frequentiore & duriore; recedit cum calore temperatiore, pulſu ſua duritie & frequentia magis ad ſtatum ſanorum accedente, atque plerumque cum erumpente ſudore, habens tribus his ſtadiis adjunctam ægritudinem, vocatur Febris.

II. In quibuſdam anomalis interdum hæc characteriſtica variant; ut maneat frigus obrutis viribus vitæ; vel incipit cum calore ſi per exercitia validiora aut calefacientium abuſum nata fuerit febris; vel aliam evacuationem producens ſine ſudore finitur. Sed ſi abſit ægritudo, ut in exercitiis, vel abuſu calefacientium, licet reliqua ſucceſſive ſequantur, non dicitur febris.

III. Variæ ſunt febrium ſpecies 1. Ex Duratione: Continua, Intermittens, Remittens, quotidiana, tertiana, quartana, ſemitertiana, ſimplex & compoſita, Ephemera. 2. Ex prævalente ſymptomate Ardens, Crymodes, Phricodes, Hectica, Dyſenterica, Putrida, Typhos, Aſodes, & multæ aliæ ſine neceſſitate ab auctoribus enumeratæ. 3. Ex cauſa ſuſcitante, Bilioſa, Eryſipelatoſa, Inflammatoria, Varioloſa, Morbilloſa, Epidemica, Endemica, Peſtilentialis, aliæque ſymptomaticæ in febrium cauſis perquirendæ.

IV. Omne alienum, quod ad organum vitale applicatum, iſtud ita inſtigat, ut ſuo conamine tentet ſe liberare, proxima eſt cauſa febris.

V. Materia illa 1. Conſtans vix ſuperanda, ac ſi eſſet mechanica, pergens irritare, donec ejiciatur, febris Continuæ præbet ideam: quare hæc caret antidoto, ſed ejectione materiæ plerumque ſub puris forma, deſinit. 2. Quæ autem materia morboſa patitur ſubigi, relicto quaſi malo ſemine in corpore, iteratis paroxyſmis ſubigendo, antidotum admittit, & pro ſua varia natura diverſas Intermittentium ſpecies exhibet. 3. Scaturigo morboſæ materiæ perpetuo fundens vel interpolatis vicibus, præbet varias ſpecies febrium Remittentium, quæ ſemper ſunt ſymptomaticæ, & quarum curatio eſt dirigenda ad detectam ſcaturiginem mali.

VI. Le-

VI. Legitima Continua non abit in Remittentem vel Intermittentem, niſi prius mutata natura materiæ : illegitima autem, ex materiæ intermittentis vel remittentis majori copia, ſenſim ſponte continuæ typum relinquit.

VII. Intermittens autem, aucta copia vel pertinacia materiæ, vel minutis viribus, in remittentem & continuam illegitimam degenerat.

VIII. Symptomatica Remittens nunquam in legitimam intermittentem commutatur; ſed ſæpe continuæ illegitimæ formam induit, aucta copia vel malignitate materiæ, vel viribus debilitatis.

IX. Ne Intermittens prolongata vel reduplicata confundatur cum remittente aut continua vel ſymptomatica, ſequentia ſunt obſervanda. 1. Si prius ingruit paroxyſmus febris, dein ſenſim naſcitur prævalens ſymptoma. 2. Aut increſcente primo paroxyſmo dein augetur ſymptoma. 3. Aut quando quoddam ſymptoma ingraveſcit in febre latente, dum iſtis temporibus augebatur paroxyſmus. 4. Dum in latente febre certis temporibus redditur urina cum ſedimento lateritio intermittentibus legitimis proprio. 5. Ex conſtitutione febris epidemicæ. 6. Ex dato febrifugo ſi pro tempore ceſſarunt ſymptomata.

X. Legitima febris Continua & Intermittens morbus eſt toti corpori communis, ejus ergo materia quærenda in communi maſſa circulatoria vel humore arteriarum, venarum, aut nervorum. Quia vero maxima mutatio habetur in corde & arteriis, harum partium humor obliniens videtur continere noxium. Sed in Symptomaticis fomes alicubi latitare poteſt, aut pars irritata totum corpus in conſenſum trahere valet.

XI. Quæ producuntur ex febre, differunt 1. Ex natura materiæ febris continuæ, intermittentis quotidianæ, tertianæ & quartanæ : in ſymptomaticis autem ſunt infinita. 2. Quæ producuntur ex aucto & minuto motu vitali & calore atque frigore. 3. Quæ ſpecialia fiunt ex majore copia materiæ febrilis in quadam parte. 4. Si febris aggreditur corpus ſanum vel aliquo morbo prius obſeſſum. 5. Si materia febrilis degenerat in aliam indolem vel alicubi deponitur.

XII. Generalis curatio febris legitimæ conſiſtit 1. In exſtinctione per antidotum. 2. Expulſione per emunctoria. 3. Coctione per vires vitæ.

XIII. In legitima Continua nullum antidotum eſt inventum; ſed in Intermittentibus legitimis, ſanum ceteroquin corpus aggredientibus, tutiſſimum & maxime per experientiam probatum iteratis vicibus eſt exhibendum.

XIV. Quia generalis maſſa (x) materiem febrilem continens evacuari nequit, neque venæ ſectio, neque vomitorium, neque purgans legitimam curat, ſed in ſymptomaticis hæc atque diuretica & ſudorifera ſæpe tollunt febrem.

XV. Methodica curatio per venæ ſectionem, præparationem, & moderamen virium vitæ, quibus præparatur materia ad expulſionem, cum evacuantibus deinceps exhibitis, præſtantiſſima eſt in Continuis, & Intermittentibus, quæ antidotis non auſcultant.

192. EPHEMERA.

I. Ex febrium continuarum ſpeciebus Ephemera eſt breviſſima, & mitiſſima, utplurimum intra 24. horas deſinens, aut levem valetudinem relinquens.

II. Cauſa irritans motum vitalem parva eſt & aucto motu vitali ſubigenda vel expellenda. Ut 1. in Perſpiratione prohibita per ſuſceptum frigus, tempeſtatem humidam, ventum, quando diaphoretico hypnotico facile ſuperatur, ut & leni ſudorifero. 2. Si autem fiat a copioſiore Ingeſtione, abuſu calefacientium, aromatum, vini, aut ſpirituoſorum, inſolatione, calore nimio, exercitio validiore, imperanda eſt quies, exhibenda aceſcentia, diluentia, interdum vero purgante vel vomitorio expurgandæ ſunt primæ viæ. 3. Cachexia, cruditas, aciditas, catarrhus, levis corruptio eryſipelatoſa, nidoroſa, hac febre ſæpe ſalubriter tolluntur, dum interim auxilia his morbis propria adhiberi poſſunt.

III. Uni-

III. Unicum paroxyſmum & non admodum gravem producit intra 24 horas deſinentem, vidi ſex horis abſolutum, horror quo incipit eſt levis, ut & frigiditas, calor non valde magnus, plerumque adeſt capitis dolor & laſſitudo totius corporis, reſpiratio frequentior, pulſus citatior non admodum durus in calore, urina poſt paroxyſmum fere ſana, ſed ſæpe ſedimentoſa, deſinit cum ſudore rorido.

IV. Quæ ex putredine, pinguedine, frequenti abundantia naſcitur, vel quæ perverſa methodo tractatur, ſæpe degenerat in ſynochum, continuam vel remittentem, & interdum hecticam.

V. Tota curatio ex cauſarum differentia deſumitur: ſi prolongata fuit, ut morbus ex mutatione inductus, curanda.

193. SYNOCHUS.

I. Inter febres continuas non admodum periculoſas ea eſt, quæ ultra viginti & quatuor horas durat, non vero ultra quatuor dies ſe extendit, unico continuato paroxyſmo, hanc vocant Synochum ſimplicem, aut non putridam, vel Ephemeram prolongatam, ut diſtinguant ab aliis Continuis diutius durantibus.

II. Cauſæ eædem ſunt, quæ in Ephemera adnumerantur, ſed quando materia retenta eſt copioſior vel tenacior; aut corporis vires ad ſubigendum & expellendum debiliores; vel quando materiæ Ephemeræ malam metamorphoſin fecit.

III. Symptomata febrilia producta graviora ſunt quam in Ephemera & diutius durantia: raro ſudore ſolo, ſed cum levi ſimul aliquo ſedimento in urina deſinit. Si autem diutius retineatur materia in corpore, vel abiit in malam metamorphoſin, relinquit longam valetudinem, vel producit febrem Continuam, quam Synochum putridam vocant.

IV. Temperandus eſt nimius febrilis calor antiphlogiſtico potu, dein refrigerante & diluente ſudorifero & diuretico materia eliminanda. Raro conducit venam ſecare niſi in plethoricis; vel alvum ducere, niſi cacochylia ſimul adſit.

194. CONTINUA FEBRIS.

I. Quæ febris unico paroxyſmo ſine intermiſſione vel remiſſione totum curſum abſolvit vocatur Continua.

II. Hæc non ultra viginti quatuor horas durans Ephemera, ad tres vel quatuor dies Synochus ſimplex, ſed diutius detinens Synochus putris & Continua vocatur. Si autem aliquomodo dimittat, ad Remittentes refertur.

III. Cauſa hujus, vel eſt conſtans donec omnino ſubacta vel expulſa fuerit; vel habet perpetuam ſcaturiginem, quæ non deſinit ſuppeditare, donec tota exhauſta fuerit.

IV. Leviſſima eſt, quæ ex materia cruda aliquomodo corrupta naſcitur, vel ex prohibita perſpiratione, cujus materia motu febrili expellitur; hæc potu largiore & aliquantulum calefaciente & diaphoretico tollitur.

V. Humores ſponte corrupti in debilibus, ſenibus, cachecticis, cacochymicis, ſcorbuticis, valetudinariis in principio interdum continuam, ſed plerumque in remittentem tranſeuntem, excitant, ſtomachicis, roborantibus, antiſepticis, & alvum laxantibus curandam.

VI. Interdum in principio conſtitutionis epidemicæ Intermittentium naſcuntur Continuæ, certis temporibus urinam cum ſedimento lateritio emittentes, quæ ut veræ intermittentes curandæ. Eædem etiam ex ingraveſcentibus intermittentibus naſcuntur, ſimili modo curandæ:

VII. Legitimæ continuæ cauſa eſt materia Inflammatoria, quæ præbet conſtantem ardorem, ſiccitatem, pulſum durum & frequentem, cum urina rubra,

bra, iterata phlebotomia, antiphlogiſticis, & diluentibus curanda.

VIII. Materia autem Eryſipelatoſa mordacem magis calorem inferens, cum pulſu celeri & minus duro, urinaque flammea, unicam venæ ſectionem admittit ſi nimis ſævit, antiphlogiſtica leniter adſtringentia exigit.

IX. Interdum putreſcentes humores ſtagnantes effuſi, vel evacuari prohibiti Continuam, ſæpius autem Remittentem inducentes, ſenſim evacuandi, & corruptionis progreſſus cohibendus antiſepticis.

X. Continua ex particulari inflammatione, rheumatiſmo, podagra, contuſione, vulnere, quæ erumpere facit variolas, morbillos & ſcarlatinam, cenſetur ſymptomatica, ut & illa, quæ in abſceſſu vel alia ſuppuratione venit.

XI. Continua Epidemica & Endemica ex ſpeciali conſtitutionis cognitione dignoſci & curari debet.

XII. Omnis continua periculoſa, maxime ſi recidivat, tranſeuns in abſceſſum vel ſuppurationem, longior fit: & cum diſcrimine ſi in corruptelam abit: optime tollitur critica evacuatione. Sphacelum humoris producens utplurimum lethalis eſt.

195. INTERMITTENS FEBRIS.

I. Omnis febris per iteratos paroxyſmos cum perfecta apyrexia intermedia, totam periodum abſolvens, Intermittens vocatur.

II. Ex redeundi tempore habetur quotidiana, tertiana, quartana ſimplex & duplicata, atque ſemitertiana: addunt nonnulli quintanam &c. quandoque etiam continuæ vel erraticæ vel remittentis typum æmulatur.

III. Legitima cauſa imperſcrutabilis, plerumque endemica vel epidemica: vernali tempore venientes faciliores & breviores, autumno graviores & pertinaciores.

IV. Sed illegitimæ, ut remittentes, proveniunt ex cachexia, cacochylia, ſcorbuto, corruptione, bile aliena, abſceſſu, ſuppuratione, catarrho, colliquatione, putredine, ulcere ſuppreſſo, viſciditate corrupta, ſcabie retropulſa, vini, pinguium, dyſpeptorum abuſu & nutrimenti abundantia, perſpiratione & ſudore ſuppreſſo, vigiliis nimiis, exercitatione validiore, dolore, acrimonia, animi pathematibus, tempeſtate frigida & humida.

V. Veniens in convulſione & epilepſia iſtos morbos ſæpe ſanat, cachexiam, cruditatem concoquit, obſtructiones reſerat, chronicum emendat, catarrhos exſiccat.

VI. Sed in ſanis laudabilem humorem invertit, unde cachexia, acrimonia, corruptio, cruditas, hydrops, leucophlegmatia, œdema, putredo, colliquatio, lentor, ſcorbutus, grumus. 2. Caput petens delirium, ſyncopen, cephalalgiam, catochen, ſoporem, convulſionem, agrypniam, apoplexiam, auditum vel viſum minutum, eryſipelas bulloſum. 3. In collo & pectore tonſillas, difficilem deglutitionem, anginam, reſpirationem moleſtam, tuſſim, pleuritidem. 4. In ventre anxietatem, inquietudinem, anorexiam, nauſeam, vomitum, faſtidium, ventris tumorem, indurationem, icterum, hypochondriorum obſtructionem, dolorem, ſuffocationem. 5. In toto corpore ſcabiem, puſtulas, maciem, atrophiam, debilitatem, rachitidem, tumores maxime pendentium, colorem luridum. 6. Interdum colliquatione facta generat diabetem, ſalivationem, diarrhœam, dyſenteriam, choleram, hæmorrhagiam, ſudorem colliquativum.

VII. Una intermittens interdum commutatur in alteram, tranſit in remittentem, continuam, acutam, hecticam atque morbum chronicum.

VIII. Omnino obſervandum in his num veniant ex legitima vel ſymptomatica, quantus ſit calor, frigus, qualis ſit pulſus, urina, ſudor, debilitas, pertinacia, recrudeſcentia, reduplicatio, recidiva.

IX. Legitima intermittens antidoto auſcultat, atque amaris cum moderata diæta

diæta ſponte evaneſcere ſolet : ſed ſymptomatica ſequitur cauſam talem febrem excitantem.

196. QUOTIDIANA FEBRIS.

I. Febris intermittens vel remittens ſingulis diebus exacerbata Quotidiana appellatur.

II. Hæc 1. producta poſt abuſum alimentorum vel potulentorum ex cacochylia, ſuperveniente vomitu vel alvi fluxu ſponte evaneſcit, & curatur abſtinentia, alvi ductione leni, & ſtomachicis. 2. In pueris, ſenibus, feminis & debilibus ex corruptione chronica, curatur ſtomachicis, antiſepticis, calefacientibus. 3. Quæ ex duplicata tertiana vel quartana venit, ut legitima, talis febris curanda additis antiſepticis ſtomachicis. 4. Ex intus latente lympha, pure vel ichore corrupto proveniens, ut illi morbi curanda.

III. Hæc utplurimum diu durans tandem in hecticam degenerat, & longam valetudinem inducit.

IV. Curatio dirigenda ad cauſas; in infantibus antacida roborantia excellunt.

197. TERTIANA FEBRIS.

I. Quæ febris alterno die novum producit paroxyſmum Tertiana dicitur ſive ſit legitima, aut ſymptomatica, ſive ſit intermittens vel remittens.

II. Quæ Tertiana intermittit cum apyrexia, ex imperſcrutabili epidemica cauſa plerumque oritur, & raro ultra ſeptem periodos extenditur.

III. Sed Tritæophyes remittens vel erratica, ex variis naſcitur cauſis, plerumque ex corrupta bile, cachexia, cacochylia, corruptione humorum, putredine, pure latente, catarrho, colliquatione & ſimilibus, poſt exercitia validiora, animi curam, æſtatem calidam, tempeſtatem humidam, vini, aromatum, pinguium, calefacientium abuſum, & lucubrationes.

IV. Legitima periculo caret, & cum puſtulis labiorum ſæpe definit: ſed perverſa diæta vel medicatione interdum prolongatur & duplicatur, atque in corruptelam abit. Tritæophyes vero varia ſymptomata infert pro natura cauſæ.

V. Nam ex corrupta bile proveniens inducit anxietatem, nauſeam, faſtidium, horrorem, anorexiam, inquietudinem, hypochondriorum moleſtiam, urinam flavam turbidam ſpumoſam, vomitum materiæ bilioſæ, talemque alvi egeſtionem, qua levatur, vel dyſenteriam, teneſmum, agrypniam, cachexiam, cephalalgiam, icterum; quæ non ſervat critica tempora, ſed ſanatur alvi egeſtione bilioſa, vomitorio, purgante, & ſaponaceis aceſcentibus.

VI. Si vero putrefacti corrupti humores ſymptomaticam plerumque remittentem tertianam inducunt, evadit pertinax, diuturna, ſæpe recrudeſcens & recidivans, cum horrore, rigore, debilitate, & periculo, pulſu & urina varia, producit ſitim, ulcera, puſtulas, aphthas, ſalivationem, ſudorem, colliquationem, ſoporem, delirium, convulſionem, calorem mordacem.

VII. Legitima optime auſcultat antidoto, ſed & ſponte definit brevi tempore: ſymptomaticæ pro natura cauſæ curatio variat.

198. QUARTANA FEBRIS.

I. Quæ febris quarto quovis die paroxyſmum facit raro ultra octo vel decem horas durantem, relinquens duos intermedios dies omnino ægrum liberum a febre, vocatur Quartana pura: ſed reduplicans paroxyſmos ut eodem ſpatio temporis redeant bis aut ter, adeo ut tandem omni die habeatur paroxyſmus, vel magis prolongata, ut referat remittentem, vel continuam, Quartana prolongata vel reduplicata audit.

II. Raro niſi ex epidemica conſtitutione & autumnali tempore naſcuntur quartanæ: quæ vero ſtatuuntur generari ex continuis, remittentibus, erraticis & aliis intermittentibus, non fiunt ex mutata natura materiæ, ſed quia initio ipſa quartana fuit protracta: neque catarrhi, ſcabies aut ſcorbutus in legitimam convertuntur, niſi ipſa prius ſub illo phænomeno latuit.

III. Per ſe non periculoſa ſed longo tempore durans, ſi ſit vehemens aut reduplicetur, abiens in continuam, remittentem, acutam febrem vel morbum chronicum, periculo non caret.

IV. Inducit præ aliis febribus in principio magnum frigus, horrorem, rigorem, tremorem, ſtuporem, unguium livorem, faciei pallorem; ſed in calore, pulſu & ſudore non multum differt ab aliis febribus; exhibet finito paroxyſmo urinam cum ſedimento lateritio; raro ante ſolſtitium hyemale vel æquinoctium vernale definit, interdum ad multos annos extenditur.

V. Diu durans, aut vehementior, vel quaſdam partes præ ceteris aggrediens multa anomala infert; hydropem, leucophlegmatiam, cachexiam, maciem, atrophiam, cruditatem, debilitatem, vitiatam appetentiam, icterum, grumum, colliquationem, hæmorrhagiam ſymptomaticam, rheumatiſmum, ſcorbutum, ſcabiem, ſcirrhum, ſyncopen, extremarum tumorem, obſtructionem viſcerum. Invadens cachecticos, convulſos, epilepticos, ſæpe ſanationem attulit: ſed gravidas aggrediens non raro abortum producit.

VI. Specifica cauſa quartanæ admittit antidotum, quod repetitum etiam poſt receſſum prævenit recidivam. Maxime valet circa conſuetum tempus finiendi exhibitum. Phlebotomia & purgans nihil valent neque vomitoria: ſed ſudoriferum inſtante paroxyſmo exhibitum ſanationem attulit.

199. REMITTENS FEBRIS.

I. Quæ febris tali modo per paroxyſmos totam abſolvit periodum, ut ſequens paroxyſmus incipiat priuſquam antecedens plane deſiit, Remittens vocatur.

II. Hi paroxyſmi redeuntes quotidie formant quotidianam, alterno die tritæophyen, raro quarto die exacerbantur, ſed ſæpius uno die unicum, altero die duos paroxyſmos concitant, quando hemitritæos vocatur: hi paroxyſmi ſunt conſtantes, vel inconſtantes, vel erratici.

III. Omnes hæ ſpecies inveniuntur in praxi pertinaces, diuturnæ, periculoſæ, interdum malignæ & contagioſæ, raro bonam criſim facientes.

IV. Non ſemper eadem eſt harum febrium materia. 1. Materia intermittentium priuſquam typum induerit, vel poſtquam nimis debilitaverit corpus, optimam in hoc genere ſpeciem præbet. 2. Febris acuta, ardens, continua, inflammatoria, aut eryſipelatoſa, in corruptelam degenerans, pejorem ſpeciem inducit. 3. Interdum Endemici vel Epidemici morbi in aere & regione calida & humida, ut & quidam peſtilentiales ſtatim hunc typum induunt. 4. Morbi quidam chronici, poſt bilem, pinguedinem, vel albuminoſum, aut gelatinoſum corruptum, hanc ſpeciem inferunt, ut in cacochymicis, colliquativis, hungarico morbo. 5. Morbi purulenti, ut in ſuppurationibus, & abſceſſibus internis, atque in hecticis, ſi pus tranſeat in ichorem. 6. Denique Corruptio ventriculi, meſenterii, inteſtinorum, lienis, renum, omenti hujuſmodi febrem induxit.

V. Unde patet varia & anomala generari ſymptomata vix deſcribenda, ex variis his cauſis & diverſis obſeſſis partibus: & quia hæ cauſæ non facile viribus vitæ ſuperantur, & utplurimum latent, harum longitudo, periculum, & pertinacia, facile intelligitur.

VI. Ipſa febris non admittit certam curationem, quæ ſequi debet detectam cauſam, quare ex generali curatione cauſarum in febribus eſt petenda.

200. TRI-

200. TRITÆOPHYES FEBRIS.

I. Quæ febris alterno die exacerbatur, ut perfectam apyrexiam non admittat, & plerumque inordinate, Tritæophyes vocatur.

II. Hæc ſi proveniat ex quacumque febre intermittente prolongata, & duplicata, ut legitima intermittens eſt curanda, additis quibuſdam antiſepticis. Sed veniens ex bile aut pinguedine putrefacta, in his alvus laxior ſervanda purgantibus refrigerantibus ſaponaceis aceſcentibus, donec ſenſim omne corruptum per alvum eductum ſit.

III. Nunquam per urinam vel ſudorem criſim perfectam facit; levatur alvi biliosa dejectione: ex intermittente nata minori doſi antidoti eget, antequam miteſcit.

IV. Specialem non admittit curationem.

201. SEMITERTIANA FEBRIS.

Is Quæ febris uno die ſemel, altero die bis exacerbatur, ſive remittat, ſive intermittat, Semitertiana vocatur.

II. Interdum 1. eſt epidemica, maligna, contagioſa, autumno poſt tempeſtatem humidam & calidam invadens; regioni calidæ & juvenibus frequentior: hujus curatio ex epidemicis petenda. 2. Vel ſequitur inflammationem aut eryſipelas viſcerum in corruptelam degenerans, aut perſeverantem dyſenteriam; quando omnem fere medelam reſpuit; curatio in antiſepticis quærenda. 3. Pus, ſanguis, bilis, intus putreſcentia, corrupta, in phthiſicis, hecticis, & febre lenta, hemitritæon producentia, hujus humoris corrupti evacuationem indicant, dum intus manentes balſamicis condiantur.

III. Periculum ſummum portendit 1. Frequenti redeunti paroxyſmo. 2. Malignitate materiæ. 3. Latente cauſa. 4. Inemendabili natura materiæ.

IV. Cauſa varia non admittit generalem curationem, in genere antileptica refrigerantia vel neutra.

202. DUPLICATA FEBRIS.

I. Quæ febres tertianæ vel quartanæ mediis diebus novum paroxyſmum faciunt, hæ Duplicatæ dicuntur. Sed quartana ſingulis diebus paroxyſmum faciens, Triplicata poteſt vocari.

II. Febrilis materiæ 1. incrementum, ut novum paroxyſmum formare poſſit; vel 2. virium defectus, non valens unico paroxyſmo omnem ſubigere & expellere materiem; vel 3. alia nova febrilis accedens materia, Duplicatam febrem generat.

III. Semper ex duplicatis paroxyſmis majus periculum imminet, & curationi præbet difficultatem, etiamſi multi ex hypotheſi contrarium ſtatuant.

IV. Curatio a ſimplici non differt, niſi quod coacti ſimus majori doſi antidoti uti, & magis continuato uſu prævenire recidivam.

203. ERRATICA FEBRIS.

I. Quæ febres intermittentes vel remittentes incerto tempore exacerbantur, Erraticæ appellantur.

II. In conſtitutionis febrium intermittentium principio, maxime quartanarum autumnalium, inveniuntur plerumque 1. Erroneæ, quæ pergentes verum typum intermittentis induunt. 2. Etiam intermittentes prolongatæ quandoque Erraticæ fiunt; quæ ut legitimæ curandæ. 3. Corruptio humorum varia Er

raticam febrem inducens, ut corruptio, non vero ut febris, curanda.

III. Ex conſtanti erratica facta & perſeverans quia corruptelam ſupervenientem indicat, periculum auget.

IV. Curatio ex cognitis cauſis petenda.

204. ACUTA FEBRIS.

I. Quæ febres continuæ vel remittentes valida producunt ſymptomata, & raro ultra quatuordecim dies durant, dicuntur Acutæ.

II. Naſcuntur plerumque ex inflammatione vel eryſipelate generali, alias dicuntur ſymptomaticæ quæ ex ſpeciali inflammatione vel eryſipelate veniunt vel interdum ex bile acri calida, vel corruptione calida.

III. Pro diverſa cauſa effectus variant, ſed validis iſtis ſymptomatibus ſummam debilitatem ſemper inferunt.

IV. Curatio dirigi debet ad cauſas; in genere phlebotomia conducit cum antiphlogiſticis internis.

205. CHRONICA FEBRIS.

I. Febris plerumque remittens, leniſſimis ſymptomatibus vexans, ut ægri interdum dubitent ſe febricitare, diu tamen detinens, magnam tandem corporis emaciationem inducens, vocatur Lenta & Chronica, a quibuſdam Nervina, & Interna.

II. Senſim naſcitur in longa valetudine, debilitate, æquilibrio deſtructo, animi curis & pathematibus, habitatione in regionibus paludoſis, tempeſtate pluvioſa, evacuatione nimia: atque in cachecticis, chloroſi, ſcorbuto, cruditate, leucophlegmatia, ſi hi humores ſponte corrumpuntur: denique relinquitur poſt ardentes, acutas, intermittentes & remittentes; menſtrua ſuppreſſa; aut latentes chronicas viſcerum obſtructiones.

III. Latenter hi homines frigent, calent, & horrent; lingua pellicula plerumque tecta; membra extenuantur, quæ tamen videntur gravia & laſſa ſine prægreſſo labore; pulſus debilis & frequens inordinatus; urina plerumque alba craſſa, interdum pellucida flava; nervorum morbis ſæpe ſimul vexantur, quare a quibuſdam nervina dicta.

IV. Obſervandum in curatione an aliqua interna latitet viſcerum obſtructio vel corruptio, quæ prius curanda, ſed mera debilitas virium cum humorum ſpontanea corruptione curari debet roborantium, antiſepticorum, & corticis peruviani longo uſu.

206. VARIOLÆ.

I. Qui morbus incipit ut omnis febris continua cum horripilatione, frigore & dein calore per quatuor dies, dein in facie primo & tunc per reliquum corpus producit ſtigmata rubra ſenſim magis elevata, quæ ſeptimo die in ſe ſimili ordine pus conficere incipiunt, atque undecimo die iterum incipiunt exareſcere, ut decimo quarto fere omnes in cruſtulas commutatæ ſint puſtulæ, Variolæ dicuntur. Detegitur inſtans morbus 1. conſtitutione epidemica, 2. ætate convenient, 3. contagio ſuſcepto, 4. ſymptomatibus enarrandis. 5. tempore anni.

II. Quæ variolæ ita incipiunt circa æquinoctium vernale, & ſi febris cum eruptione miteſcit, poſtea autem aliquantiſper exacerbatur, non multa aliena ſymptomata inferentes, & finito tempore ſua ſtadia abſolventes dicuntur Regulares: ſed citius incipientes, tempus durationis abbreviantes vel prolongantes, multa aliena ſymptomata inferentes habentur Irregulares.

III. Puſtulæ diſtincta loca occupantes, ſe mutuo non tangentes conſtituunt

Vario-

Variolas diſcretas, ſed tam copioſæ ut multæ coeant, vel ſub forma maculæ aut veſiculæ prodeuntes præbent Confluentes.

IV. Communis cauſa variolarum eſt aeris conſtitutio epidemica, contagium hominis adfecti, & inſitio. Sponte naſci variolas raro obſervatur.

V. Plerumque oriuntur æquinoctio vernali, intenduntur æſtate, miteſcunt autumno, hyeme ſilent, niſi ſequenti anno recrudeſcant: Irregulares autem maturius oriri ſolent & ſunt maligniores.

VI. Aggrediuntur frequentiſſime pueros & præcipue nunquam ante variolis correptos: ſi autem adultiores corripiant & præcipue robuſtos, vehementior ſolet eſſe morbus.

VII. Corpus noſtrum vivens materiem alienam in ſe continens, etiamſi ſit mechanica, concitat in motu vitali majorem actionem, quæ conatur ſubigere & expellere id alienum; & in humoribus format pus, quod alienum in ſe recipit, condit & una expellitur. Si vero materia non ſit pertinax ſed volatilis, ſola aucta circulatione abſolvitur negotium: ſed pertinax vi vitæ tamen prævalente, totus morbus temporibus criticis abſolvitur: pertinacior autem materia & copioſior facit ut prolongetur morbus, vel turbat puris confectionem in ichorem, vel ſuperans vim vitæ hominem interimit. Si vero varioloſa materia præter ſtimulum mechanicum alienam quoque qualitatem poſſidet, multa anomala fiunt in motu vitali concitato & puris confectione, quæ ex irregularibus Variolis manifeſta ſunt. Atque motus vitalis vehementior omnia pervertit, minor puris generationem retardat, & materiem non expellit.

VIII. Quoniam ex ſupervenientibus ſymptomatibus ſalutem, periculum & mortem prædicimus, atque mutamus curationem, præcipua delibabimus.

IX. Puſtulæ in Variolis Regularibus, diſtinctis ſtigmatibus rubris aliquantiſper elevatis ſe produnt quarto die primo in facie, dein ſenſim per reliquum corpus, ſeptimo die hinc inde in facie pus albicans in ſe colligunt, ſenſim magis flaveſcens: undecimo eodem ordine exareſcere incipiunt, & ſenſim ſquamulas dimittentes relinquunt maculas rubras in cute. Sed Irregulares utplurimum citius incipiunt & ſub forma maculæ latæ rubræ vel veſiculæ ichoroſæ prodeunt, pus conficientes magis flaveſcunt & nigreſcunt, & utplurimum puſtulæ magis complanatæ, cum macula nigra in ſummitate, magiſque in omnibus ſtadiis a ſolito ordine recedunt.

X. Quæ relinquuntur inter regulares Variolas interſtitia, ea tument & rubent colore roſeo: ſed in motu vitali nimis inſtigato, viribus hinc exhauſtis, interſtitia relinquuntur flaccida & pallida non tumentia, ita moriuntur ægri cum bene elevatis & ſuppuratis puſtulis. Hæc interſtitia ſi videri poſſunt in variolis confluentibus, eodem modo inveniuntur.

XI. Acre varioloſum concitat febrem continuam plerumque cum capitis & lumborum dolore, quæ in regularibus variolis evaneſcunt vel miteſcunt cum puſtularum eruptione, ſed tempore ſuppurationis febris quædam ſuppuratoria redire ſolet. Quo febris hæc vehementior, magiſque continuata, eo magis confluentes & maligniores variolas præſagit, denotans abundantiam materiæ vel vehementiorem indolem. Febris hæc ſi mediocris ſit, permittenda; ſed ſi vehementior ea erit temperanda ut febris acuta, exceptis purgantibus, ne materia feratur ad interiora.

XII. Si Dolor nimis vexat caput, lumbos, aliaſque partes, denotat acrimoniam materiæ varioloſæ, quam temperare non valemus, niſi antiphlogiſticis, ſi calor ſimul urgeat.

XIII. Convulſio ante eruptionem in pueris & infantibus ſine periculo obſervatur, quum corpus eorum mobile ex minima cauſa convelli ſoleat, & ſponte evaneſcit eruptis puſtulis: ſed in adultis vehementiam denotat, & aliis temporibus veniens metaſtaſin declarat.

XIV. In adultis & robuſtis ex majore impetu ad caput ſæpe fit Phrenitis, quæ

quæ non niſi venæ ſectione, alvi ductione & antiphlogiſticis temperari poteſt: hæc tempore ſuppurationis veniens metaſtaſin lethalem declarat.

XV. Humores omnes ad cutim magis delati relinquunt alvum conſtipatam, interdum vero in infantibus quædam portio humorum fertur ad inteſtina, quando talis Diarrhœa ſolummodo eſt moderanda: ſed in adultis ſi Diarrhœa fiat propter evacuationem nimiam factam ſanguinis vel regimen frigidius, vel ſuſcepto externo frigore, adhibenda ſunt cardiaca anodyna, quæ ad cutim ducunt humorem: Diarrhœa quæ naſcitur ex colliquatione tempore ſuppurationis, mortem præſagit.

XVI. Si in variolarum principio ex impetu majore ad caput fiat Hæmorrhagia, ſolamen adfert, ſed tempore ſuppurationis aut exareſcentiæ veniens colliquationem indicat, & mortem præſagit, etiamſi menſes fluant hoc tempore in feminis. Hæmoptyſis omni tempore periculoſior. Sanguis plane in principio emiſſus perfecte ſanus, ſed circa eruptionem inflammatorius.

XVII. In variolis maxime obſervanda facies, in ea enim prius quam alibi conſpiciuntur puſtulæ, & prius quoque exareſcunt: hæc ſola ſufficit ad formandam prognoſin: ejus intumeſcentia maxime in variolis confluentibus incipere ſolet 7. vel 8. die & undecimo die minuitur, & optimum eſt ſignum: ſi hoc tempore nulla fiat intumeſcentia propter diarrhœam, hæmorrhagiam, vel nimis frigidum regimen, vel nata citius evaneſcit, periculum eſt & exigit cardiacum.

XVIII. Idem fere ſentiendum de manuum intumeſcentia, niſi quod ſerius veniat, & recedat, ſed numerus & natura puſtularum in manibus minus certa prognoſtica ſigna præbent, quam in facie.

XIX. Quamvis per ſalivam raro fit criſis, in Variolis confluentibus admodum neceſſaria obſervatur, incipit cum variolarum eruptione & minuitur undecimo die, ſi prius ceſſat, periculum eſt, niſi ſuppleatur manuum intumeſcentia, in hac diminutione narcoticum ſalivationem redintegrat. In principio ſaliva eſt tenuis, circa finem ſæpe ita glutinoſa ut vix reddi poſſit, quare potu largiore promovenda ſalivatio & collutione oris tenacitas ſolvenda.

XX. Ante variolarum eruptionem anxietas ſæpe adeſt, ſed valens promittit confluentes, ſi non ceſſat cum eruptione, vel redit tempore ſuppurationis, vel generatur poſt metaſtaſin periculoſiſſimum eſt ſymptoma, prævenitur maturo exhibito narcotico tempore ſuppurationis, & eodem cum cardiaco abigitur quæ fit ex metaſtaſi.

XXI. Petechiæ, corruptionis & ſphaceli ſignum, quo tempore veniunt, ſemper periculum portendunt, apparentes inter variolas in interſtitiis.

XXII. Pellicula rubra ſtatim in facie apparens cum eruptione abundantiam materiæ declarat, & confluentes promittit; veſicula aut pellicula ichoroſa corruptelam indicat, variolas malignas, vel earum tranſitum in corruptelam.

XXIII. Vigiliæ turbant coctionem, deterunt vires, & notant turbatum motum encephali, ſomnus tunc conciliandus hypnoticis, præcipue tempore ſuppurationis.

XXIV. In infantibus raro, ſed adultis frequens habetur ſudor copioſior erumpentibus variolis, qui tempore ſuppurationis ſponte evaneſcit: ſi promovetur cardiacis & regimine calido, ceſſabit octavo die, nullo cardiaco revocandus, moritur tunc æger cum puſtulis elevatis, deficiente vehiculo, quod reliquas extrudit: debet ſudor autem continuari potu tepido molli largo.

XXV. In invaſione & eruptione Oculi ſæpe valde rubent, ardent & dolent, ſtillantes copioſas lachrymas, quando collyrio molli hæc mala mitiganda. In ſuppuratione & exareſcentia utplurimum firmiter glutinantur palpebræ, quando ſæpe acrimonia lachrymarum corroditur oculi bulbus; hoc ut præveniatur, bis aut ter die palpebræ ſunt aperiendæ, applicato fotu molli, & oculus eluendus molli collyrio.

XXVI.

XXVI. Ex naturali virium debilitate, abundantia materiæ, vel converſione in putrilaginem, vel nimis refrigerante adhibito regimine, præcipue ſi regimen calidius præceſſerit, materia varioloſa ad interiora truditur, vix revocanda, & evaneſcit faciei & manuum intumeſcentia, & perit æger.

XXVII. Exareſcentibus variolis materia tenaciſſima, præprimis in confluentibus format cruſtam tenaciſſimam diutiſſime adhærentem, ſub qua humor ſtagnans acer cutim corrodens turpes cicatrices relinquit: hæ cruſtæ igitur finitis variolis inunctione molli malaxandæ & abſtergendæ liquore antiſeptico molli; ſi renaſcantur, eodem iterum modo procedendum.

XXVIII. Materia varioloſa toti maſſæ miſta eſt extinguenda ſuo antidoto ſed hucuſque incognito: vel imitanda natura, quæ moderata circulatione & puris confectione materiem eliminat. Ergo nimis aucta circulatio temperanda antiphlogiſticis, regimine frigidiore & venæ ſectione in principio, ſed ſuppurationis tempore hypnoticis: ſi deficiat, quod raro, lenia cardiaca & regimen calidius adhibenda, tempore ſuppurationis cardiaca hypnotica danda. Sæpe renovandus aer & integumenta, ne corruptum maneat applicatum corpori, vel continuo inſpiretur; in his cavenda frigoris externi applicatio, quæ materiem retropelleret. Concedendus copioſus potus nec nimis refrigerans nec calefaciens ut materiæ ſuppeditetur vehiculum, abſtineat a carnibus, quæ ſponte putreſcunt, veſcatur farinoſis & fructibus horæis maturis coctis.

207. EXANTHEMATICA FEBRIS.

I. Maculæ vel & parva tubercula rubra ſubito per totam cutim, vel ejus partem magnam oborta, ac ſi cutis effloreſceret, cum febre Exanthemata dicuntur.

II. Hæ Maculæ vel Tubercula ſine prægreſſa vel conjuncta febre ad maculas vel puſtulas chronicas referuntur: ſi color ſit fuſcus, purpureus, lividus, aut niger ad petechias referuntur: ſi ſpecialem febrem conjunctam habent, pertinent ad variolas, morbillos ſimileſque morbos. Ipſa autem Exanthemata ſunt magis minuſque lata, cum vel ſine elevatione tuberculoſa, mali & boni moris.

III. Materia inutilis perſpiratione vel ſudore eliminanda, acrior facta in debilibus, valetudinariis, cacochymicis, bilioſis, eryſipelatoſis, in cute retenta, per ventum vel auram frigidiuſculam, cum levi febricula, Exanthemata producit, quæ nullum periculum adferunt, & lenibus diaphoreticis internis, atque abſorbentibus externis, vel & antiſepticis applicatis facile abiguntur.

IV. Interdum cacochylia in ventriculo & inteſtinis congeſta, bilis corrupta, ingeſtio venenati mytuli, atque abuſus ſpirituoſorum, Exanthemata generant, quæ ſine purgante vel vomitorio tolli nequeunt.

V. Motus corporis validior in exercitiis, abuſu calefacientium & acrium, aeris major calor, corpora robuſta, producunt interdum Exanthemata minime periculoſa, quæ evitando cauſas, & uſu diluentium, refrigerantium, & alvo laxiore facile abiguntur.

VI. Sed ex febre præcipue epidemica nata Exanthemata, inſtigata calefacientibus, cardiacis ſtimulantibus, non carent periculo, moderatiore regimine cum antiphlogiſticis diaphoreticis ſenſim abigenda, ne metaſtaſim ad interiora faciant: quædam epidemicarum febrium materia hoc modo critice eliminatur, quando eruptio non eſt cohibenda, neque nimis augenda.

VII. Humores in corpore corrupti, uti in phthiſicis, purulentis, ichoroſis, putridis, ad cutim ſubſiſtentes, per metaſtaſim imperfecta, nihil boni adferunt, indicia ſunt corruptionis majoris: hi humores retropulſi periculoſam anxietatem inferre ſolent. Non ſunt retropellendi neque magis expellendi, ſed antiſepticis aptis ſenſim prævenienda ulterior corruptio.

VIII. Epi-

VIII. Epidemica, morbilloſa, varioloſa & ſimilia Exanthemata contagioſa eſſe ſolent, quæ ex genio morbi cognito, ſunt deducenda & curanda.

208. MORBILLI.

I. Qui morbus, ſæpius in pueris, & vernali tempore regnans, incipit cum febre continua, & quarto utplurimum ab invaſione die profert plerumque primo in facie, interdum etiam in reliquo corpore, exanthemata rubra parum elevata, quæ non ſuppurantur, ſed brevi poſt exareſcere incipiunt, ut octavo die epidermis ſub forma furfuris deſquametur, ceſſante febre cum eruptione, talis morbus vocatur Morbilli.

II. In prima invaſione vix differunt a variolis, ſed dum variolæ a quarto die ad ſeptimum inflammari pergunt, & denique ſuppurantur, hi Morbilli ab eo tempore exareſcere incipiunt, & circa tempus ſuppurationis variolarum, morbilli evaneſcunt, ut incauti exiſtiment variolas retropulſas fuiſſe.

III. Quum generentur Morbilli utplurimum vernali tempore, adficiantque puerilem ætatem, & propagentur contagio, eorum cauſa in aere hærens inſpirari videtur vel abſorberi cute.

IV. Recepta morbilloſa materia aliquid generale & ſpeciale habet, quod ex obſervatis phænomenis eſt deducendum. 1. Acris eſt, ſuo ſtimulo perſeverante concitat febrem continuam, horrorem, rigorem, caloris & frigoris viciſſitudinem, ut reliquæ febrium cauſæ. 2. Magis autem naturalem ſpirituum indolem invertens gravitatis ſenſum & ægritudinem ſummam generat. 3. Lympham tenuem acrem producit, unde ante eruptionem urinæ profluvium, diarrhœa, tuſſicula, oculorum & narium ſtillicidium, ſternutatio, vomitus, ſitis cum lingua ſatis humida. 4. Quæ Lympha magis ad caput fertur quam ad alias partes, quia ſomnolentia, lachrymarum ſtillicidium, & oculorum inflammatio in hoc morbo frequentiora, & quoniam in facie primo & copioſius morbilli erumpere ſolent.

V. Poſtquam hæc ſpecialis materia acris per quatuor dies recenſita ſymptomata intulit, vis vitæ eam trudit ad cutim, ubi ſub forma exanthematum rubrorum ſe prodit: hic natura formaſſet pus uti in variolis, ſed hæc materia volatilior evaneſcens nullam purulentiam præbet. Evaneſcunt ideo omnia ſymptomata aliis in partibus corporis excitata a lympha acri nunc expulſa, & ſenſim quoque miteſcit febris & tuſſis.

VI. Septimo vel octavo die materia morbilloſa in cutis ſuperficie exareſcens, commutatur in furfures vel ſpeciem farinæ, primo in facie dein in reliquo corpore, relinquens perfectam ſanitatem.

VII. Curatio ſpecifica, etiamſi haberetur, vix opus eſt, quum pauci ex hoc morbo moriantur vel periclitentur: methodica talis debet eſſe, quæ neque nimis calefacit neque refrigerat, ſuppeditans cibum & potum aceſcentem, cavendo exhalationis ſuppreſſionem admiſſo aere frigidiore. Neutiquam vena ſecanda, niſi vigeat nimius impetus; neque alvus ducenda ob derivationem ad interiora.

VIII. Dum autem materia morbilloſa fit copioſior, vel acrior, vel inſtigata per calefacientia, aut retropulſa, ſæpe anomala ſymptomata infert, uti peripneumoniam, febrem hecticam, convulſionem, hæmorrhagiam, quæ periculum portendunt & non facile ſanantur.

209. SCARLATINA FEBRIS.

I. Macularum ſcarlatinus color, quæ in levi febre oboriuntur, huic morbo dedit nomen: incipiunt plerumque, in tenella ætate, tertio vel quarto die febris levioris, non diu perſiſtunt, inſenſibiliter evaneſcunt, relictis in cute quibuſdam

buſdam furfuribus: in facie inchoare ſolent ſenſim latiores factæ maculæ, reliquum etiam interdum tegunt corpus.

II. Levis videtur bilioſa corruptio, calore antecedentis æſtatis in tenella ætate, motu febrili ad cutim pulſa, ubi excreſcens materia corpus relinquit ſanum.

III. Hæc materia ante eruptionem oberrans generat febrem, calorem, dolorem, anxietatem, tuſſim ſine periculo: ſed retropulſa ſi fuerit, periculo non caret; dein ad cutim lata maculas ſenſim latiores, dein evaneſcentes inducit.

IV. Natura præmonſtrante via eſt ſequenda, diluentibus, diaphoreticis leniſſimis, abſtinentia a pinguibus & nimis calefacientibus.

210. PETECHIÆ.

I. Maculæ parvæ inſtar pulicum morſus, ſine veſtigio in medio, in vel cum febre natæ, nigræ, lividæ, purpureæ, aut fuſcæ, multis in partibus corporis tectis natæ, rarius in facie, ubi etiam periculoſiores, dicuntur Petechiæ.

II. Videtur ſanguis ſuperveniente corruptione vel ſphacelo ſolutus ad cutis ſuperficiem delatus has maculas formare ſine pruritu, aut cutis elevatione.

III. In principio venientes malignitatem arguunt, ſerius venientes tranſitum in corruptelam vel ſphacelum indicant; redeuntes malam metaſtaſim præbent; permanentes critice liberare nequeunt; copioſiores majus periculum portendunt.

IV. Inde in acutis, ardentibus & continuis febribus, morbillis & variolis, notant malum tranſitum in corruptelam. In epidemicis, eryſipelatoſis & putridis malignitatis indicium præbent. In gravidis & puerperis ſemper periculoſæ.

V. Si ex Petechiarum cauſa naſcitur anxietas, convulſio, hæmoptyſis vel quævis alia hæmorrhagia, ſudor oleoſus, alvi fluxus, pulſus debilis, mors inſtat.

VI. Curare hunc morbum haud facile eſt, nam inſtigando augetur, refrigerando repellitur, evacuando non auferтur; igitur acidis, diaphoreticis, antiſepticis, leniter adſtringentibus & refrigerantibus eſt tractandus, ut ſiſtatur progreſſus putredinis.

211. SYMPTOMA FEBRILE.

I. Præter ceteros omnes morbos febris varios tam generales quam particulares producit morbos, qui vexant una cum febre, nullumque levamen adferunt, & ſub quibus vigentibus febris clanculum interdum ita latet, ut vix dignoſci poſſit. Hi morbi Symptomata Febrilia dicuntur, quorum præcipua delibabimus.

II. Naſcuntur illa 1. Multitudine materiæ febrilis. 2. Materia febrili aliquam partem præ ceteris adficiente. 3. Parte aliqua prius debilitata, non valente ſe liberare a febris materia. 4. Ex motu febrili partem aliquam in conſenſum trahente. 5. Ex inducta metamorphoſi materiæ febrilis. 6. Denique cauſa febrem excitante, ſimul producente alium morbum, qui ut febris ſymptomata cenſetur.

III. Utiliſſimum eſt in praxi detegere num ſæviens morbus ex latente cauſa febrili proveniat. Detegitur 1. ſi præceſſerit febris, quæ minui videtur ſub alio morbo vehementiore vel opprimente latens, ut in hydrope, ſyncope, anxietate, delirio, dyſenteria. 2. Ex increſcente novo illo morbo, quando antea increſcere ſolebat febris. 3. Ex ſigno ſedimenti lateritii permanentis, dum non amplius detegitur febris paroxyſmus. 4. Ex conſtitutione epidemica febrili. 5. Ex diminutione ſymptomatis ad uſum antidoti.

IV. Accedentia ſymptomata periculum augent; non tollunt antecedentem febrem; relinquunt aliquam partem ita vitiatam, ut curata febre ſanitas reſtitui poſſit; intercipiunt ſæpe conſuetam medendi methodum; aliás impediunt medicamenti adſumtionem.

V. Etiamſi ſymptomata curari nequeant perſeverante febre, in curatione ta-

men febris ſimul medicamenta adhibenda novo illi morbo propria, imo in vomitu, faſtidio, alvi fluxu, prius eſt iſtud ſymptoma curandum, antequam adgredimur febris curationem. Symptomata ex conſenſu ſimul anodyna exigunt. Sed provenientia ex eadem cauſa, quæ febrem inducit, ſecundum inventam cauſam curari debent.

212. ARDENS FEBRIS.

I. Ex adurente & ſicco calore in febre continua vel remittente vocatur Cauſus vel Ardens febris.

II. Quum omnis calor major a cauſa interna natus proveniat ex motu vitali inſtigato, inde adeſſe debet alienum irritans, quod continuo agitat vitalem motum, vel quod aliquantulum ſubigitur & recrudeſcit, ut in putridis & bilioſis: vel quod tandem ita minuit vires, ut irritatæ majorem motum facere non poſſint, omni tempore.

III. Maxime vexat juvenes & viros robuſtos, poſt exercitia validiora, calefacientium abuſum, ſitim toleratam; tempore æſtivo & aere ſicco; quibus ſanguis privatur aquoſo & reliquum compingitur in lentorem; ut materia bilioſa pinguis redditur acerrima. Symptomatica fit ex inflammatione pleuræ, pulmonis, meſenterii: atque in quadam conſtitutione epidemica.

IV. Vehemens ille motus & calor omne humidum diſcutit, unde cutis, narium, oris, linguæ, oculorum, faucium, pulmonum ſumma ſiccitas; ſanguis lentus tenax, renuens cum aquoſis unionem; ſitis ſumma, reſpiratio denſa anheloſa aerem incendens; ſputum tenax faucibus adhærens; pulſus frequens admodum durus: urina pauca acris ruberrima; lac mammarum flavum, nauſeoſum amarum; deglutitio difficilis; vox clangoſa; alvus adſtricta.

V. Aliquam præ ceteris adgrediens partem producit, convulſionem, delirium, anxietatem, anginam, pleuritidem, peripneumoniam, tuſſim, phrenitidem, hepatitidem, colicam, icterum, inquietudinem.

VI. Viribus autem deficientibus generatur ſopor, paraplexia, adipſia, extremarum frigus, aurium ſonitus, viſus hebetudo, vertigo, debilitas, laſſitudo, gravitas, mors.

VII. Sed mature veniente hæmorrhagia larga, hæmorrhoidum fluxu, urina copioſa hypoſtatica, ſolvitur, vel abit in abſceſſum, parotides aut aliam metaſtaſin.

VIII. Sed tranſeuns in corruptelam aut colliquationem, generat alvi fluxum fœtentem, mictum cruentum, ptyaliſmum, ſudorem colliquativum, petechias, tympanitidem, vomitum materiæ variæ, tremores, inordinatas exacerbationes, rigores, horrores incertos, quibus pereunt.

IX. Princeps auxilium eſt venæ ſectio & iterata; purgans antiphlogiſticum; diluentia, nitroſa, refrigerantia, antiphlogiſtica, acida & aceſcentia, aquoſa, cum aere liberiore non nimis frigido, quamdiu morbus non ſubiit aliquam mutationem.

213. TYPHOS FEBRIS.

I. Febris continua vel remittens cum acri magis quam ardente calore, ſumma inquietudine, anxietate, mœſtitia, tremore, plerumque cum cardialgia, ſingultu, & nauſea, vocatur Typhos.

II. Hæc fieri ſolet ab eryſipelate, vel bile putrida circa præcordia hærente.

III. Periculum portendit, quia criſin non admittit, & adfectis iſtis partibus adſumtionem impedit, atque ſua inquietudine vires deterit.

IV. Debet ut febris eryſipelatoſa curari, ſed ob partem adfectam parva copia ſimul ingerenda, & topica ad adfectum locum applicanda. Si autem ſigna adſint

putri-

putridæ bilis circa ventriculum, conducit laxam ſervare alvum cum purgantibus ſaponaceis aceſcentibus.

214. ALGIDA FEBRIS.

I. In qua febre frequentior vel perſeverans algor obſervatur, ex prævalente hoc Algida vocatur.

II. Materia febrilis 1. tam copioſa, ut vires vitæ opprimat; vel 2. exſtincta aliquomodo actio vitalis, ut calorem ſubſequentem producere non valeat; vel 3. Humorum metamorphoſis in liquamen refrigerans, producit Algidam febrem.

III. Semper periculum portendit vel longitudinem.

IV. Quæ ex oppreſſis vel minutis viribus naſcitur, vinoſis, calefacientibus, & actuali calore eſt curanda: ſed poſt metamorphoſin calefacientibus antiſepticis, alexipharmacis, diſcutienda.

215. EPIALOS FEBRIS.

I. Epiala illa eſt febris continuæ vel remittentis ſpecies, in qua calor & frigus quaſi permiſta ſentiuntur.

II. Duplex hic occurrit cauſa, nempe irritans acrimonia, quæ calorem induceret cum virium debilitate, qua vis vitæ non valet calorem producere, ut fit in febris metamorphoſi, dum abit in corruptelam non valde calefacientem.

III. Diu durare ſolet & non ſine periculo, priuſquam id corruptum emendatum vel expulſum ſit.

IV. Adhibenda antiſeptica cardiaca modice calefacientia.

216. LEIPYRIA FEBRIS.

I. Febris contuſa vel remittens cum incendio interno circa præcordia & frigore extremarum, vocatur Leipyria.

II. Inflammatio vel eryſipelas viſcerum bilis exitum ex veſicula impediens, aut bilis acrior veſiculam vellicans, ita ut omnium ſpirituum fluxus inde eo verſus veluti derivetur, hanc febrem producit.

III. Inde fiunt ægri anxii, inquieti, dormire nequeunt, difficile ferunt morbum, faſtidiunt, nauſea vexantur, laborioſe reſpirant, conqueruntur de ardore interno, dum exteriora tepent vel frigent: hi interdum ejectione bilis levantur & liberantur.

IV. Antiphlogiſticis ſaponaceis ſæpe parva copia tepide ingeſtis, atque fomentis adfecto loco applicatis, tentanda curatio; conducit etiam antiphlogiſtico clyſmate eluere alvum.

217. PHRICODES FEBRIS.

I. Horror in febre frequens vel & perpetuus Horrificam febrim producit, quam Phricoden vocant.

II. Perpetua & frequens exhorreſcentia in cacochymia, bilioſis, ardentibus, abſceſſu, acutis, continuis, remittentibus, & debilibus, notat metamorphoſin materiæ in corruptelam, colliquationem, & interdum ſphacelum: critica exhorreſcentia perpetua eſſe nequit.

III. Omnes evacuationes per alvum & cutim, imo ipſæ hæmorrhagiæ, ut colliquationis ſigna, malum præſagiunt.

IV. Exhorreſcentia illa curanda antiſepticis pro natura materiæ refrigerantibus vel calefacientibus, atque copioſior evacuatio temperanda, non omnino ſiſtenda aut promovenda.

218. HETICA FEBRIS.

I. Febris continua vel remittens diu durans, poſt cibum quocumque tempore ſumtum increſcens, habens paulo majorem ſed mordacem & ſiccum calorem, cum pulſu frequentiore & debiliore, & emittens urinam ſpumoſam, aut cum pellicula innatante, ſummopere extenuans corpus, vocatur Hectica.

II. Supponit ſemper corruptionem ſeu putredinem in generali maſſa humorum, qua liqueſcit gelatinoſum, albuminoſum, & pinguedo, ut vel latenter exhalet, vel ſub forma colliquationis evacuetur, quæque cauſa eſt univerſalis, vel latens in quadam corporis parte ſemper ſuppeditans.

III. Poſt evacuationes omnes copioſiores, debilitatem, febrem, animi pathemata, & ſtudia validiora, tempeſtates humidiores, vigilias, lucubrationes, frequentem ebrietatem, variolas, morbillos, rhachitidem, cachexiam, ſuppurationem, nutrimenti defectum, lactationem, gonorrhœam, fluorem album, menſium profluvium, commutationem crudi & viſcidi, puris majorem evacuationem, naſcitur Hectica univerſalis ex humorum defectu cum ſpontanea corruptela.

IV. In hac ſpecie nimia evacuatio boni eſt cohibenda, ſimulque antiſepticis & roborantibus vires erigendæ: exceſſus evitandus, materia morboſa relicta leniter evacuanda, & corruptio ſpontanea antiſepticis pro natura materiæ cohibenda: utatur cibo facilis digeſtionis, aere puro, cum modica exercitatione.

V. Si autem oritur poſt ulceris, fiſtulæ, hæmorrhoidum, menſium, perſpirationis ſuppreſſionem, ſcabiei, puſtularum, herpetis repulſionem, facile intelligitur revocandam illam eſſe evacuationem, & antiſepticis muniendos eſſe humores.

VI. Quæ autem poſt abſceſſum, inflammationem, eryſipelas, contuſionem, ulcus, ventriculi, inteſtinorum, pulmonum, hepatis, renum, uteri, veſicæ, vel poſt empyema, hæmoptyſin, aſthma, pleuritidem, peripneumoniam; aut poſt vitiatam pepſin & cacochyliam, oritur, latentem habet ſcaturiginem, quæ lege artis eſt curanda, & ſimul corpus muniendum & roborandum antiſepticis, roborantibus.

VII. Hectica febris ſemper producit calorem mordacem cum corporis emaciatione, debilitate & pulſu frequentiore & debiliore: interdum eliminat humores inſenſibiliter, quando totius corporis ſimul perpetua obſervatur ſiccitas: alias producit colliquativam copioſiorem evacuationem, per ſudorem, urinam, alvum, quando ſumma in humoribus obſervatur tenuitas. Inſuper accedente corruptela, varia naſcuntur ſymptomata, puſtulæ, maculæ, dolores, delirium, varia animi pathemata, nauſea, faſtidium, tuſſis, tremor, horror, facies cadaveroſa, color luridus, frigus extremarum, agrypnia, aphtæ mali ominis, ſuffocatio, vertigo, ſingultus, convulſio.

VIII. Tres ponunt gradus in hectica. Primum, qui levia & pauca ſymptomata exhibet. Secundum, qui manifeſtam febrem & emaciationem habet. Tertium, multa & periculoſiſſima continet ſymptomata, cum ſumma corporis emaciatione, quæ Maraſmum vocant.

219. ASODES FEBRIS.

I. Febris continua vel remittens cum magna anxietate & faſtidio, ut inde fiat nauſea & interdum vomitus, cum corporis inquietudine, vocatur Aſodes.

II. Talem febrem inducunt putris cacochylia, bilis, pinguedo in ventriculo & per corpus diſperſa, atque ventriculi eryſipelas: vel quando putridi aut mali humores ad ventriculum metaſtaſin faciunt: & denique per conſenſum vel motum febrilem ſi ventriculus inordinate movetur.

III. Aliis febribus periculoſior, quia non concedit quietem aut ſomnum; in-

ter-

tercipit ingeſtionem medicamentorum & alimentorum ; atque adſumta ita corrumpit , ut nihil præſtare poſſint .

IV. Corrupta contenta , ſi ſponte non redduntur , arte , maxime per alvum , blande educenda : eryſipelas compeſcendum acidis gratis leniter adſtringentibus ; quibus etiam compeſcitur putredo ; materia metaſtaſim faciens ad debita loca derivanda ; perturbatus motus & conſenſus anodynis prioribus miſtis compeſcendus .

220. COLLIQUATIVA FEBRIS.

I. In quacunque febre frequens & copioſa fit evacuatio humoris tenuioris & interdum fœtentis , per alvum , cutim , urinam , vel alia emunctoria , illa inde vocatur Colliquativa .

II. Humores concreſcibiles calore , motu febrili , vel ſpontanea metamorphoſi in tenuem humorem ſeu liquamen converſi , per relaxata oſcula quaſi ſponte effluentes , hujus febris præbent ideam .

III. Ita liquati ſanos etiam inficiunt , eorum naturam invertunt , ut ad functiones præſtandas inepti fiant ; & majore copia exeuntes , humorum defectum generant , ſummamque corporis emaciationem .

IV. Corrupti humores emendari nequeunt , neque omnes ſimul ejici , retenti in deteriorem corruptelam abeunt , quare moderata evacuatio eſt facienda per conveniens organum ; dum antiſepticis ulterior progreſſus prohibeatur .

221. HYDROPYRETOS.

I. Ex febrium malignarum , epidemicarum ſeu endemicarum genere eſt Anglicus ſudor , quem Hydropyreton voco , qui primo in Anglia innotuit anno 1486 , & poſtea per alias regiones diſperſus fuit , in qua febre ingenti ſudoris copia diffluebant ægri , ut intra 24. horas vel liberarentur vel perierint .

II. Maxime ſæviit autumno , humores admodum erant tenues & colliquati .

III. Inde ſubito naſcebatur ſumma debilitas , anxietas , cardialgia , cephalalgia , cordis palpitatio , ſyncope , cum pulſu debili inæquali , & ſudore copioſiſſimo , qui intra 24. horas febrem tollebat , eo prohibito per quodcumque frigus externum æger moriebatur .

IV. Hinc tepidus , ſubacidus , diluens potus copioſus eſt concedendus , ut habeatur pro materia evacuanda vehiculum , cavendum omne frigus , purgans & phlebotomia : ſi ſudor non ſatis procedit , quædam ſudorifera ſimul exhibenda .

222. HELODES FEBRIS.

In qua febre continua vel remittente , continuo ſudore ita madent ægri , ut quaſi in paludibus degere videantur , Helodes vocatur .

II. Hujuſmodi ſudores notant colliquationem humorum bonorum cum relaxatis , ex defectu virium , poris cutaneis non amplius contrahentibus .

III. Producunt ſummam humorum tenuitatem , defectum , extenuitatem corporis , virium debilitatem .

IV. Neque provocandus , neque frigore cohibendus ſudor , ſed temperandus : interne ſimul danda refrigerantia , antiſeptica , leniter adſtringentia .

223. SYNCOPALIS FEBRIS.

I. Quæ febris frequens inducit animi deliquium , vel toties ac redit paroxyſmus , illa Syncopalis vocatur .

II. Hoc 1. ſi fiat ex debilitate , æger gratis cardiacis vinoſis eſt refocillandus . 2. Sed ex renovato paroxyſmo intermittentis quod conjicimus ex ſedimento

to lateritio periodi tempore redeunte, conſtitutione epidemica, antecedenti intermittente febre, ſtatim antidoto cum cephalicis febris abigenda. 3. Ex cacochylia, vomitu ſpontaneo vel artificiali abigitur. 4. Ex ventriculi conſenſu & mobilitate antidoto addenda ſtomachica nervina.

III. Periculo non caret, quia partes encephali opprimit, pulſumque debiliorem & interdum aſphyxiam inducit, quo facile etiam in grumum ſanguinis incideret.

IV. Curatio dirigenda ad recenſitas cauſas: volatilia & calefacientia magis quam in aliis febribus conveniunt.

224. HUNGARICA FEBRIS.

I. Ex febrium malignarum & quodammodo endemicarum & contagioſarum genere eſt illa, quæ dicitur Hungaricus morbus; in quo præter generalia febrium continuarum aut remittentium ſymptomata, obſervatur Cephalalgia atque Dolor intolerabilis circa orificium ventriculi, qui locus tumet & ad adtactum dolet.

II. Naſcitur autumnali tempore, poſt tempeſtatem humidam pluvioſam, ventum auſtrum, in locis humidis, paludoſis, poſt potum aquæ corruptæ, victum pravum ſordidum. Natus morbus alios etiam per contagium adfligit, unde in caſtris & obſidione frequentior.

III. Quantum ex cauſis prægreſſis & pathognomicis ſignis colligere licet, videtur eſſe materia pinguis bilioſa acris, & putrida, circa orificium ventriculi & in veſica fellea collecta, tandem circulantibus etiam tradita, niſi per contagium comparetur.

IV. Illa in ventriculo hærens ſævire incipiens producit cardialgiam, cephalalgiam, calorem ſeu ardorem mordacem, anorexiam, anxietatem, nauſeam, ſitim inexſtinguibilem, multoſque alios ventriculi & ventris morbos cum febre continua aut remittente omni veſperi exacerbante. Si illa materia reddatur vomitu, aut alvi fluxu bilioſo liberantur: minus perfecte autem per urinam aut ſudorem. Manens vero in corpore multa mala inducit & morbum protrahit ultra acutorum tempus, generat tunc delirium, phrenitidem, agrypniam, ſoporem, reſpirationem difficilem, anginam, linguam ſordidam, ſiccam, ſurditatem, inquietudinem; ſoluto ſanguine producit ſymptomaticam hæmorrhagiam; raro critice ſolvitur abſceſſu aut parotidibus: ſed ſphaceleſcens extremis inducit ſphacelum lethalem, aut petechias.

V. Qui ex mala diæta in hunc morbum incidit cum malis ſymptomatibus circa ventriculum, huic ſtatim vomitorium diluens dandum: ſed quando accedunt ventris & capitis mala, magis conveniens eſt antiphlogiſticum purgans. Sed ex contagio natus ſine ſignis cacochyliæ, curatio abſolvenda acidis antiſepticis, cum alvo laxiore. Vinum, phlebotomia, & calefacientia morbum augere ſolebant.

225. DISENTERICA FEBRIS.

I. Quæ febres dum ſæviunt vel exacerbantur concitant valida ventris tormina cum frequenti dejectione muci & interdum ſanguinis, dicuntur Dyſentericæ.

II. Videtur febris materia acris deponi in ſuccum primarum viarum, quem acrem & tenacem facit: ut plurimum ex conſtitutione epidemica naſcitur.

III. Irritando inteſtina infert dolorem, cum dejectione copioſa primo muci, dein etiam ſanguinis; os plerumque tegitur aphthis, ut & forſan reliquæ partes, a corrupto muco, quæ periculum augent.

IV. Curatio eſt ut in aliis epidemicis morbis; derivatio facienda ad cutim; mucus acrior & tenacior factus, blando purgante reſolvente eliminandus; & concitatus motus hypnoticis compeſcendus: quæ repetenda donec mucus fuerit ejectus, & concitatus motus ſedatus.

226. EME-

226. EMETICA FEBRIS.

I. In quacumque febre omnia ingesta, ventriculi contenta & in eum confluentia, continuo fere redduntur per os, vel in qua perpetuus est vomendi conatus, illa Emetica febris appellatur.

II. Hic Vomitus 1. Si fiat ex perturbato motu febrili, sedatur acescentibus gratis stomachicis, anodynis. 2. Sed ex materia biliosa, corrupta, cacochylia, in ventriculo hærente, non cessat nisi eliminata sit materia, quando tumultus deinceps anodynis est sedandus. 3. In morbis putridis, metamorphosi materia febrilis, vomitus magis anodynis, stomachicis, acescentibus, antiscepticis compescendus & materia aliunde derivanda, quam vomitoriis ad ventriculum allicere. 4. Ventriculi, hepatis, lienis inflammatio aut erysipelas, febrem & vomitum producens, parvam copiam liquoris antiphlogistici, sæpe ingestam, cum applicatione epithematis ad ventriculi regionem exigit.

III. Molestissimum est symptoma. 1. Quia corpus privat nutrimento. 2. Ingesta reliqua corrumpit. 3. Intercipit medicamentorum usum. 4. Summam debilitatem inducit.

IV. Nisi curatio dirigatur ad causas recensitas, frustra omnis suscipitur medela.

227. SITICULOSA FEBRIS.

I. Conveniens est ut febricitantes plus sitiant sanis, sed ultra modum sitire, siticulosam febrem facit.

II. Commotio febrilis 1. sitim faciens, modica copia potus diluentis subacidi lenitur. 2. Acutæ, ardentes, inflammatoriæ, siccitatem & lentorem inducentes cum siti, largum potum diluentem acescentem exigunt. 3. Febres autem biliosæ, erysipelatosæ, postulant etiam largum potum sed acescentem & leniter adstringentem. 4. In putridis, hecticis parciori potui antiseptica addenda & acescentia in ore retinenda.

III. Ipsa sitis non multum mali inducit in febribus, nisi quod potus copiosior viam sternat ad hydropem: sed malum est signum latentis causæ.

IV. In omni fere specie copiosior potus est concedendus sed tepidus, varia autem potionis species ex recensitis causis est deducenda.

228. SYMPTOMATICA FEBRIS.

I. Omnis febris ex aliquo morbo generali vel particulari concitata, priorem morbum non minuens vel tollens, sed potius adgravans, Symptomatica dicitur.

II. Hujus causa semper est morbus antecedens dum increscit, vel malam intulit metamorphosim, frustra irritans vim vitæ ad subigendum vel expellendum noxium.

III. Judicamus febrem esse Symptomaticam 1. Si prius alius adfuit morbus, dein concitatur febris. 2. Quando accenditur febris increscente morbo. 3. Si nullum observatur latentis febris signum in urina. 4. Tempore anni vel constitutionis epidemicæ, dum reliqui homines non laborant febre. 5. Si concitata febris non obtemperat antidoto.

IV. Semper malum præsagium præbet, quare distinguenda hæc a febre superveniente, quæ sæpe critica, & ab ea, quæ in tali morbo prægreditur, expellens materiem morbosam. Sic alia febris ante variolarum eruptionem, alia quæ postea symptomatice accedit. Alia est quæ dysenteriam generat, alia quæ ex dysenteria generatur.

V. Symptomatica non admittit antidotum, neque evanescit methodica curatione, sed in ea semper ad causas excitantes curatio dirigenda.

VI. Pri-

VI. Primarias ſpecies adducemus, reliquæ ex morbis ipſis petendæ, ut in Inflammatione, Eryſipelate, Rheumatiſmo, Podagra, Variolis, & ſimilibus.

229. CACOCHYMICA FEBRIS.

I. Febris lenta, lenis, plerumque erratica, intermittens vel remittens, raro continua, poſt longam valetudinem & toleratam cruditatem humorum veniens, Cacochymica dicitur.

II. Humorum abundantia & cruditas diu tolerata, tandem mora vel accedente calore corrupta, irritando hanc febrem producit.

III. Horrent hi frequenter & multum ſudant, redduntque urinam flavam, magnam ſedimenti copiam deponentem, vel & turbidam ſtatim in principio, quæ durare ſolet donec crudum omne adtenuatum & expulſum fuerit.

IV. His conveniunt ſtomachica, alvum laxantia, & roborantia, ut materiæ ſubactio juvetur & expellatur.

230. BILIOSA FEBRIS.

I. Quæ febris ex Bile vel Bilioſo humore acri & calido generatur, Bilioſa febris vocari ſolet.

II. Abuſus pingium, calor æſtivus major antecedens, menſe Auguſto, & cacochylia collecta diu, hanc febrem generare ſolet; maxime ſi alvus maneat adſtricta, & ſolita bilis evacuatio ſiſtatur.

III. Triplex materia bilem ſic dictam præbet 1. Pinguia ingeſta rancida facta. 2. Pinguedo corporis corrupta. 3. Bilis ipſa corrupta circulantibus miſta.

IV. Materia illa circa ventriculum & hypochondria collecta generat nauſeam, faſtidium, ſputationem, linguam ſiccam, amaram, ſitim, faciei pallorem, cardialgiam, anxietatem, anorexiam, colicam, debilitatem & laſſitudinem inſolitam: tandem per corpus diſperſa, generat horrorem, agrypniam, vel ſoporem aut delirium, cephalalgiam, ſurditatem, oculos nictitantes, tremorem, pulſum celerem & frequentem, urinam pellucidam flammeam, inquietudinem, corporis ardorem, quæ junguntur cum febre tertiana interdum remittente, raro continua.

V. Si reddant hanc materiem per vomitum vel ſeceſſum bilioſum, multo melius ſe habent: ſic ſenſim lenitur febris ſine ſedimento in urina, quæ paulatim fit pallidior. Dein omni evacuata bile corrupta, redditur urina pallidior turbida magnam copiam ſedimenti crudi deponens.

VI. Bilis illa acris eſt reddenda leni alvi ductione per ſaponacea aceſcentia, abſtinendum a venæ ſectione: temperanda eſt acrimonia per acida, ſales neutros aceſcentes, ſuccum citri: ſi ardor nimius adſit cum ſignis tenuitatis, addenda ſunt interna adſtringentia.

231. LYMPHATICA FEBRIS.

I. Quæ febres regulariter omni veſperi adgravantur cum frequenti horrore magis quam intenſo frigore, mites utplurimum ſunt & circa mediam noctem leniuntur, ſtipatæ gravedine, vel tuſſi, & ſputi copioſioris tenuioris ejectione, dicuntur Catarrhales, & Lymphaticæ.

II. Plerumque oriuntur ab omnibus cauſis perſpirationem impedientibus, denudatione corporis, expoſitione auræ frigidæ, tempeſtate humida & frigida, interdum conſtitutione epidemica.

III. Videtur humor mucoſus organi reſpiratorii acrior factus, aut continens acrimoniam, per totum corpus diſperſus.

IV. Hæc acrimonia hærens in muco organi reſpiratorii & membranæ pituitariæ inducit gravedinem, capitis dolorem, gravitatem, oculos lachrymoſos, nares

res rubentes, mucum ſtillantes, ſternutationem, ſtertorem, reſpirationem moleſtiorem, tuſſim, ſputum copioſius: in reliquo corpore calorem magis mordentem quam ardentem, febrem mitem ut plurimum remittentem, horrorem frequentem, gravitatis & laſſitudinis ſenſum.

V. Acre tenue concoquendum hypnoticis, condiendum reſinoſis, evacuandum diaphoreticis, & diureticis.

232. SCORBUTICA FEBRIS.

I. Scorbutici (123) ſæpe vexantur febre anomala erratica, omnem fere typum febris legitimæ induente, ſed non obtemperante antidoto febrili: redditur etiam urina cum ſedimento fere lateritio, cujus tamen particulæ rubræ uroſcopio inſtar cryſtallorum adhærent non facile abluendæ, & formatur in urinæ ſuperficie pellicula, inclinatione uroſcopii lateribus adhærens. Ex his & ceteris ſcorbuti ſignis hæc febris dignoſcitur: quæ vexat ſine multo periculo: curatur ſolitis antiſcorbuticis.

233. PURULENTA FEBRIS.

1. Pus (131) duobus temporibus febrem concitat. 1. Dum generatur, quando febris eſt permittenda, ut coctum pus producat. 2. Poſt generationem ſi pus corrumpitur in abſceſſu, ſinu, phthiſi, quando febris minuenda iis, quæ puris corruptionem inhibent, & moderata quantitate per ſputum, urinam, vel morboſum emunctorium eliminant.

234. PUTRIDA FEBRIS.

I. Inter ſymptomaticas febres peſſima eſt illa, quæ ex latente Putredine (100) concitatur, quia materia emendari nequit, neque ſeorſim evacuari, ſed & ſanos humores in ſimilem naturam facile convertit. Hujus curatio in Putredine (100) & Corruptione (125) tradita eſt.

235. MALIGNA FEBRIS.

1. A præcedente non multum diſtat quæ generatur ex humore Maligno (129). Si febris Peſtilentialis, & Leipyria intelligatur per malignam febrem, cognitio & curatio ex iſtis petenda.

236. TOPICA FEBRIS.

I. Duplici ſenſu accipitur febris Topica 1. Quando morbus particularis febrem ſymptomaticam excitat, quæ cum ſymptomatica coincidit. 2. Quando febris legitima generalis in quadam ſpeciali corporis parte vehementiſſima ſymptomata producit, ac ſi omnis febris materia tali in parte contineretur: hæc ſpecies ad febris ſymptomata referri poteſt.

II. Infinitæ ſunt hujus febris ſpecies, quot enim inveniuntur morbi particulares febrem excitantes, tot variæ eſſent hujus febris ſpecies, quas omnes recenſere nimis longum foret.

LIBER IV.

ALIENA MORBOSA.

TITULUS I.

MORTUA MORBOSA.

Mortua morboſa aliena in corpore vivente nata, conſiſtentia ſunt ſolida vel liquida.

237. CALCULUS.

I. Orpus durum, ſolidum, figuratum, plerumque lapideum, non corruptibile, in quadam corporis parte concretum, vocatur Calculus: hic ſi abſolute ponitur, intelligunt medici Calculum in viis urinæ.

II. Calculus Urinæ per analyſin chemicam examinatus, præbet oleum fœtidum, ſpiritum urinoſum, ſalem volatilem cum remanente terreſtri calce. Sed ex Bile formatus flammam alit.

III. In multis partibus corporis formatur, aut poſt formationem in iis deponitur: nam inventus fuit in renibus ureteribus; veſica urinaria, uretra, perinæo, pene, teſtibus, capſulis renalibus: ad dentes, ſub lingua, in glandulis ſalivalibus: in utero, tubis, vagina, ovariis: in articulis podagricorum & arthriticorum: in corde, pulmonibus, aliiſque partibus, ut plurimum lapideus. In veſicula autem fellea, ductu choledocho, inteſtinis & ventriculo, fere ſemper inflammabilis detegitur.

IV. Ætas ſenilis & puerilis atque hereditas calculi generationi favet. Scorbutici, arthritici, podagrici, hypochondriaci, hyſterici, rheumatici, quieſcentes, auſteris, leguminoſis, vinoque auſtero & caſeo abutentes, frequentius calculo corripiuntur.

V. Humores ſani quieſcentes, ut urina ad latera matulæ, in modum criſtalliſationis, formant calculum, maxime ſi alluant partem firmam muco non defenſam.

VI. Mole, figura, & cohæſione differunt: nam qui admodum ſunt parvi Arenulæ dicuntur, adhuc minores Sabulonem vocant. In his omnibus major & minor invenitur durities, ut quidam ſint, qui digitis in pollinem vel pultem patiantur comminui.

VII. Vix aliquid generale ex Calculo præſagiri poteſt, quia mole, cohærentia, & loco differt. In genere tamen ubicumque hæret, producit dolorem, obſtructionem, gravitatem, extenſionem, ſtimulum, tumorem, longitudinem & pertinaciam morbi. Interdum latitat ſine ſigno. Sæpe tranſeuns per canalem, eum latiorem relinquit.

VIII. Optima eſſet curatio ſi ſine detrimento Calculus potuiſſet reſolvi. Talia in Calculo urinæ dicuntur Lithontriptica. Bilis autem Calculus melius ſolvitur ſaponaceis.

IX. His non juvantibus facilitandus eſt exitus per Diuretica, quæ non debent

eſſe

esse nimis acria, sed diluentia, obvolventia, & lubricantia. Si autem dolor urgeat, adhibenda emollientia anodyna.

X. Prævenitur calculus evitatione dictarum causarum, diæta contraria, atque usu mitissimorum diureticorum.

238. FLATUS.

I. Flatuum doctrina 1. Defectu experimentorum aerem producentium & extinguentium; 2. Similitudine aliorum morborum, qui ab aere non generantur; & 3. Aliena hypotesi motus aeris, admodum obscura & præposteta fuit habita.

II. Quoties enim observatur intumescentia levis & renitens, aeris ejectio frequens, murmura oberrantia, dolores, qui aeris eructatione levantur, vel qui subito locum mutant, vel qui ex aere frigido applicato, vel a vento concitantur, omnes hi morbi, quacumque in parte corporis nati, flatibus adscribuntur.

III. Propria materia Flatuum est Aer elasticus, qui tamen omnis non est aptus ad vitam sustentandam in animalibus: reperitur frequentissime in ventriculo, intestinis, cavo ventris, & interdum etiam in aliis cavitatibus. Alia materia quoque acris cum succo nervoso, ad varias partes propulsa, flatuum nomine traditur, ex analogia symptomatum in corporibus viventibus.

IV. Ut est hujus morbi materia duplex, nempe Aerea & Humida, ita etiam differt generatio. Nam ex massa, quæ ad experimenta nullum indicium aeris elastici præbebat, fermentatione, effervescentia, putredine, coctione & combustione, multum aeris elastici elicitur, in quo tamen animalia vitam continuare nequeunt: atque in nobis viventibus Motus vitalis vel particularis turbatus, multum aeris elastici producit. Altera autem materia humida in succo nervoso oberrans, vel ita acris generatur in corpore & non exhalat, vel inutilis humor, per insensibilem perspirationem evacuandus, retentus, talem acrimoniam inducit.

V. Viventia animalia sana multum aeris elastici consumunt, seu uniunt aliis liquoribus. 1. Aer igitur cum alimentis deglutitus, & deficiente actione non consumtus, aeris collectionem producit. 2. Adsumta alimenta facile fermentantia, si non cohibentur actione ventriculi & intestinorum, fermentando multum aeris in primis viis generant. 3. Eodem modo Putrescentia, nisi quod hoc etiam fieri possit in nostris humoribus per totum corpus dispersis. 4. Denique Motus Vitalis & Particularis, qui ordinatus multum aeris consumit, inordinatus factus, multum aeris ab humoribus segregat, & ita aerem elasticum in istis partibus producit, ut patet in veneno adsumto. Ustio autem & ebullitio, quia in viventibus non fit, ut causa flatuum adsignari nequit.

VI. Causæ quæ acrimoniam flatulentam seu oberrantem in succo nervoso producunt, a præcedentibus multum differunt. Eam suppeditant cacochymici, cachectici, catarrhosi, cruditatibus laborantes, debiles, & quibus prohibetur perspiratio insensibilis.

VII. Præcipuum phænomenon aeris latentis est 1. Sonitus, seu Murmur, & Strepitus, qui raro nisi in ventre inferiore auditur, quando aer contentus valide movetur, quum aer ipse nullam potentiam movendi habeat.

VIII. Aer 2. in loco clauso retentus, valide ab ambiente parte agitatus, quantitate increscit novo addito per motum inordinatum, distendendo fibras Dolorem tensivum vel Anxietatem infert.

IX. Quamprimum vero 3. minuta fibrarum constrictura alicubi aperitur orificium, ita compressus aer erumpit plerumque cum sonitu, & levatur dolore & anxietate æger, & minuitur tumor. Si tunc cessat simul causa aerem producens, curatus est æger: sed si manet causa prægressa, æger vexatur continua aeris emissione sine levamine.

X. Quia 4. aer natus fuit motu inordinato, is disparet sine emissione, quum

motus vitalis & particularis ordinatus eum ſic factum aerem unit humoribus, quod tunc ſanitati magis conducit quam aeris emiſſio.

XI. Quum aer a ſuperveniente frigore in minus ſpatium contrahatur, nunquam vero uniatur ita humoribus vel aliis corporibus, ut amittat vim elaſticam; aqua vero in vaporem elevata per frigus non ſolum contrahatur, verum etiam convertatur in liquorem non elaſticum, magna differentia inter Flatus & Vapores eſt ſtatuenda.

XII. Dum ita compreſſus aer emittitur, ſentiendum eſt huic aeri etiam vapores adtenuatos permiſtos eſſe, qui ſuis criteriis declarant latentem cauſam, quæ eum aerem producit, quum aer natus ex fermentatione, putredine, vel ſolo motu vitali turbato productus, per ſuum odorem ſatis declaret ex qua actione generatur ille aer. Qui quoque erumpit cum moderato impetu, notat ſatis valere adhuc actionem in iis partibus. Qui vero ſine ſono exit, & maxime ſi fœtorem ſpirat, declarat ſimul exſtinctam eſſe iſtius partis actionem. Qui cum ingenti vi extruditur aliquid convulſificum denotat.

XIII. Dolores autem Flatulenti, ita nominati, qui per varias corporis partes vagantur ſecundum nervorum curſum plerumque, quia non continent materiem aeream elaſticam, flatuum emiſſione leniri nequeunt, ut multi experiuntur Colici & Dyſenterici, ſed plerumque facta largiore perſpiratione liberantur.

XIV. Non ſolum cauſæ & curationes differunt in flatibus & doloribus flatulentis, qui morbi perperam confunduntur, verum Flatuum etiam cauſæ & curationes differunt, quare ſpeciatim de omnibus eſt agendum.

XV. Flatuum generatio ex Motu inordinato, in iis qui Mobilitate, adfectione Hyſterica & Hypochondriaca laborant, aliiſque morbis Convulſivis, quia non habent materiem evacuandam, ſive tunc flatus contineantur, ut in Colicis & Cardialgicis, ſive emittantur perpetuo ſurſum & deorſum, non ceſſabunt flatus, niſi curato motu turbato illo Anodynis antiſpaſmodicis.

XVI. Cauſæ Acidum producentes & nata Aciditas flatus producunt: nam deficiens ventriculi & inteſtinorum actio permittit, ut ingeſta farinoſa, fructus horæi, aliaque vegetabilia concipiant fermentationem, multum aeris producentem, quæ in acidum degenerat: atque Acidum natum ſtimulando has partes motum inordinatum producit. Detecta hæc cauſa exigit vomitorium & purgans ſi materia abundat, & medicamenta roborantia, antacida, aromatica, quæ novum proventum acidi intercipiunt, qua curata ſponte evaneſcunt flatus.

XVII. Quæcumque ingeſta, ſive copia majore actiones ſuperantia, ſive tenaciora, ſive defectu virium non ſubacta, ſubeunt ſpontaneam Corruptelam, aerem elaſticum producentem, vario odore & etiam ſapore inquinatum, atque ipſa relicta maſſa ſimul fit acris, partes continentes in motum inordinatum inſtigans, unde Flatus occluſi frequentes, anxietatem & dolorem inferentes, emiſſi varios odores, ſpeciem corruptionis referentes, generant. Crudum hoc vomitorio aut purgantibus lenioribus cum aromaticis & ſtomachicis eſt expellendum, dein ſtomachicis roborantibus nova generatio eſt prævenienda: ſi autem corruptela abierit in viſcoſum, ſtomachica reſolventia & roborantia ſunt adhibenda.

XVIII. Omnium peſſimi flatus ex Putredine formantur, præprimis ſi non ſolum in ventriculo & inteſtinis, verum etiam in aliis cavitatibus corporis generantur, quum putrefactum emendari nequeat. Corruptus humor eſt evacuandus ſi fieri poſſit, locus depurandus, & antiſepticis progreſſus putredinis cohibendus.

XIX. Omnis flatus per Conſenſum alterius partis adfectæ, quæ motum inordinatum concitat, natus, ut ex animi pathemate, apoplexia, febre, lumborum dolore, catameniorum perturbatione, podagra, ſolis anodynis compeſcuntur, dum præterea dicti morbi ſecundum artem curentur.

XX. Quibuſdam tam mobilis eſt idioſyncraſia, ut a quovis dato vomitorio

vel

vel purgante multi generentur flatus, qui præveniuntur si medicamentis his addantur aromatica & præprimis anodyna.

XXI. Quamvis experimenta demonstrant effervescendo multum aeris generari, in nobis tamen raro obtinet, quia caremus humoribus, qui sua permistione effervescunt: sed, quando abundat in nobis acidum, vel acida prius fuere adsumpta, per ingesta alcalina & ad alcali accedentia, effervescentia sæpe nascitur cum multis flatibus, qui brevi tempore sponte evanescunt.

XXII. Quum ventus subito de uno loco feratur in alium locum, & flatus in nobis inferens dolores sæpe locum mutantes, existimarunt omnem dolorem versatilem a flatibus generari: sed quia in partibus carnosis, nervosis, & membranosis, nullus detegatur aer elasticus, neque ibidem pateat via pro aeris transitu, aer hujus doloris non est causa, sed acrimonia in succo nervoso, qui vagina nervi coarcitus sequitur nervorum cursum; vel id acre ab una fibra nervosa sentiente ad adjacentem fibram delata, in parva ea loci mutatione, magnæ partis translationem sæpe quoad sensum refert. Hoc acre quia est Catarrhosum, istius morbi curationem exigit.

TITULUS II

VIVENTIA MORBOSA.

Quoniam animalia perfecta nunquam nascuntur in nostro corpore, cuncta, quæ inveniuntur morbosa, Insectorum titulo complecti possunt.

239. INSECTA.

I. Animalcula parva, sanguine carentia, corpori nostro viventi infesta, ad Insecta referenda sunt.

II. Cuti insident & pruritum inferunt Pediculi, Pedicelli, Lendes, Pulices, Cimices, & Plactulæ.

III. In cutis cryptis vel tunica cellulosa, nascuntur Comedones & Dracunculi.

IV. In intestinis, ventriculo, aliisque cavitatibus latitant Vermes, Tæniæ & Ascarides.

V. Nascuntur hæc in stagnantibus & corrumpentibus humoribus, quibus ovula eorum excluduntur, vel talia viventia corpori communicantur.

VI. Genita hæc animalcula pruritum & dolorem inferunt; corporis nutrimentum auferunt; cachexiam, maciem, vertiginem, nauseam, anxietatem, palpitationem, tenesmum, vomitum, convulsionem & multa alia generant.

VII. Abstersione, ablutione, vomitorio aut purgante sunt auferenda: pabulum detrahendum amaris, antisepticis: prævenienda stagnatio humorum: denique his non cedentibus mercurialibus aliisque acribus exstinguenda.

LIBER V.

CAUSÆ MORBUM INFERENTES.

TITULUS I.

INTERNA MORBUM GENERANTIA.

Interna, quæ a multis Gesta dicuntur, varios morbos inducunt Generatione, Increscente ætate, Actione vitali & automatica.

240. HEREDITARIUS.

I. PArentum morbi, statim post nativitatem, vel etiam postea in pueris vel nepotibus, nati, dicuntur Hereditarii.

II. Corporis qualiscumque deformitas, ut Gibbus, Valgus, Claudus, Strabo, Luscus, Labium leporinum, statim si cum nativitate invenitur, difficilem vel impossibilem curationem promittit.

III. Alii autem morbi etiam Hereditarii denique procedente ætate oriuntur; ut Rhachitis, Asthma, Podagra, Hæmoptysis, Phthisis, Epilepsia, Delirium, Arthritis, Calculus, Nephritis, Fluor albus, Mobilitas, Melancholia. Hi omnes tunc curatu difficiliores sunt, quam si iidem venirent sine labe hereditaria, & monent prudentem esse adhibendam diætam, ut hos evitent.

241. CONNATUS.

I. Similis Deformitas, ut & Nævi aliæve Maculæ, matris valida imaginatione, ut nonnulli putant, contusione externa, aut difficili partu nata, Connatus dictus morbus, difficilius, quam postea idem veniens, curatur.

242. ÆTAS.

I. Ætatis initium cum nativitate incipiens distingui potest 1. in Incrementum, quo tempore simul sensim augetur Cohærentia in solidis & Actio movens. 2. Vigorem, quo pergit increscere cohærendi potentia, sed Actio movens persistit. 3. Decrementum, in quo cohærentia augeri pergit, sed vires moventes debilitantur.

II. A nativitate ad septimum diem jamjam nati dicti, colon meconio, ventriculum, intestina, & pulmones mucoso oppletum habent, quod sensim reddere debent: his venter minus quam antea sustentatus, mutataque admodum circulatio; chyli organi debilis actio; solida molliſſima, flexibilia, vix cohærentia, valde mobilia somno longiore egent: vix ferunt jejunium aut alimenta tenaciora. Ex his multi sponte nascuntur morbi, nisi præveniantur educto meconio per colostrum, & novo adhibito sustentaculo.

III. Ab hoc tempore ad quartum annum Infantes ablactantur, dentitione vexantur, vario genere ciborum eorum corpora adhuc laxa & debilia, nutrita, sæpe incidunt in cruditatem, ventris infarctionem, acrimoniam acidam, rhachitidem,

tidem, convulſionem, herniam, & procidentiam. Hæc mala præveniuntur diæta ex eupeptis, corporis exercitatione in aere ſicco, medicamentis antacidis, antiſepticis, roborantibus.

IV. Pueri ad decimum quartum ætatis annum, variis generibus alimentorum utentes, multos etiam in infantia natos morbos, & deformitatem ex rhachitide relictam ſervant, corripiunturque vermibus, calculo, & variolis, qui ſpeciali titulo deſcribi ſolent.

V. In Puberibus poſt decimum quartum annum, Adoleſcentibus & principio Juventutis, quando magis increvit movens actio, quam cohærendi potentia in partibus firmis cum accedente plethora, omnia genera hæmorrhagiarum, & maxime hæmoptyſis generatur, quæ prævenitur vita temperata, abſtinentia ab omnibus calefacientibus & ſpirituoſis: ſed nata ſiſtitur iterata venæ ſectione.

VI. Virilis ætas viribus pollens, & confirmata habens ſolida, facile fert omnia laborum genera; ſed morbis acutis correpta periculum portendit, niſi temperetur refrigerantibus, alvi ductione & phlebotomia.

VII. Poſt 50. vel 60. annum in Senibus ſolida ſenſim tenaciora & rigidiora facta cum debiliore actione movente, ſenſim generantur morbi ex cruditate, pituita, rigiditate, curatu difficiles, quique cum increſcente ætate quoque increſcunt, donec debilior vitæ actio non amplius valeat rigidiora movere ſolida, placida mors ſenilis vitæ finem faciat.

243. ANIMI ACTIO.

I. Mentis humanæ actiones puræ, ut Studium, profundæ Cogitationes & Meditationes: etiamſi neque moveant ſenſus externos, neque motum animalem, vitalem aut particularem, ſpiritus tamen ad has actiones peragendas deſtinatos conſumunt: atque quieſcente ſimul motu animali humores crudiores relinquunt. Unde debilitas, cruditas, & morbi ex his provenientes, qui ſenſim ſuperantur omiſſis cauſis per corporis moderata exercitia cum cibo eupepto.

244. ANIMI PATHEMATA.

I. Animi pathemata validiora non ſolum ſpiritus conſumunt, ſed & actiones animales, vitales & particulares in conſenſum trahunt, eaſque turbant. Ira & profuſum gaudium nimis exagitant. Timor, Triſtitia & perſeverans Cura, actiones minuunt. Terror turbat & interdum ſiſtit actiones, ut ſanguinis miſſione levari debeant. Subito ex ſomno ſuſcitatus ſimiles fere patitur mutationes, quæ in levi terrore obſervantur.

245. EXERCITIUM.

I. Ut animalis motus moderatus ſaluberrimus eſt, ita diuturnior vel validior, in Labore, Ambulatione, Curſu, Elevatione ponderis, vel alio conamine, multa mala inducit: ſic quoque tuſſis, ſternutatio, vox, vomitus, clamor, & maxime ſaltus.

II. Nam Solida diſrumpit, aut nimis cito rigida facit, herniam & procidentiam producit, ſanguinem erumpere facit, fibras ligamentorum, tendinum & muſculorum abrumpit; humores compingit, tenue expellit, in acrimoniam alcalinam, & corruptelam diſponit; vires exhaurit; relinquit laſſitudinem, defatigationem; pulſum & calorem auget; ſudorem exprimit; urinam colore rubro tingit; reſpirationem & pulſum frequentiorem & majorem facit: derepente excitatum non raro ſuffocat, & apoplexiam inducit; alimenta nimis cito digerit, conſumit; in gravidis non raro abortum producit.

246. QUIES.

I. Minor animalis motus, quam ſatis convenit, ut Otium, aut ſolitum exercitium omiſſum ſolida laxat, humectat, tandem inepta ad motum facit; humores adcumulat, inviſcat, iſtis ſpontaneam concedit corruptelam; pulſum, reſpirationem, circulationem & perſpirationem minuit, ſanguinem minus præparat; cruditatem producit. Inde leucophlegmatia, hydrops, cacochymia, rhachitis.

247. SOMNUS.

I. Qui homo ſanus fruitur quiete perfecta omnis motus animalis, nullaque ſenſuum internorum & externorum perceptione, ex naturali cauſa, qui tamen a paulo majore irritamento ad ſe redit, & omnes actiones iſtas exercere poteſt, placide dormire dicitur.

II. Quia variæ ſomni inveniuntur ſpecies, ſecundum iſtas effectus ſunt deducendi. Placidus, & moderatus, poſt prægreſſas vigilias concoquit humores, reſtaurat ſpiritus, & vires, in morbis præſagit bonam criſim. Turbulentus vero caret iſtis bonis & alia mala ex turbante cauſa producit. Brevior generat mala in vigiliis tradita. Longior & nimius laxat ſolida, lentos producit humores, iſtoſque in vaſis lateralibus & tunica celluloſa colligit, motum languidiorem, & ſenſum hebetiorem inducit, caput obplet, cruditatem humorum inducit, minus evacuat, corpus adgravat, & tandem humores corruptioni ſpontaneæ exponit. Magis autem conducit ſanitati in pueris, ſenibus, hyemali tempore, quam ætati mediæ & loco atque tempeſtati calidiori: minori eget alimentorom copia.

III. Morbi ex minori ſomno curantur ablata cauſa impediente, corporis quiete, ſomno ſubſequente longiore naturali, vel hypnoticis inducto. Qui ex longiori ſomno generantur, exercitiis moderatis & perſeverantibus ſuperantur.

248. VIGILIA.

I. Sanus homo, qui ſenſus externos & internos atque motum animalem exercet, vel exercere poteſt, Vigilare dicitur.

II. Vigilia autem ex voluntate protracta, majorem copiam ſpirituum conſumit, quam vitalis & particularis viventis corporis actio reſarcire valet: unde debilitas, laſſitudo, gravitatis ſenſus, tremor, mentis ineptitudo; humorum & maxime pinguedinis conſumtio, unde ſiccitas, macies; major exhalatio ſed minor fit maceratio & coctio quam in naturali ſomno, unde humorum cruditas, cachexia, alvus ſiccior; retenti crudi humores in acrimoniam & corruptelam degenerant, quibus producitur ſæpe ephemera vel ſynochus ſimplex, quæ ſubſequente ſomno & largiore inde facta diaphoreſi ut plurimum tollitur. Pinguedo autem degenerata in bilioſum vel melancholicum, diuturniorem valetudinem inducit.

III. Quia nullæ ſupponuntur morboſæ cauſæ vigiliam inducentes, quæ in Agrypnia traditæ ſunt, ſomnus duntaxat longior eſt concedendus, aut conciliandus hypnoticis.

249. NATURA.

I. Specialis hominis viventis diſpoſitio, multis tamen communis, quamobrem facile vel difficile ferunt purgantia, vomitoria, evacuantia, pinguia, æſtatem, hyemem, exercitium, quietem, hoc vel iſtud genus medicamenti vel nutrimenti, majorem minoremque copiam, hoc vel iſtud genus morbi, majore minore-

ve

ve periculo, Natura vocatur, a quibuſdam Diatheſis, quam Medici tenentur obſervare in curatione, eamque ſequi ſi ſalutarem directionem faciat.

250. IDIOSYNCRASIA.

I. Specialis conſtitutio in quodam homine ſingulari, ut lædatur a quibuſdam, quæ reliqui homines facile ferunt, hæc Idioſyncraſia vocatur, ſolis experimentis detegenda.

II. Hæc detecta, vel ex ægri relatione intellecta, monet iſta eſſe evitanda, etiamſi indicatio curativa talia exigeret.

251. TEMPERAMENTUM.

I. Qui homines ceteroquin ſani in ſe generant copioſiorem ſanguinem, bilem, melancholiam vel pituitam, dicuntur Sanguinei, Bilioſi, Melancholici, Pituitoſi temperamenti. Ex majori vel minori humoris copia vocantur Humidi vel Sicci temperamenti. Ex vitali calore majore vel minore habentur Calidi & Frigidi temperamenti. His chemici addunt Salinum, Sulphureum, Aquoſum, & Terreſtre.

II. Has omnes ſpecies diſtinguunt auctores in ſimplices & compoſitas, unde novus catalogus temperamentorum. His adjiciunt Eucraſiam & Dyſcraſiam ſeu Intemperiem. Quas differentias tribuunt corpori toti, vel cuidam parti, aut humori.

III. Unaquæque ſpecies ſua propria præbet phænomena, & morbos ſpeciales tandem infert: atque ſpecialem curationem & medicamenta exigit, quod nimis longum foret perſequi.

252. CONSUETUDO.

I. Corpora viventia, longa Conſuetudine tandem facile ferunt noxia, & a bonis inſuetis læduntur.

II. Conſtans eadem temperata diæta periculoſior, ſi ſemper ſervari nequit, quam interdum mutata. Intemperata, & noxia ſemper vitanda.

III. Mala & bona conſuetudo ſenſim, nunquam ſubito mutanda.

253. RETENTA.

I. Sanum corpus, ſua tamen actione non omnia ingeſta alimenta in ſuam naturam convertere potens, confectoſque rumores & partes firmas ſenſim inutiles faciens & deterens, evacuatione eget, ex quibus Retentis (186, VII.) multi naſcuntur morbi ex abundantia (53). Et eo majores, ſi hi humores ſint morboſi. Speciales autem morbi ex propriis humoribus retentis ſunt petendi.

254. EXCRETA.

I. Quod inutile eſt factum in ſanis corporibus eliminari debet: quoties ergo copioſior generatur evacuatio, id ex bonis deſumitur (186, III.) & morbos ex humorum defectu (65) inducit. Speciales autem morbi ex propriis excretis humoribus ſunt petendi.

255. AUTOMATICA.

I. Qui motus ſeu actio in quieſcente maſſa mortua ſponte ſine externa cauſa movente incipit, Automaticus vocatur, quo diſtinguitur a motu phyſico & vitali.

II. Illa actio obſervatur in Corruptione, Putredine, Fermentatione, Maceratione: quibus nonnulli addunt Efferveſcentiam ab oppoſitis miſtis, Cryſtalliſationem, Coagulationem, Colliquationem & Præcipitationem, ex majori minoreve cohærentia inductam.

III. Præter ſpecialia in ſingulari ſpecie automaticæ actionis, generale eſt in omni vera automatica actione, quod moles rareſcat, & multum aeris elaſtici producatur: unde in corpore generatur Intumeſcentia & multi Flatus.

IV. Quia motus vitalis automaticam actionem coarcet, ille eſt conſervandus, ut debito modo fiat, ſimulque adhibenda, quæ in ſingulari ſpecie propoſita ſunt.

256. FERMENTATIO.

I. Motus inteſtinus in quadam maſſa liquida vel molli ſponte natus, qui producit vinoſum, vel acidum, vel rancidum, vocatur Fermentatio. Quæ eſt perfecta, vel imperfecta, ſeu in medio operationis extincta, vel cohibita.

II. Mutatio hæc inducta exſtinguitur vel ſiſtitur motu vitali, actione ignis, putredine: Rancor autem difficilius inhibetur.

III. Succi vegetabiles, & farinoſa, præbent materiem: promovetur addita ſaliva vel ſucco pancreatico: ſed pinguia, gelatinoſa præbent rancorem: ſanguis autem reliquique humores ſecretorii & excretorii fermentationi inepti.

IV. Differt ergo hæc actio ab efferveſcentia, putredine, corruptione, ebullitione, coctione, pepſi, pepaſmo, maceratione, ſuppuratione, maturatione, actione vitali, & particulari.

V. Promovetur præſentia aeris retenti, calore modico, quiete in ambientibus, modica permiſtione ſalis, pinguedinis, terræ, & humidi; concitatur citius addito fermento.

VI. Prævenitur & ſiſtitur aeris privatione, abſentia, frequentiore renovatione, frigore nimio, motu maſſæ, defectu ſalis, pinguedinis, humidi.

VII. Fermentatio in tota maſſa auget calorem, & maſſam expandit. Eſſentiam ſpecificam non multum mutat; oleum & pinguedinem volatiliſat, aquæ miſcibilia facit; ſalem neutrum in acidum convertit; multum aeris elaſtici generat; acrimoniam acidam & rancidam producit: unde flatus, ructus, crepitus, inflatio, tumor, dolor.

VIII. Fruſtra inde deduxerunt cordis actionem, circulationem, ſecretionem, evacuationem, menſtruationem, calorem naturalem, & febrilem, pepſin & præparationem humorum.

IX. Fermentatio in nobis facile exſtinguitur aucto motu vitali & particulari, addito ſpirituoſo vel aromatico: mala autem nata ex propriis titulis petenda.

257. EFFERVESCENTIA.

I. In maſſa liquida, ab alio liquore adfuſo, vel immiſſo quodam corpore ſolido, ſi generetur ſubito vehemens motus inteſtinus, quo finito oppoſita miſta utraque amittunt priorem naturam, hæc actio vocatur Efferveſcentia.

II. Omnis fere Efferveſcentia concitat calorem & producit aerem; interdum vero frigus, ut ſal tartari cum ſpiritu vitrioli; & aeris conſumtionem, ut ſuccus limonum cum ſale volatili cornu cervi.

III. Sani humores cum nullo cognito oppoſito efferveſcunt: Putrefacti efferveſcunt cum acidis: Acidi primarum viarum efferveſcunt cum alcalinis & multis terreſtribus.

IV. In ſolis ergo primis viis ex prægrediente cauſa, ingerendo alcalia vel terreſtria, generatur moleſta commotio cum aeris productione, quo hæ partes valide diſtenduntur. Reliqua ab auctoribus notata hypothetica inutilia ſunt.

V. Quia poſt efferveſcentiam exſtincta invenitur cauſa, utilis cenſetur; cavendum vero ne nimis copioſa ingeſtione validior, quam ferri poteſt, concitetur.

258. PRÆCIPITATIO.

I. Maſſa liquida heterogenea gravioribus & levioribus partibus conſtans, ob aliquam cauſam graviores partes ad fundum dimittens, illa actio Præcipitatio vocatur.

II. Requiritur 1. quies, 2. vis adtractrix major inter vehiculum & partes graviores, quam eſt ponderis potentia.

III. Promovetur & generatur Præcipitatio 1. Perfecta quiete. 2. Diminutione vehiculi. 3. Exſtincta vel mutata adtractione, adfuſa aqua in reſinoſis, addito alcali in acidis, aut novo alio metallo &c., ut in aqua forti ſolutum argentum, addito cupro, ferro, ſale alcalino ſucceſſive.

IV. Quoniam in corpore vivente nulla perfecta quies, neque alieni admiſtio, invenitur, perperam a multis hæc cauſa adducta fuit ad humorum præparationem, & morboſi ſeparationem.

259. MACERATIO.

I. Senſim inducta minor cohærendi potentia in partibus ſolidis vel cohærentibus humoribus, per teporem, & humiditatem, Medicis dicitur Maceratio.

II. Semper requiritur longum tempus, nimius calor perturbat, frigus retardat, ablatio humidi ſiſtit, motus perpetuus in maſſa impedit Macerationem.

III. Moderata Maceratio in partibus ſolidis prodeſt ad facilitandam ruptionem in abſceſſu, alias periculoſam inducit fragilitatem. Humores tenaciores diſponit ad evacuationem, eamque promovet: ſed continuata Corruptionem inducit.

IV. Ad cohibenda mala, promte tollenda eſt humiditas, temperandus calor, & ſtagnatio prævenienda.

260. CRYSTALLISATIO.

I. Particulæ ſalinæ, ut & terreſtres inviſibiles, in quadam maſſa natantes, ſponte concreſcentes in corpuſcula majora aut minora, figuræ variæ, Cryſtallos producunt.

II. Requiritur 1. Humor hujuſmodi particulis ſaturus, ut in nephriticis, ſcorbuticis, podagricis, arhtriticis. 2. Stagnatio perfecta aliquamdiu. 3. Ablatio vehiculi communis. 4. Et promovetur addito corpore ſolido, ad quod Cryſtalli colligi poſſunt.

III. Quæ ex natis Cryſtallis naſcuntur, in Calculi deſcriptione inveniri poſſunt.

IV. Ad præveniendas has cryſtallos conducit emendare ſcorbuticum, arthriticum & podagricum; corpus multum movere, ne nullum fere cryſtalliſationi remaneat tempus. Corpuſcula cryſtalliſatione nata ut Calculus curanda.

TITULUS II.

EXTERNA MORBUM PRODUCENTIA.

Externa morbum generant, cauſa quadam mechanica, vel quantitate, vel qualitate, vel abuſu eorum, quæ corpori viventi inſervire deberent.

261. MECHANICA.

I. Quæ phyſica actione aliquam corpori viventi mutationem inducunt ad Mechanica referuntur.

II. Mechanica morbum inferentia ad hæc tria referri poſſunt. 1. Quæ ſolida deſtruunt, ut Vulnus (4) Contuſio (5), Punctura (6) Morſus (7); Laceratio (8), & Adtritus (27). 2. Quæ ſolida mutant, ut Compreſſio (30), Extenſio (31), Elongatio (32), Adductio (29) & Suſtentaculi defectus. 3. Quæ movent, ut Vectio, & Scalptura, hoc loco tradenda.

262. VECTIO.

I. Omnem corporis translationem per cauſas externas ſine muſculari motu, ut navigatio, equitatio, oſcillatio, circumactio, ad hunc titulum refero. Quæ conſueta ſalubris obſervatur, inconſueta & validiora varia mala inducit.

II. Inde enim generatur nauſea, faſtidium, vomitus, vertigo, abortus, ruptio, hernia, procidentia, adtritus, hæmorrhagia, mictus cruentus.

III. Omnia hæc mala brevi ceſſant ablata commotione, modo non aliqua ſolidorum ruptio ſit producta. Si autem quædam turbatio reſtet, anodino, vinoſo acido grato exhibito compeſcitur.

263. SCALPTURA.

I. Frictio fortior unguibus, aut corpore aliquo ſcabro Scalptura dicta, plerumque pruritu inſtigata, cruſtam adhærentem, puſtulas, & veſiculas abradit, epidermidem ſæpe tollit, ſubjectam cutim, vaſculaque minima divellit, ſtimulat, humores allicit, erumpere facit, parſque rubet, calet, dolet, & nuda relicta magis exulceratur, atque nova tegitur cruſta, quare ſemper evitanda, & inſtigans cauſa, ſcilicet pruritus eſt exſtinguendus & curandus.

264. ABUNDANTIA.

I. Major copia, quam ad vitam & ſanitatem conſervandam requiritur, Abundantia dicta, refertur 1. ad Ingeſta Alimenta vel Medicamenta; 2. Retentos in corpore humores; 3. Evacuationes. Hæc omnia in propriis titulis tradenda ſunt.

265. DEFECTUS.

I. Ad vitam & ſanitatem conſervandam requiruntur organa, humores & actiones, quorum defectus propriis locis tradendus. Multos morbos & mortem infert 1. Actio enim vitalis ne per momentum ſine alterna adſumptione & emiſſione aeris perſiſtere poteſt: unde hujus defectu cum inexplicabili anxietate ſequitur brevi tempore mors. 2. Diutius autem potionis defectum ferre poteſt cum ſenſim increſcente ſiti intolerabili; neque longum tempus carere poteſt humidi-

eva-

evacuatione. 3. Longiſſime autem fert Cibi defectum cum increſcente fame, quæ tandem etiam extinguitur ante mortem; ſed craſſorum evacuationis defectum per alvum diu tolerare poteſt.

266. CALIDA.

I. Calor actualis, thermometro & ſenſu tactus detectus, varia producit in diverſis partibus, humoribus, actionibus, & morbis.

II. Et variat vehementia. Tepor vocari poteſt ad gradum 60. vel 70. Mediocris autem Calor hominis ſani ad 94. continetur. Major calor ad 120. qui Ardor dici poteſt, animalia necat & humores coagulat. Hunc gradum ſuperans ad Uſtionem referri poteſt. Qui ſenſim increſcens conſuetis minus damnoſus eſt, quam repente veniens.

III. Nimius calor 1. In Solidis minuit cohærendi potentiam & tonum, unde laxitas, fragilitas, & facilis ſanguinis eruptio. 2. In Humoribus conciliat fluorem, tenuitatem, corruptionem, putredinem: lympham, ſpiritus, reliquoſque humores volatiles aufert; ſudorem & perſpirationem auget; ſitim, ſiccitatem & tenuioris defectum inducit, alvum ſiccat, urinæ copiam minuit: Partes fixiores compingit: Sales in alcali volatile convertit: Pinguedinem corrumpit: liquamen & glutinoſum, & acrimoniam fœtentem producit. 3. Actiones omnes enervat, unde laſſitudo, debilitas, ſomnolentia, pareſis, anorexia, dyſpepſia, animi torpor, ſyncope, reſpiratio difficilior, pulſus debilis. 4. In Morbis tolerabilis calor multa bona & mala infert. Nimius calor ſemper malus. Vehemens comburit.

IV. Periculoſiſſimum eſt nimium calorem exſtinguere frigore adlato, ſed ſenſim corpora ægrotantium ad 94. gradum reducenda, ne ſolida nimis contrahantur, humores concreſcant, evacuandi retropellantur, & debilitatæ vires omnino extinguantur.

267. FRIGIDA.

I. Noſtrum corpus ex actione vitali calens a rebus ambientibus & ingeſtis frigidis in temperato calore ſervatum, ſi intenſiori frigore adficiatur, inde patitur moleſtiam, & in varios morbos incidit.

II. In robuſtis, conſuetis, partibus externis, facile toleratur intenſius frigus; ſed in debilibus, inſuetis, partibus internis, cerebro, medulla ſpinali, nervis, oſſibus, pectore, pulmonibus, mammis, inteſtinis, viſceribus ventris, pudendis, glandulis, earum actiones minuit & ſæpe exſtinguit; damnoſum gravidis, menſtruantibus, puerperis, lactantibus, pueris, & ſenibus, & omnibus, quibus debilior eſt vitæ actio.

III. Firmarum partium contractilitatem & tenacitatem auget, unde anguſtia, colica, duritiæ, rigiditas. In Humoribus producit majorem cohæſionem, coagulationem, craſſitudinem, denſitatem, obſtructionem, viſciditatem. Evacuationes menſium, lochiorum, ſudoris, perſpirationis, ſputi, ſalivæ, ſupprimit, humores repellit, motum ſiſtit. Unde apoplexia, ſyncope, vertigo, tuſſis, rheumatiſmus, nigrores, ſtupor, paralyſis, tremor, horror, rigor, tetanus, convulſio, gravedo, catarrhus, raucedo, angina, peripneumonia, pleuritis, arthritis, dolor, ſcirrhus, ſomnolentia.

IV. Corpus vel pars ejus aliqua refrigerata ſubito calefieri non debet, ſed ſenſim actu calidis applicatis, atque calefacientibus, niſi expectemus nimium morboſum calorem, ut in quibuſdam febribus. Si autem a frigore congelata fuit, ſpeciali loco traditur. (10)

268. HUMIDA.

I. Quæ majorem copiam humidi conciliant partibus ſolidis, concreſcibilibus & craſſis humoribus, addita materia, Humida dicuntur: ſed ſi idem faciunt quadam alia facultate, potius vocantur Humectantia.

II. Suppeditant humiditatem 1. Ingeſta aquoſa, applicata humida, forma fotus, cataplaſmatis, epithematis, vaporis, & auxilio aeris inſpirati & applicati. 2. Minuta evacuatio præcipue per diaphoreſin. 3. Promovetur minuta corporis actione, in quiete, motu languidiore, debilitate, alvi ductione, phlebotomia: uſu diluentium, fructuum horæorum, aceſcentium, ſaponaceorum, nitroſorum, opiatorum, laxantium; maxime ſi tepida adhibentur.

III. Horum copioſior & frequentior uſus in ſanis corporibus inducit ſolidorum humiditatem, frigiditatem, laxitatem, atoniam; humorum tenuitatem, pallorem, collectionem, hydropem, œdema, leucophlegmatiam, gravitatem, cruditatem, tumores frigidos, corruptionem ſpontaneam; actiones languidiores, debiliores, turbatas, mobilitatem, convulſionem, rhachitidem, vertiginem, ſyncopen, frigiditatem, anorexiam, & diſpepſiam. In aere ſemper hærens diſponit ad morbos endemicos & epidemicos. Si autem ſimul fiat evacuatio tenuioris major, hæc fere mala omnia evitantur.

IV. In curatione recenſitæ cauſæ evitandæ vel emendandæ; ſimul adhibenda quæ ſiccitatem producunt.

269. SICCA.

I. Quæ abſorbendo, evacuando, diſcutiendo, tenue tollunt, relicto craſſiore, aut parcius ſuppeditant, morboſam ſiccitatem inferre poſſunt.

II. Hæc in ſanis ſolidorum tonum augent, fragilitatem, ſiccitatem, rigiditatem, duritiem, & dolorem inferunt. Humores craſſiores, tenaciores, concreſcentes, & facile obſtruentes producunt. Actiones impediunt, turbant, exſtinguunt: evacuationes minuunt, ſiſtunt. In morbis autem ex nimia humiditate egregiam medelam præbent.

III. Sublatis cauſis ſiccitatem inducentibus, applicanda & ingerenda humida & humectantia, parva copia ſimul cum tepore, ſimulque ſpecialis exſiccata pars tegenda.

270. AER.

I. Aer purus, ſæpe renovatus, modice calidus, ſiccus, gravis, elaſticus, & naturalis, ad vitam & ſanitatem conſervandam tam neceſſarius eſt, ut homo ex ejus defectu protinus moriatur. Hic actione vitali conſumitur, motu autem automatico, & combuſtione regeneratur, non tamen omnis ille ad vitam ſuſtentandam idoneus.

II. Ille autem Humidior vel Siccior; Calidior vel Frigidior, morbos producit in iſtis cauſis recenſitos. Gravior raro peccat in telluris ſuperficie; ſed Levior in altis montibus, minuens ſuſtentaculum, hujus cauſæ morbos infert.

III. Aer ab homine vivente adtractus, inſpiratus, & emiſſus non ſolum minuitur, ſed & qui remanet ad vitam ſuſtentandam redditur inutilis.

IV. Sæpe inficitur Exhalationibus, Vaporibus, Meteoris, Pluvia, Nive, Nubibus, Fumo, Rore, Tonitru, Gas ſylveſtri, influxu Solis, Lunæ & Aſtrorum, Contagio volatili & ſimilibus; unde Habitatio in variis Regionibus circa Mare, Flumina, Lacus, Paludes, Montes, Silvas tam varios pariunt morbos Epidemicos, Endemicos & Peſtilentiales, atque in quibuſdam hominibus mortem inexſpectatam. Qui morbi præveniuntur evitatione hujus aeris, frequenti reno-

renovatione, accenſione flammæ, fumo vel vapore concitato ex antidotis cognitis producto.

V. Nimius aeris Motus in Vento & Tempeſtate, ut & Aura frigidiuſcula, auferendo calidam Atmoſphæram ſimiles fere ut aer frigidior morbos infert. Sonus, Lux & Tenebræ majore minoreve agitatione organi ſenſus morbos inferunt, qui evitando facile præveniuntur.

271. TEMPORA ANNI.

I. Tempora anni varios inferunt morbos. 1. Mutatione aeris calidi vel humidi in oppoſitam qualitatem. 2. Corporis largiore & parciore perſpiratione. 3. Vario victus genere. 4. Varia mutatione iiſdem temporibus.

II. Antecedens hyemis humiditas & frigiditas, cum parciore perſpiratione, victuque duro, commutata vernali tempore in teporem & largiorem perſpirationem, ſanitati conducere ſolet: ea autem impedita humoreſque præcedente hyeme accumulati, nunc magis agitati, inferunt anginam, podagram, ophthalmiam, gravedinem, tuſſim, febres intermittentes non valde pertinaces, abundantiam, catarrhum, puſtulas, melancholiam, delirium, dyſenteriam, hæmorrhagiam, laſſitudinem, ſomnolentiam: quæ largiore evacuatione naturali vel artificiali præveniuntur & curantur.

III. Aer Æſtivus calidior & ſiccior retentos Vernali tempore humores in corruptelam convertit, pinguedinem liquefacit, atque in acre liquamen convertit: unde morbi bilioſi, ardentes, acuti, alvi fluxus, cholera, dyſenteria, eryſipelas, endemicorum & epidemicorum initium, laſſitudo, leipyria, multique morbi putridi.

IV. In Autumno aer frigidior & humidior, atque exhalationibus putrefactorum inquinatus, frequentes & pertinaces generat morbos endemicos, epidemicos, contagioſos, febres erraticas, quartanas & intermittentes acutas pertinaces, putridas, ſæpe recidivantes, lienterias, hydropem, phthiſin, melancholiam, raucedinem, tuſſim, rhachitidem, aſthma, aphthas, gravedines. Hi morbi evitantur mature indutis veſtimentis, evitatione aeris veſpertini & nocturni, & largiore perſpiratione. Difficile curantur ob hyemem frigidiorem ſubſequentem.

V. Naturali aeris frigiditate & humiditate Hyems autumnales morbos protrahit, retentos humores ſenſim magis corrumpit, unde febres quartanæ ſenſim in acutas degenerant: accedit peripneumonia, pleuritis, cephalalgia, apoplexia, lumborum & ventris dolor, vertigo, hydrops, leucophlegmatia, gravedo, tuſſis, catarrhus, qui morbi plerumque ad ver protrahuntur. Hi morbi ut autumnales præveniuntur & curantur.

VI. Ex antecedentibus etiam deducuntur morbi Solſtitiales, Æquinoctiales & Caniculares.

272. CONTAGIUM.

I. Qui morbi in alio corpore ſano ſimilem inferunt morbum, dicuntur Contagioſi. Noxium vero communicatum, viſum fugiens, morbum inferens, qui deinceps in aliis ſimilem morbum concitare poteſt, dicitur Contagium.

II. Contagioſum miſcetur noſtris humoribus 1. Deglutitione cum ſaliva. 2. Inſpiratione cum adtracto aere. 3. Morſu ut a venenatis animalibus, vel ictu ab inſtrumentis infectis. 4. Simplici applicatione ad cutim externam.

III. Quædam ſpecies ſunt volatiles aeri miſcibiles, ut in peſte, dyſenteria, epidemicis, endemicis, malignis, aere infecto, exhalationibus, vaporibus, variolis, morbillis, petechiis, ſcarlatina: aliæ magis fixæ, quæ ſine adtactu non adficiunt, ut lues venerea, tarantula, hydrophobia, morſus animalium venenatorum, arthritis, podagra, pruritus, puſtulæ, ſcabies, febris, phthiſis, cancer, ichor.

IV.

IV. Ut varia ſunt Contagia, ita etiam differunt ſymptomata, quæ ex ſpeciali ſunt petenda: generalia autem ſunt 1. Colliquatio & corruptio humorum, unde evacuationes ſubito copioſæ, ſæpe fœtidæ, quæ emittuntur per alvum, ſudorem, ſalivam, raro per urinam. 2. Interdum in cute ſubſiſtunt, unde exanthemata, maculæ, puſtulæ, anthraces, bubones. 3. Quandoque irritando inferunt febres, dolores, anxietates, ardores, convulſiones. 4. Aut vires extinguunt, unde ſumma debilitas, ſyncope, circulatio minor, frigiditas.

V. Curatio ſpecialis per Antidota ex ſpeciali contagio eſt petenda. Generalis autem conſiſtit 1. In evitatione contagii. 2. Ablatione recepti per ablutionem, ſuctionem, expulſionem. 3. Exſtinctione per uſtionem.

273. ENDEMICUS.

I. Qui morbus conſtanter, vel certo anni tempore rediens, ſpeciali in loco regnat, Endemicus vocatur.

II. Cauſa hujus plerumque quærenda in aere infecto per exhalationes, vapores, ex paludibus, vel ſtagnis exhalantes, maxime poſt æſtum antecedentem, vel terræ motum. Aut deducendus ex corrupta aqua, aut certo victus genere, huic populo ſpeciali.

III. Inde Hungaris, Anglis, Zelandis ſpeciale febrium genus; Plica Polonis; Strumæ & bronchocele Alpium incolis; Scorbutus Septentrionalibus; Elephantiaſis Græcis; Mentagra Romanis.

IV. Ægri in eodem loco degentes, eodemque utentes nutrimento difficile curantur; tandem vero adſueti, cauſam endemicam ferunt ſine damno. Generalis curatio eſt mutare locum & nutrimentum, adhibere generalia antiſeptica, cum leni & continuata evacuatione majore. Specialis autem curatio quærenda eſt in antidoto, ſi detectum ſit, atque methodica curatione, pro natura morbi.

274. EPIDEMICUS.

I. Morbus multos homines ſimul vel ſucceſſive aggrediens in quadam regione, demum iterum evaneſcens, Epidemicus dicitur: ſi omnes fere moriuntur, ad Peſtem refertur.

II. Accedens cauſa univerſalis debet eſſe, etiamſi ſit inviſibilis, propaganda per adtactum, vel aerem, cibum aut potum, vel impediendo inutilium evacuationem. Prædiſponens quærenda in corpore ipſo, unde interdum duntaxat in certa ætate & ſexu, otioſis aut exercitatis magis infeſtus, atque gravidis, lactantibus & puerperis: Inde nimis calida & humida antecedens æſtas, vel autumnus corruptelam aut putredinem inducens, cum ſubſequente aere frigidiore, toties hujus morbi cauſa. Quandoque ſolum ſubito ſuperveniens frigus, prohibendo perſpirationem, minus malignum morbum epidemicum inducit. Incognitum autem contagium aut malignitas epidemicum periculoſum infert.

III. Inficiens Epidemicum ſpeciale producit morbum, Catarrhalem, Eryſipelatoſum, Inflammatorium, Rheumaticum, Colliquativum, Corruptum, Putridum, Malignum, Varioloſum, Morbilloſum, Febrilem, Lenticularem, Petechialem, Dyſentericum, pro natura inficientis.

IV. Ex diverſa hac materia aliquam partem magis adgrediente, varii fiunt ſpeciales morbi, in quibus præcedentes generales ſunt perpendendi.

V. Inde in capite vertigo, parotis, paraplegia, phrenitis, cephalalgia, agrypnia, ſomnolentia, ſopor, gravedo.

VI. In collo vero, faucium rubedo, tumor, angina, ſputum copioſum tenax, vocis raucedo.

VII. Sæpe adgreditur pectus & pulmones, unde peripneumonia, pleuritis, dyſpnœa, hæmoptyſis.

VIII.

VIII. Sed chyli organum adficiens, parit vomitum, nauſeam, faſtidium, alvi fluxum, choleram, dyſenteriam, volvulum.

IX. In reliquo corpore, dolores, debilitates, laſſitudines, ſudorem copioſum, maculas, exanthemata, extremarum, dorſi, lumborum dolores, pulſum, & urinam variam, circulationem majorem, minorem & turbatam.

X. Vix valemus generalem exhibere curationem, quoniam dirigi debet ad morbos (111) quibus proxime accedit: frequentiſſime, acida, refrigerantia, adſtringentia maximi ſunt uſus, ad exſtinguendum contagioſum: aut ſi fieri poſſit, larga diaphoreſi eſt expellendum inficiens.

275. PESTIS.

I. Morbus epidemicus, contagioſus, malignus, multos homines latente cauſa interimens, vocatur Peſtis.

II. Materia toxica aeri miſta, & cum eo delata, applicatione, inſpiratione, deglutitione corpori communicata, vento aliiſque rebus translata, pro diverſa ſua natura variam ſpeciem & ſymptomata inducit.

III. Quoniam experimur certæ interdum ætati, & ſpeciali animalium generi infeſtam eſſe, præter miaſma, alia accedere etiam debet prædiſponens cauſa.

IV. Quia circa paludes in regionibus calidioribus, poſt tempeſtatem humidam & calidam frequentius generatur, ad naturam corruptionis maxime accedere videtur: interdum etiam ſine ulla perſcrutabili cauſa incipit & ſævit. Quare materiæ natura plane incognita eſt, & non ſemper ſibi ſimilis.

V. Pro diverſa natura varia inducit ſymptomata. 1. Inſtar toxici partis vitam extinguit, unde bubones, anthraces, parotides, eſcharæ, maculę purpureæ, nigrores variis in partibus, cum ſumma debilitate, frigiditate, & ſyncope, atque urina ſana. 2. Vel humores in liquamen convertit, unde ſudores colliquativi, alvi fluxus, hæmorrhagia, mictus cruentus, abortus. 3. Vel naturam inflammationis, ſeu potius eryſipelatis & putredinis æmulatur, unde anxietas, bilis plerumque corrupta, vomitus, nauſea, horror, rigor, febris, exanthemata, corporis ardor, qui interdum in cadavere poſt aliquot dies manſit ſuperſtes.

VI. Curatio prohylactica ſemper inſtituenda 1. Cohibendo omne commercium cum aere infecto, capeſſendo fugam, ſepeliendo corpora infecta in loco remoto, alte ſub terra. 2. Corrigendo aerem infectum flamma, fumo & vapore aceti, nitri, ſulphuris, pulveris pyrii, nicotianæ. 3. Muniendo corpus perſpiratione largiore, alvo modice laxa, diæta tenui & modica, habitando loco puro, perflato, ſeptentrioni expoſito.

VII. Suſceptum miaſma ſtatim in principio 1. Expellendum ſudorifero & diaphoretico veneni naturæ (v) contrario. 2. Exſtinguendum antidoto, ſi inventum ſit, pro varia natura miaſmatis. 3. Symptomatibus ſuccurrendum ut ſuis in locis traditur.

276. VENEREA LUES.

I. Morbus contagioſus per adtactum, pertinax, ſponte non ceſſans, in parte infecta ſe ut plurimum prodeuns, poſt annum 1463. in regno Neapolitano detectus, dein per alias regiones propagatus, ſine infectione non incipiens, ſub forma puſtulæ ſubalbidæ ulceroſæ mucoſæ pertinaciſſimæ, vel fluoris albi, aut gonorrhœæ prodeuns, vocatur Venerea Lues.

II. Detegitur 1. Relatione ægri vel ægræ, ſi rem habuerit cum infecto vel infecta. 2. Morbis inſolitis genitalium pertinacibus. 3. Maculis cutaneis in locis tectis, puſtulis duris calloſis, ſiccis, cruſtoſis, fiſſuris, pilorum defluvio. 4. Dolore oſteocopo aliiſque offium morbis ſponte venientibus. 5. Ulceribus oris, faucium, narium ſolitis medicamentis non obtemperantibus.

III. Semper virus venereum per contactum inficit alterum, nunquam generatur ex aliis cauſis, inde concubitu, lactatu, baſiatione, decubitu, contrectatione, hæreditate propagatur.

IV. Materia hæc eſt fixa, actione vitæ non ſubigenda, diu latitare potens, ex bonis humoribus ſibi ſimilem præparare valens, humores ſubpingues & optimos in glutinoſum corroſivum commutans, acris, aliquomodo inflammatoria.

V. Si ex impuro concubitu receptum fuit virus, iſtud nidulabitur 1. In liquore genitali. 2. Mucoſo cryptarum cutanearum. 3. Muco membranæ ſchneideriana & faucium. 4. Synovia articulorum, tendinum & ligamentorum, & ſucco nervoſo. 5. Medulla oſſium & pinguedine. 6. Denique lympha, ſanguine & reliquis humoribus.

VI. Ex materia hac & inde corruptis humoribus ad varias partes delatis multa fiunt ſymptomata.

VII. In pene, uretra, & præputio ſæviens parit gonorrhœam, phimoſin, paraphimoſin, criſtam, carunculam, ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam, ſterilitatem, chordam, bullas cryſtallinas, penis inflationem, incurvationem, ulcera, puſtulas.

VIII. Teſtes adfecti tumere & indureſcere incipiunt, atque funiculus ſpermaticus adfectus ſarcocelen exhibet.

IX. In vulva mulierum ſimilia fiunt, puſtulæ, & ulcera mucum & ſaniem plorantia, rarius autem afficiuntur uretra & proſtatæ glandulæ quam in viris, ſed loco harum partium afficiuntur vagina, uterus, ovaria, & producitur fluor albus.

X. In utroque ſexu inguines tandem bubone turgent.

XI. Demum etiam invadit os, linguam, labia, gingivas, tonſillas, fauces, quas tumere & exulcerare facit, denteſque vacillant, atque palatum corrodit, uvulam conſumit, raucedinem inducit.

XII. Pituitariam membranam aggrediens, nares conſumit & cadere facit, inducitque ozœnam.

XIII. In cute parit maculas, puſtulas, ulcera, condylomata, porrum, pilorum defluvium, ſcabiem, ſarcoma, colorem luridum, fiſſuras, impetiginem, tubercula, verrucas.

XIV. Oſſa tandem aggrediens miram tragœdiam agit, producit enim fragilitatem, cariem, facilem fracturam, oſteoſarcoſin, exoſtoſin, ancyloſin, dolorem oſteocopum, nodos, tophos.

XV. Per totum corpus, debilitas, cachexia, dolor noctu ingraveſcens, febricula, hectica, emaciatio, laſſitudo, phlogoſis, phthiſis generatur.

XVI. In infantibus & ſenibus periculoſior & curatu difficilior quam in ætate media. 2. In debilibus, chronicis & acutis, oris ulceribus, ſtrumoſis, epilepticis, vetat hydrargyroſin. 3. In gravidis ſæpe parit abortum, lactantes infectæ inficiunt etiam infantes. 4. In feminis facilius toleratur quam in viris.

XVII. Quia virus venereum ſolo adtactu inficit, primaria præcautio eſt fugere contactum: ſi autem contactus ſit factus, conducit ſedulo & ſæpe abluere & abſtergere partem. Quæ prædicuntur de adſumtis medicamentis, inania ſunt.

XVIII. Lues perfecta non permittit ſecuram curationem ſine hydrargyroſi: dum quædam ſimul topica adſunt mala, ex lue provenientia, mercurialia quoque ſimul ad iſtas partes ſunt applicanda: ſingula ſymptomata ſuis titulis proponuntur.

277. HYDROPHOBIA.

I. Illa Delirii ſpecies, in qua horrent & timent ad aquæ adſpectum; eamque deglutire nequeunt, dum tamen ſatis facile bolum ſiccum deglutire poſſunt, vocatur Hydrophobia.

II. Raro ſponte naſcitur in homine, ut plurimum per contagium & maxime Canis rabidi communicatur morſu, lambitu, & nudo adtactu.

III. Interdum virus diu latitat, & dein ſe manifeſtat aquæ timore; pergente malo multa alia accedunt nervorum & chyli organi ſymptomata, in quibus tres gradus incrementi obſervant, poſt quos demum certa mors.

IV. Si certum eſſet detectum antidotum, id ſtatim eſſet applicandum & ingerendum. Eo deficiente, contagium applicatum eſt auferendum ablutione cum aceto & ſale marino, vel aqua ſalſa; applicandæ cucurbitæ extrahentes, atque veſicatoria. Dein pars urenda ferro ignito vel cauſtico potentiali, cum frequenti ablutione, quamdiu contagium in parte hæret. Si circulantibus miſtum ſit, iterata venæ ſectione, & alvi ductione forti, atque multo potu antiphlogiſtico contagium eſt ejiciendum, inducendus terror dimerſione in aqua ex improviſo.

278. TARANTISMUS.

I. Qui ſpeciali delirii genere, in quo muſica hominem quaſi ſenſibus privatum, admodum anxium ad ſaltandum inſtigat, ictu Tarantulæ, in Apulia ut plurimum natæ, inducto, laborat, ſingulis fere annis æſtivo tempore, redeunte, is, Tarantiſmo correptus dicitur.

II. Pars ictu Tarantulæ læſa tuberculum inflammatorium, ut fere ab aliis inſectis venenatis, generat: æger dein inſtar ebriorum delirat, anxietate cordis, & ſenſuum privatione corripitur, ad auditam autem muſicam membra movere incipit, & ſaltat, quo ſummopere levatur, continuata, & repetita ſaltatione, tandem curatur, niſi quod ſequenti anno redire ſoleat.

III. Generalis curatio a communi Contagio (272) non differt, ſi ſtatim adhibeatur: Contagium autem per corpus diſperſum ſi fuerit, repetita ſaltatione virus ſubigendum & expellendum, dum ſimul ablutione, ſuctione, & applicatione acidorum, locus læſus depuratur.

279. ABUSUS.

I. Utitur corpus vivens ad injurias externas munimentis externis; ad conſervandam vitam nutrimentis; ad morbos curandos medicamentis & auxiliis, quorum ſingulorum abuſus ſeorſim exponendus eſt propriis ſuis titulis.

280. INTEGUMENTA.

I. Corpus noſtrum vivens maxime in frigidioribus regionibus munimentis externis, veſtimentis ſcilicet & ſtragulis ad externas injurias eſt defendendum: ſed nudum & integumentis onuſtum ad morbos concipiendos diſponitur.

II. Copioſior autem applicatio Integumentorum, quia intercipit refrigerium externum, ſimiles morbos inferre poteſt, qui in Calidis (266) expoſiti ſunt: corpus tamen his diu adſuetum (252) non niſi lente ad debitum amictum reducendum.

III. Quia vero veſtimenta vel ſtragula parciora nimis admittunt refrigerium, morbi inde naſcuntur, qui in Frigidis (267) traditi ſunt. Corpus autem his adſuetum minori damno ferre poteſt mutationem.

IV. Corpora viventia in noſtro climate non ferunt omnem integumentorum

privationem, nisi in quibusdam partibus, sine damno ex nimio frigore exspectando, quare non temere nuditas concedenda, maxime si corpus non sit consuetum.

281. NUTRIMENTUM.

I. Corpus vivens sua actione vitali & animali sensim deterens solida, mutans & expellens humores, supplemento, quod actione particulari organi chylopoietici est adaptatum, eget, quæ ingesta hanc materiem præbent. Nutrimentum & Alimentum dicuntur, atque Cibi Potusque nomine veniunt.

II. Hæc differre debent in ætate, statu corporis, gravidis, lactantibus, robustis, debilibus, otiosis, exercitatis, anni temporibus, sanis, ægrotantibus & convalescentibus.

III. Copiosiora alimenta ventriculum nimis distendunt, onerant, anxietatem, dolorem, compressionem adjacentium, fastidium, nauseam, vomitum, alvi fluorem inferunt. Cruda manent & dein corrumpuntur. Sic tradita circulantibus generant cacochymiam, humorum cruditatem & corruptelam, atque virium debilitatem. In principio omnia illa mala facile præveniuntur vomitu, largiore alvi egestione, & parciore diæta: mala deinceps nata, modica cibi ingestione, corporis exercitatione & medicamentis stomachicis facile curantur.

IV. Minus suppeditatum de alimentis quam requiritur, famem in principio intolerabilem inducit, quæ tandem sponte omnino deletur. Sitis autem inducta sensim intenditur. Generatur inde humidi defectus, retentio inutilium, unde massa inepta ad spiritus ceterosque humores suppeditandos: hinc summa tandem debilitas, & mors. Corpora ita debilitata sensim sunt reficienda alimentis eupeptis parva copia simul. Succurrendum applicatione & iniectione nutrientium.

V. Alimenta tenacia, fumo saleve condita, pinguia, glutinosa, non facile solvenda actione ventriculi & intestinorum, atque saponacitate adfluentium humorum, crudum & alienum præbent chylum, reliquosque humores, chyli organa onerant, multosque morbos, aliena sua natura & suscepta corruptione inferunt, fastidium, sodam, cardialgiam, anxietatem, somnum turbulentum, singultum, ructum, rancorem, alvi fluorem, choleram & multa alia. Hæc sedulo evitanda, eupepta suppeditanda, collecta in primis viis per alvum laxantia saponacea ejicienda, dein stomachicis & saponaceis tonus ventriculi, & naturalis adfluentium humorum saponacitas restituenda.

VI. Magis sanitati conducit frequentius quam rarius ingerere nutrimentum, modo non nimis ingeratur. Exercitium statim a cibo, crudum tradit sanguini. Ventriculus cibo onustus somnum inquietum inducit.

VII. Non omnia alimentorum genera vel species idem genus morborum inferunt. Matura semper adsumenda. Immatura utpote dyspepta, & nutritioni aliena, fugienda. Cruda tenaciora sine prævia coctione vel assatione chyli organa opplent & dyspepta sunt. Consueta & Grata facilius tolerantur etsi deteriora quam Insueta & Ingrata. Sale fumove condita semper magis dyspepta. Coctione indurata vel nutritio privata, atque Assatione nidorosa facta, evitanda. Euchyma semper bona; Aliena & Prava autem quæ non sunt esui, semper damnosa. Eupepta nimis facile deterenda operariis & robustis defectum nimis cito præbent.

VIII. Farinosa, Leguminosa, Mucilaginosa, nimis ingesta, pituitam generant cum acore, multosque flatus & ventris infarctionem, quæ alcalicis resolventibus curanda & leni alvi ductione evacuanda retenta. Fructus Acescentes Saponacei facile in primis viis fermentantes generant flatus, aciditatem, colicam, alvi fluorem, quæ facile sedantur spirituosis, aromaticis, & acidum absorbentibus. Oleosa, Pinguia in rancorem, & acorem degenerata, cardialgiam, colicam, sodam, alvi fluorem biliosum inducentia, purgante saponacea acescente

ſcente educenda, acidiſque ſaponaceis ſolvenda & temperanda. Animalium & Piſcium Caro, Ova, Jurulenta in nidorem converſa, ructum & alvi fluorem fœtentem cum humoris colliquatione inducentia, aceſcentibus vinoſis temperanda. Vinoſa, Spirituoſa temulentiam & tandem tremorem inducentia, ſenſim omittenda, nimia autem copia ingeſta acidis temperanda. Dulcia, Saccharata, Mellita, Cereviſia recens, Muſtum, facile fermentantia & in acidum degenerantia, multos flatus, aciditatem, morboſque nervorum inferunt, qui alcalicis, aromaticis, reſinoſis, & roborantibus ſunt curandi. Aquoſa præcipue tepida, nimia copia ingeſta, ventriculi tonum enervant, corpori inferunt laxitatem, pallorem, frigiditatem, tremorem, debilitatem, atque humoris nimiam tenuitatem, qui morbi facile curantur temperatiore uſu, & medicamentis ſtomachicis roborantibus.

282. MEDICAMENTA.

I. Quæcumque ad præveniendos, curandos vel palliandos morbos ingerendo vel applicando adhibentur, Medicamenti nomine accepimus. Mechanica ex his ad Chirurgicas operationes vel Auxilia referuntur, reliqua ſunt externa vel interna.

II. Tam magnus horum eſt numerus, ut hoc loco pertractari nequeant, ſed ex propriis titulis ſint petenda, qui proponunt genera, & ſimplices ſpecies.

III. Horum generalis abuſus conſiſtit 1. In nimia quantitate. 2. Qualitate omnino aliena, quando veneni merentur nomen. 3. Virtute naturæ ægri vel morbi omnino aliena.

283. VENENUM.

I. Adſumta, vel corpori viventi quovis modo applicata, quæ vitalem actionem extinguunt, vel partes firmas & fluentes ad vitam continuandam ineptas faciunt, Venena cenſentur. Multa quoque innoxia majore copia vitæ actionem impedientia vel obruentia, in hoc ſenſu ad venena referri poſſunt.

II. Acria, mechanica, lædentia, quæ deſtruendo partes firmas mortem minantur, intus adſumta, multo pingui ingeſto obvoluta ſunt prius educenda.

III. Quæ fortiter coagulando humores intercipiunt circulationem, aquoſis ſaponaceis ſunt diluenda, & cognita coaguli natura antidoto exſtinguenda.

IV. Quæ autem exſtinguunt cohærentiam in partibus ſolidis & humoribus periculoſiſſima ſunt, acidis & leniter adſtringentibus ſunt temperanda.

V. Quædam deleteria in rerum natura inveniuntur incomprehenſibilia in peſte aliiſque venenis, quæ ſolam vitæ actionem exſtinguere videntur, & emendari ratione nequeunt, ſed ſolo antidoto experimentis detecto.

VI. Similia quoque deteguntur, quæ aeris naturam ita invertunt, ut aer ad vitam ſuſtentandam ineptus ſit. Sic fumus carbonum, ſulphuris, liquoris fermentantis, gas ſylveſtre; quæ ſunt evitanda, emendanda flamma, vel vapore alio oppoſito.

284. MAGIA.

I. Quæ morborum phænomena vel curationes ex cauſis cognitis non ſatis facile deduci poſſunt, ab indoctis & credulis ad artes Magicas vel Diabolicas ut plurimum referuntur: ſed quoniam ſpirituum bonorum & malorum imperium in corpus noſtrum & animam, nos latet, & nullis experimentis conſtat animum vel corpus malevoli in noſtrum corpus vel animum agere poſſe, niſi id Deus permittat, multaque illa latentia & magica ex veris medicinæ principiis, quæ indoctum vulgus latent, demonſtrata ſunt, & conſueta methodo & medica-

dicamentis ſublata fuerunt, tota illa doctrina, cum omnibus narratiunculis Incantationis, Faſcinationis & ſimilium, quæ a mulierculis, & ſimplicibus de facili circunfertur eſt repudianda.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS SECUNDA

DE

MORBIS PARTICULARIBUS.

LECTORI AUCTOR.

POst morborum Generalium cognitionem, Particulares ſunt rimandi: hi quoniam infeſtant corporis humani partes generales & ſpeciales, ſatis commode in duo genera diſtinguuntur.

Qui adficiunt oſſa, arterias, venas, nervos, glandulas & integumenta, primo eſſent exponendi, ſed quia fere omnes a Chirurgis agitantur, & a nobis in Chirurgia repurgata expoſiti ſunt, in hoc Syſtemate omitti poſſunt. Qui autem in ſpeciali parte, organo, humore, aut actione deteguntur, ſecundum communem corporis humani diviſionem traduntur.

Ad cognitionem & curationem horum ſupponitur intellectus morborum Generalium, Anatomiæ & Phyſiologiæ in quavis parte vel organo ſpeciali, ut ex his collectis & inter ſe comparatis firma & certa Praxis Medica comparetur.

Ex Anatomicis & Phyſiologicis duntaxat præmiſi brevem deſcriptionem, quæ praxi inſervire debet, amplior autem & copioſior expoſitio in dictis Auctoribus inveniri poteſt.

In morborum deſcriptione, neque ſigna, neque præſagia traduntur, hæc enim ex definitione, cauſis prægreſſis & effectibus facile elici poſſunt.

Raro generalis additur curatio, quum fere omnes morbi particulares ex variis naſcantur cauſis, quæ ſuam propriam curationem poſtulant.

PARS SECUNDA

LIBER I.

MORBI PARTICULARES.

CAPITIS MORBI.

REferuntur *Capitis morbi*. 1. *Ad partes externas*, *ut Cranium* (*Ch.* 301.) *quod complectitur Frontem*, *Verticem*, *Sinciput*, *Occiput*, *Fontanellam*, *Tempora & Pericranium*. 2. *Ad Faciem*, *quæ conſtat Genis*, *Buccis*, *Mento*, *Labiis*. 3. *Ad Organa*, *quæ vocantur Oculus*, (*Ch.* 1082.) *Auris*, (*Ch.* 979.) *Naſus*, (*Ch.* 876.) *Os*, (*Ch.* 905.) *in quo Dentes*, (*Ch.* 914.) *& Lingua*. 4. *Ad partes internas Capitis*, *in quibus diſtinguunt Cerebrum*, (*Ch.* 738.) *Cerebellum*, (*Ch.* 744.) *Meninges*, (*Ch.* 732.) *Sinus*, (*Ch.* 733.) *Ventriculos*, (*Ch.* 842.) *& multas alias partes*. 5. *Ad Humores Internos*, *ut Spiritus*, (*Ch.* 766.) *Succus*, (*Ch.* 770.) *qui hic loci ſæpe muci vel pituitæ nomine venit*. 6. *Ad Humores Externos*, *ut ſunt Lachrymæ*, (*Ch* 1115.) *Saliva*, *Mucus*, *Cerumen*. 7. *Ad Actiones externas*, *ut Odoratus*, (*Ch.* 849.) *Auditus*, (*Ch.* 963.) *Viſus*, (*Ch.* 1064.) *Saporis*, (*Ch.* 904. *& Manducationis*. 8. *Ad Actiones internas*, *ut Animi Actio*, *Paſſio & Aberratio*.

Omnes fere morbi, *qui ab auctoribus ad Capitis morbos referuntur*, *ut Apoplexia* (143.) *Sopor* (152.) *Somnolentia* (151.) *Stupor* (150.) *Torpor* (178.) *Syncope* (145.) *Inſomnium* (153.) *Incubus* (149.) *Agrypnia* (150.) *Anodynia* (141.) *Catoche* (144.) *Phrenitis* (155.) *Convulſio* (161.) *Epilepſia* (162.) *Hydrophobia* (277.) *Melancholia* (132.) *Paralyſis* (169.) *Laſſitudo* (167.) *Tarantiſmus* (278.) *Delirium* (154.) *in priore parte Syſtematis traditi ſunt*. *Hos morbos*, *& quos in Chirurgia Repurgata expoſuimus non adtingemus*, *qui vero ſuperſunt*, *expoſituri ſumus*.

285. GENERALES MORBI CAPUT INFESTANTES.

I. VOrbi aliarum etiam partium, caput vero adficientes, ut Vulnus (4,) Contuſio (5,) Uſtio (9,) Ulcus (15,) & Fiſtula (16,) hoc ſpeciale habent, quod promtius ſanentur, ſed latens ſæpe habeant periculum. Deformitas (43,) ſtatim a nativitate ſuſtentaculo emendanda.

II. In capite humorum Abundantia (53,) Intumeſcentia (54,) Plethora (55,) exigit elevatiorem decubitum: ſi fiat a majore impetu (180. VI.) ſanguinis & alvi ductio eſt facienda. Humorum Defectus (65,) ſi non fiat a grumo, (81,) frictione, abdominis ſuſtentatione, volatilibus, ſpirituoſis, aromaticis adhibitis ſupplendus.

III. Capitis Pituita (74,) Mucor (75,) ſternutatoriis, epithematibus, calefacientibus reſolvendus, & alvi ductione derivandus. Tenuis autem Lymphæ (89,) & Ichoris (88,) Evacuatio promovenda, abſorbenda, vel derivanda ad alvum. Hoc etiam, præter generalem curationem, faciendum in Acrimonia (94,) humorum capitis.

IV. Collecti (114) in capite humores, Sanguis, Pus, Serum, Lympha, periculum portendunt, niſi ſponte vel arte evacuentur. Sed Ecchymoſis (116,) & Empneumatoſis (118,) ut in aliis locis curatur. Metaſtaſis (119,) periculoſior quam in aliis partibus.

V Materia Arthritica (135,) Catarrhoſa (136) Podagrica (137,) Rheumatica (138,) cum periculo ſummo in capite deponitur: conducit ad ſolita loca ducere iſtos humores.

VI. Capitis Pulſatio (157,) Ardor (158), Impetus major (180,) ſuperveniente hæmorrhagia, vel adhibita phlebotomia, purgante antiphlogiſtico & refrigerantibus topicis, temperatur. Reditus autem impeditus (183) curari nequit niſi ſublata in collo cauſa. Circulatio minor (181,) ab actione languidiore volatilibus & frictionibus promovenda; ſed ex collecto alicubi ſanguine, pars colligens ſuſtentanda; poſt evacuationem largiorem, corpus horizontali ſitu locandum. Sudor copioſior (188,) circa ſolum caput malum præſagium præbet. Febris (192) ad caput faciens metaſtaſin (119,) vel caput in conſenſum (142) trahens, periculum auget.

VII. Morbi generales integumentorum (Ch. 1186.) Glandularum (Ch. 1453.,) ſpecialem curationem non requirunt.

286. CEPHALALGIA.

I. Dum æger conqueritur ſe ſentire in interioribus capitis dolorem, qui ad adtactum non intenditur, ſed compreſſione aliquomodo videtur levari, ille morbus Cephalalgia vocatur, ſed diu permanens Cephalæa: hic dolor dimidiam capitis partem obſidens Hemicrania, ſed in exiguo puncto ſæviens Clavus hyſtericus appellatur. Præterea dolorem diſtinguunt in anteriorem, poſteriorem, vel lateralem partem obſidentem.

II. Differentia eſt ſtatuenda in cauſis variis dolorem inferentibus, & in doloris ſpeciebus; eſtque Idiopathicus vel Sympathicus.

III. In morbis acutis, circulatione aucta, febre continua, ardente, Cephalalgia ſemper mala, niſi hæmorrhagiam præſagiat, quod cognoſcimus ex ſignis motus ſanguinis majoris ad caput (180, VI.). Nam ſi veniat illa ex materia bilioſa huc delata, inflammatione, aut metaſtaſi acutorum, delirium præſagit, niſi præveniatur alvi ductione refrigerante, epithematibus refrigerantibus, & potu antiphlogiſtico: ſi ſimul adſunt ſigna plethoræ (55, 111,) conducit venam ſecare. Ex paroxyſmo febrili nata iiſdem compeſcitur ſine ſanguinis miſſione.

IV.

IV. Dum materia inutilis præprimis perſpirationis inſenſibilis prohibitæ, vel utilis non ſatis præparata defectu virium, corrupta in debilibus, ſcorbuticis, hyſtericis, & catarrhoſis, aliiſque morbis chronicis, puellis chloroſi aut cruditate laborantibus, feratur ad interiora capitis, diu permanentem dolorem infert. Hic humor fonticulis, ſetaceis, & veſicatoriis eſt evocandus, applicanda anodyna ſpirituoſa topica. Interne autem antiſeptica diaphoretica. Si alvus ſit conſtipatior, purgans gummoſum exhibendum.

V. Sæpe ex vitiata Ventriculi concoctione naſcitur Cephalalgia, quæ toties augetur ac cibus adſumtus incipit digeri, atque nauſea, faſtidio aliiſque ventriculi morbis ſtipata eſt. Conducit in hoc caſu leni vomitorio vel purgante eliminare ſaburram, & dein ſtomachicis cephalicis reliquum morbum curare.

VI. Dum vero in menſtruantibus, menſium ſuppreſſione, hyſtericis aliiſque uteri morbis, caput condoleat, uti in chloroſi, medicamenta uterina cephalicis ſunt jungenda. Si inde naſcatur Clavus hyſtericus, capiti applicanda topica anodyna.

VII. Si vero ex diuturnitate doloris, intumeſcentia faciei & oculorum, atque ex incremento doloris in vario capitis ſitu, conjicere valemus humorem hærere in encephalo dolorem inferentem, is derivandus eſt ad alvum per purgantia, vel ad alia loca per ſetacea aut fonticulos, applicanda ſimul ad caput diſcutientia. Interdum emittitur humor per aures, nares, vel fauces, quæ evacuationes ſunt promovendæ, & partes muniendæ ne corrodantur. Si poſt contuſionem cranii fiat, interdum terebra effuſus ſanguis educendus eſt.

287. CAREBARIA.

I. Capitis morboſa gravitas ad ſenſum, frequens occurrens in praxi morbus, ſpeciali titulo raro deſcriptus, Carebaria dictus, a multis oritur cauſis, quæ ſpecialia ſigna proferunt, prognoſin præbent, & curationem exigunt.

II. Nam quæ ex adſumtorum abundantia, opii, vel ſpirituoſorum abuſu naſcitur, ſponte evaneſcit.

III. Ex ventriculi cruditate, dyſpepſia, cacochylia, cacochymia, & chronicis valetudinariis proveniens, cum adſumto cibo increſcens, alvi ductione & ſtomachicis curatur.

IV. Poſt hæmorrhagias vel menſes ſuppreſſos, in opipare viventibus, juvenili ætate, & plethoricis nata, prompte tollitur phlebotomia, & ſervata alvo laxiore.

V. In morbis acutis, inflammatoriis, & febre, cum ſignis majoris impetus ad caput, delirium, phrenitidem, convulſionem, ſoporem præſagiens, ſuperveniente hæmorrhagia larga, vel alvi fluxu, levatur, ſimilibuſque auxiliis & refrigerantibus applicatis, curatur.

VI. Ex prohibita perſpiratione, vento, inſolita capitis nuditate, vel applicatis frigidis, proveniens, capillorum abraſione, fractione cum calefacientibus, ſuffitu, epithematibus aromaticis, ſpirituoſis, cum ſuſcitata diaphoreſi & actuali calore curatur: qualia quoque conveniunt, ſi ex Pituita oriatur.

VII. Quæ vero oritur ex catarrho, gravedine, hydrocephalo, melancholia, corruptione humorum, ſecundum iſtos morbos curari debet. Sed a grumo in cerebri vaſis, vel impedito reditu per jugulares, periculoſam, & raro medicabilem morbum producit.

288. HYDROCEPHALON.

I. Lymphæ vel Pituitæ collectio in partibus externis capitis, cum viſibili tumore œdematoſo, Externum; ſed eadem collectio in partibus encephali, Internum Hydrocephalon, vocatur.

II. Collectus humor externe in cutis ſubſtantia, eum facit craſſiorem, frigidiorem, pallidiorem, & pellucidam. Sed in tunica celluloſa ſola hærens relinquit naturalem colorem & craſſitudinem cutis.

III. In encephalo, ut varias partes occupare poteſt, ita etiam multa & varia anomala cerebri, cerebelli & nervorum ſymptomata infert.

IV. Ob ſignorum ſimilitudinem Ecchymoſis poſt contuſionem, a ſanguine, ſero collecto vel corrupto; atque Empneumatoſis, ab aere inflato vel putredine nato; & denique per injectionem aquæ in tunica celluloſa ſub cute capitis, tumores nati, a multis cum hydrocephalo confunduntur.

V. Hydrocephalon infantibus & recens natis frequentius, maxime ex valetudinariis natis; in locis humidis & paludoſis habitantibus, ob laxitatem & motum languidiorem in his partibus; poſt abuſum aquæ & humectantium; vel ex contuſione capitis, duriore obſtetricis pertractatione vel partu difficiliori.

VI. Externum Hydrocephalon non multum periculi portendit; ſed Internum ob cerebri, cerebelli & nervorum compreſſionem, inducit ſæpe ſomnolentiam, ſoporem, ſtuporem, oblivium; paralyſin, vertiginem, ſurditatem, ſonitum aurium, cæcitatem, apoplexiam, carebariam, hebetudinem, frigiditatem; quandoque delirium melancholicum, vomitum; & externe oculorum, palpebrarum, & faciei intumeſcentiam, mollitudinem, pallorem; lachrymas copioſas: in infantibus interdum ſuturæ dehiſcunt. Caput ante partum mole auctum difficilem partum promittit.

VII. Humor in capite abundans eſt diſcutiendus, movendus, calefaciendus & exſiccandus, ſuſtentando ſimul partes externe: interim purgantibus derivandus per alvum. Si ita obtineri nequit, ſuadent uſtionem, punctturam, & applicationem veſicantium, ut evacuetur.

289. GRAVEDO.

I. Muci narium copioſior generatio & morboſa mutatio, plerumque in humorem tenuem & acrem, interdum craſſiorem, plerumque cum gravitate narium, capitis, atque totius corporis, & levi ſæpe febricula, dicitur Gravedo.

II. Materia inſenſibilis perſpirationis retenta & ad hanc membranam depoſita, videtur ſuppeditare hujus humoris copioſiorem proventum.

III. Inde 1. Omnes cauſæ impedientes inſenſibilem perſpirationem ſubito gravedinem generant, præcipue ſi calore vel motu corporis acrior ſit facta, dein per frigus ſuperveniens exhalare impeditur: unde quibuſdam anni temporibus, & venti mutationibus, corporiſque denudatione toties Gravedo. 2. Naturalis debilitas in hac membrana, ex ætate, vel inſpiratio aeris frigidioris, hunc humorem hic colligit. 3. Abuſus ſternutatoriorum eo humorem derivat.

IV. Quo humor effluens tenuior, copioſior, calidior, diuturnior, eo pejor. Epidemica ſine manifeſta mutatione qualitatis aeris periculoſior. Ex naturali debilitate longitudinem promittit.

V. Secretio hic copioſior facta præbet 1. Mucum & ſputum abundantius, exſtinguit odoratum, parit difficilem reſpirationem per nares, gravitatis ſenſum ad radicem narium & anteriora capitis, baruecoiam, ſomnolentiam, & carebariam. 2. Sua Acrimonia inducit ſternutationem, tuſſim, narium rubedinem, excoriationem, oculorum rubedinem cum lachrymis copioſioribus, interdum ozœnam, polypum, cephalalgiam. 3. Deſcendens in ventriculum deſtruit famem & cibi coctionem. 4. Denique toti corpori tradita materia generat febrem, cachexiam, palſorem.

VI. In curatione humor ille derivandus ad cutim per diaphoretica & ſudorifera: in topicis attendendum an humectantia, obvolventia, calefacientia, vel antiſeptica ſint adhibenda, pro differentia materiæ: conducit ſæpe hypnoticum ad coctionem hujus materiæ promovendam.

290.

290. FACIEI MORBI.

I. Facies variis partibus conſtans, viſui patens, multa ſuggerit in morbis indicia, ab omnibus fere laudata & inculcata, raro autem deſcripta, niſi ſparſim.

II. Referri hæc poſſunt ad varios morbos, ſed nimis longum foret in ſingulis morbis, omnia faciei phænomena enumerare. Satius igitur erit præcipua delibare, quæ dein ad varios morbos applicari poſſunt.

III. Viſui maxime patent faciei Colores (102. 108.) Naturalis color candidus & roſeus, notat morbi materiem circulantibus miſtam non eſſe. Pallidus (104.) ſemper ſuſpectus. Niger (105.) materiem melancholicam, bilem corruptam, vel ſphacelum ſignificat. Ruber & conſtans (106.) majorem ſanguinis impetum ad caput indicat; fugax vero, Phlogoſis dicta, ſcorbuticis, chronicis, & cacochymicis frequens, purulentis & phthiſicis mala. Lividus color (107.) a ſanguinis reditu impedito, ſtagnatione vel corruptione periculum portendit. Circulus lividus ſub oculis cacochymicis, gravidis, menſium ſuppreſſione vel fluore albo laborantibus frequens. Flavus color (108.) icteri vel cacochymiæ ſignum. Coloris frequens mutatio in convulſivis. Maculæ (Ch. 1358.) pro differentia coloris varia indicia præbent.

IV. Facies cadaveroſa, quam multi Hippocraticam vocant, his verbis depingitur. Oculi concavi, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidæ & contractæ, cutis dura, color pallidus aut niger, liveſcens palpebra, labium & naſus, limbus orbitæ oculi eminentior, circa oculos ſordes, languidus palpebrarum motus, oculi ſemiclauſi, pupilla corrugata, imaginem non reddens, ſemper periculum portendit, minus autem ſi ex alvi fluxu talis fiat. Notat ſummam debilitatem, ſubſiſtentem circulationem, pinguedinis & bonorum humorum colliquationem, corruptionem, & defectum.

V. Faciei Convulſio & Paralyſis, & inde natus Cynicus ſpaſmus, Tortura oris, Triſmos, Tremor & ſimilia, ob adfectos ex encephalo venientes nervos ceteris ſpeciebus periculoſior: & topica nervina capiti & naribus adhibenda exigit.

VI. Faciei Intumeſcentia varia præbet præſagia. Nam a majore impetu, quando facies Vultuoſa dicitur, in acutis promittit delirium, phrenitidem, convulſionem, parotides, hæmorrhagiam. In Anginoſis mala. In Variolis ut plurimum bonum ſignum. In chronicis, pituitoſis, hydropicis, incrementum morbi. In tuſſientibus & vomentibus periculum portendit. Detumeſcentia ex minuta cauſa, bonum, ſed defectu virium vel metaſtaſi ad interiora malum ſignum eſt.

VII. Faciei vulnera vetant futuram cruentam, in his uti etiam in combuſtione, & variolis, pulchritudini vulneris præ ceteris ſtudendum.

VIII. Puſtulæ, rubeolæ, herpetes, in curatione a reliquis non differunt. Sudor autem copioſus circa ſolam faciem, tam frigidus, quam calidus, periculum portendit.

IX. Faciei mutatio a variis animi pathematibus, prognoſin eorum præbet.

291. OPHTHALMIA.

I. Oculorum dolens intumeſcentia rubra, cum vel ſine pruritu, ſorditate vel lachrymis dicitur Ophthalmia.

II. Si oculi tunica adnata admodum ſenſilis irritata fuit ab alienis illapſis, vel applicatis acribus, calce, nicotiana, formicis, erucis, cantharidibus, fumo, frictione, contuſione, punctione, molli collyrio oculus eluendus & depurandus, dein fovendus molli aliquo fotu.

III. Palpebræ autem fundentes ſmegma acre, bulbum irritans, quod conſpectu & oculorum ſorditate patet, exigunt oculare unguentum, quod ſmegma e-

mendat & ſupplet ; dum ſimul eluatur oculus lavamento molli abſtergente , & tegatur epithemate .

IV. Lachrymæ acriores bulbum & palpebras irritantes, ab humore catarrhoſo aut bilioſo, derivandæ ad alvum purgantibus, ſetaceis, fonticulis , & veſicatoriis, ad collum vel brachia ; & fluxus ſiſtendus in bilioſis adſtringentibus refrigerantibus; in catarrhoſis frigidis adſtringentibus calefacientibus applicatis ſupra oculos, vel iis inditis.

V. Dum ex hæmorrhagiis ſuppreſſis, impetu majore ad caput, morbo acuto, febre, calefacientium & ſpirituoſorum abuſu naſcitur, ſtatim vena ſecanda, & alvus ducenda antiphlogiſticis, danda antiphlogiſtica interna ; ſimilia oculis, fronti & temporibus applicanda topica .

VI. Ad oculos facta metaſtaſis, pro natura acrimoniæ , catarrhoſæ , bilioſæ, eryſipelatoſæ, ichoroſæ, ſcorbuticæ, venereæ, puſtuloſæ, prurientis, perſpirabilis retenti, anni tempeſtatibus & regione huic faventi ; ulceris ſuppreſſi, alvi adſtrictæ, varianda interna & externa medicamenta ; ſemper ſimul tentanda derivatio, ut in lachrymis dictum eſt. (IV.)

VII. Si bulbus ipſe inflammationem vel eryſipelas contraxerit , vena ſecanda & alvus ducenda, donec temperetur localis morbus, atque danda & applicanda quæ inflammationi aut eryſipelati propria ſunt, & in morbis oculorum adhiberi ſolent.

292. CÆCITAS.

I. Viſus perceptio omnino exſtincta, vel & multo minor quam ſanis competit, ſola magnitudine cauſarum differens, huc pertinet.

II. Omnes bulbi morbi, ut ophthalmia, cataracta, pterygium, cicatrix, puſtulæ, ruptio, vulnus, ulcus , deficiens humorum pelluciditas , qui morbi viſibilia ſigna præbent, ex aliis titulis cognoſcendi & curandi.

III. Tumores autem in encephalo latitantes, opticos comprimentes , ut exoſtoſis, varices, aneuryſmata, ſcirrhus in pituitaria glandula, incurabilem amauroſin inferunt.

IV. Sed humores effuſi in encephalo , poſt contuſionem vel vulnera capitis , opticos comprimentes , quali modo abigantur tradunt Chirurgi. Verum pituita aut mucus, ſenſim in encephalo collectus, in ſomnolentis, ſoporoſis, apoplecticis, hydrocephalo interno, cerebri ſic dicta frigiditate , & motu minore , abigendus diſcutientibus, reſolventibus, epiſpaſticis, ſternutatoriis, volatilibus, purgantibus.

V. In incremento morbi acuti, febris, abundantia ſanguinis, impetu majore ad caput, phreniticis, ardentibus, capitis dolore pulſatorio, minuendus eſt motus & copia ſanguinis, phlebotomia, purgantibus, antiphlogiſticis internis & epithematibus refrigerantibus capiti admotis.

VI. Si ſpiritus autem deficientes , ut poſt copioſiores quaſcumque evacuationes, amauroſin inferunt, ſenſim recuperabitur viſus compeſcita evacuatione, per continuatum uſum roborantium.

VII. Motus debilior ſpirituum ut in ſenectute, morbis longis, ſcorbuto, ſyncopticis, ſpirituum fermentatorum, mercurii, plumbi abuſu, debilitate virium, exigit ſtimulantia, roborantia, cephalica.

VIII. Dum ex ulcere ſuppreſſo, ſcabie vel herpete retropulſa, aliave morboſa materia metaſtaſin ad encephalon faciente, Cæcitas naſcatur , communi metaſtaſis curatione , tollenda.

293. VERTIGO.

I. Si omnia corpora etiam quieſcentia videntur nobis in gyrum agi, vel inordinate

dinate moveri, hoc morboſum phænomenon vocatur Vertigo; ſed cum viſus obſcuratione Scotomia dicitur.

II. Naſcitur hæc a variis cauſis, quæ ordine recenſendæ, ut ex iſtis deducatur curatio.

III. Facillima eſt, quæ provenit ex plethora, poſt hæmorrhagias ſuppreſſas, quia facta ſanguinis miſſione evaneſcit: ſed ex menſtruis, lochiis & hæmorrhoidibus ſuppreſſis, melius erit per eandem viam facere evacuationem: quæ fit ex abdominis compreſſione vel decliviori in ſitu capitis detentione, momentanea eſt: ex ſuperveniente calore nata evaneſcit adducto refrigerio, vel & largiore aliqua evacuatione.

IV. Materia inſenſibilis perſpirationis retenta, hyeme, in aura frigidiuſcula, aut vento, ad encephalon delata, exigit derivationem lenem per diaphoretica: ſed ab urina ſuppreſſa vel parcius prodeunte nata, non cedit ſine ſublata ſuppreſſionis cauſa: ab alvo conſtipata, auſcultat alvum laxantibus.

V. Quæcumque ſpiritibus noſtris aliena, vel nimis copioſe ingeſta, ut ſpiritus fermentati, terebinthina, nicotianæ fumus, inferunt Vertiginem, illa viribus vitæ ſenſim emendantur. Opium tunc exigit corporis quietem: ſed Mercurialia, putrida, venena quædam, cantharides, pertinacem Vertiginem inferunt.

VI. Multi morboſi humores, aut invertendo naturam, aut turbando ſpirituum fluxum, ſive per corpus diſperſi, ſive per metaſtaſin ad encephalon delati, uti multæ ſpecies acrimoniarum, aciditas, putrefactum, bilioſum, cacochymia, melancholia, crudum, catarrhus, ichoris aut puris evacuationis ſuppreſſio, materia epidemica, febrilis, maligna, Vertiginem inducentia exigunt emendationem & derivationem a capite.

VII. Humores autem pituitoſi, viſcoſi, mucoſi atque craſſi, præter derivationem ſunt reſolvendi: ſed Lentor temperatiorem motum exigit: Grumus iongam vertiginem inducens ſenſim eſt ſolvendus.

VIII. Sæpe etiam poſt hæmorrhagias profuſas, menſium lochiorumve profluvium, alvi fluxum, diabetem, longum jejunium ex defectu materiæ naſcitur, quæ minuta evacuatione, analepticis & roborantibus eſt curanda.

IX. Conſumta autem magis materia ſpirituum, in ſtudio ſeveriore, cogitatione profunda, vigiliis protractis, aliiſque animi curis, reſtauratur rerum varietate: ſed ex pollutione vel veneris abuſu, minorem ſpermatis evacuationem exigit.

X. Si ex debilitate, laxitate, humiditate, longa valetudine adverſa, ætate ſenili, ſexuque femineo, conjicere poſſumus ſpirituum fieri tardiorem motum, ſtimulantibus, volatilibus & roborantibus ille motus eſt augendus.

XI. Sed morbi acuti, inflammatorii, eryſipelatoſi, febriles, maxime ſi ſimul faciant majorem impetum ad caput, vertiginem inducentes, ſanguinis miſſionem & alvi ductionem exigunt, ſedato ſimul impetu refrigerantibus, antiphlogiſticis.

XII. Nata autem ex navigatione, vectione adverſa, actioneve in gyrum, vel adſpectu præcipitii, aliiſque inſuetis, quiete corporis ſponte evaneſcit. Sed in mobilitate, paſſione hyſterica, hypochondriaca, menſtruantibus, gravidis, nervinis, anodynis, & antiſpaſmodicis ſedanda. Per conſenſum in morbis mammarum, uteri, ventriculi, nervorum, vermibus, nata, non cedit niſi ſublatis iſtis morbis, auſcultat autem antiſpaſmodicis anodynis.

XIII. Quæ autem oritur ex humore collecto in encephalo, comprimente & agitante nervum opticum, ſive fiat per externam concuſſionem, ſive reditum impeditum, vel retentionem humoris, periculoſiſſima eſt, ſæpe ſuperveniente evacuatione per aures vel nares tollitur, aut derivatione facta ad alvum, cum applicatis ad caput cephalicis.

XIV. Præſagit Vertigo ſæpe ſyncopen, apoplexiam, convulſionem; ex conſenſu

ſenſu nauſeam & vomitum; ex cauſa hæmorrhagiam, parotides, evacuationem per aures & nares, quæ ut plurimum levat.

XV. Quoniam eſt morbus ex variis cauſis proveniens, non admittit generalem curationem.

294. OTALGIA.

I. Omnis aurium dolor Otalgia vocari poteſt, ſed maxime ſi auris interne vehementer doleat.

II. Auris interne ex inflammatione dolens periculum portendit; lenitur hæmorrhagia & phlebotomia, & poſtea puris evacuatione: applicanda mollia antiphlogiſtica, & alvus ducenda.

III. Eryſipelas autem exſiccandum abſorbentibus ſiccis, leniter adſtringentibus, applicatis.

IV. Ex catarrho & adfluxu humoris tenuis & acris dolens auris, molli lavamento eluenda, & materia veſicatoriis, cucurbitulis, & alvi ductione aliunde derivanda.

295. STERNUTATIO.

I. Aer pulmonibus prius receptus, magna vi ob irritationem in naribus factam, ſurſum ad baſin cranii pulſus, totamque membranam pituitariam concutiens, & per nares atque os extruſus cum ſono, vocatur Sternutatio.

II. Omni mechanica irritatione, uti per plumam, evulſionem vibriſſarum, vel acria naribus adtracta, membranæ internæ narium applicata, ſternutatio excuſſo irritamento ceſſat ſponte concitata; ſi autem remaneant aliena, eluendæ nares molli diluente errhino.

III. Polypus, ulcus, ozæna, cancer, puſtulæ, ſarcoma, carcinodes, inflammatio, eryſipelas, in naribus irritantia ut generetur Sternutatio, illa malum augent, quare compeſcenda ablutione, fotu, inunctione, ex quibus pro morbi natura ſelectus debet fieri.

IV. Humores acres catarrhoſi, & gravedinis, ex encephalo, pituitaria membrana, & oculis, in nares confluentes, irritantes, præter ſpeciales curationes exigunt abluentia mollia, mucilaginoſa, aut ſi tenuiores ſint adhibendi vapores ſicci.

V. In epidemicis, morbillis, variolis, febre continua & intermittente, malignis & aliis metaſtaſin ad nares facientibus, Sternutatio nihil levaminis adfert; ſed in cephalalgia & ſingultu bonam metaſtaſin indicat; in aucta circulatione hæmorrhagiam præſagit, qua levatur ſæpe morbus.

VI. Ex conſenſu nata in mobilitate, hyſteria, epilepſia, aſthmate, angina, oculorum, pectoris & pulmonum morbis, malum auget, & ut alii morbi ex conſenſu nati debet curari.

VII. In apoplecticis, ſoporoſis, hebetudine, evigilantibus vel cerebri oppreſſione, juvat muci eductionem. Sed in gravidis abortum parit. Plethoricis hæmorrhagiam. In parturientibus & puerperis fœtum & ſecundinas extrudit. In herniоſis, & hæmoptoicis morbum provocat.

VIII. Nam 1. valida corporis agitatione debilitat, abortum parit, herniam, menſes & lochia extrudit, vaſa rumpit. 2. In Pectore pulmones nimis exagitat, hæmoptyſin provocat. 3. In Capite generat cephalalgiam, cerebri commotionem; ex encephalo humorem elicit. 4. Fauces & Nares expurgat, vel hæmorrhagiam producit, olfactum reddit. Quare bona & mala ex ſternutatione exſpectanda.

IX. Si bonum effectum exſpectamus, permittenda eſt, ſed ſi damna imminent, ſecundum allegatas cauſas curanda.

296. ODONTALGIA.

I. Dentium dolor Odontaglia dictus ex variis oritur cauſis, quæ varia curatione egent.

II. Nam ex dentis renovatione nata optime ſanatur evulſione præcedentis.

III. Dens carie ita conſumtus ut interna cavitas pateat & alienis impleatur, quæ corrupta dolorem inferunt, in quibus interdum vermiculi, omnem medelam reſpuit, evulſione tollitur, palliatur facta depuratione per turundam balſamicam inditam, lenitur indito opio.

IV. Quando cingens radices dentium membrana ex inflammatione aut eryſipelate dolet, in ore retinenda & externe applicanda laxantia.

V. In Odontalgia ex acrimonia, catarrho, ſcorbuto, nervum adficiente præter generalia interna, applicanda ſpirituoſa oleoſis miſta.

VI. Inde gingivarum parulis vel epulis, ſalivæ copioſior effluxus, maxillæ caries, faciei tumor, & reliqua mala per totum corpus, quæ ex perſeverante dolore fieri ſolent.

297. APHTHÆ.

I. Cruſta denſa, lenta, ſordida, coloris interdum varii, partem aliquam vel totam ſuperficiem organi chyli, & quandoque reſpirationis, maxime autem oris interni, obſidens, & adhærens, Aphthæ dicitur.

II. Hæ differunt 1. Colore, Copia, Tenacitate, Denſitate, Duratione, & Recidiva. 2. Ex parte quam occupant. 3. Si oris ſiccitatem vel ſalivationem inducant. 4. Si ante vel poſt febrem naſcuntur. 5. Denique Malignæ an Benignæ ſint.

III. Generantur 1. Spontanea degeneratione in Vappam (93) ut recens natis infantibus; quando ſimplici lambitivo leniter abſtergente auferuntur. 2. Mucore (75) vel Pituita (74) corrupta, in chronicis, febre lenta, debilitate chronica, alvi fluxu, aliiſque copioſioribus evacuationibus, cacochymia & cacochylia; os & fauces tunc colluendæ abſtergente antiſeptico, cum internis medicamentis morbo cognito appropriatis ſimul exhibitis. 3. Materia febris intermittentis, remittentis, hecticæ in Viſcidum (78) degenerata pertinaciores, ſæpe cum ptyaliſmo, aphthas infert, quæ ſæpe abeunt & redeunt, non cedentes, niſi illi morbi curati fuerint. 4. Morbi Putridi (100) ipſi vel ex acutis & ardentibus nati, periculoſiſſimas Aphthas producunt, aceſcentibus, abſtergentibus curandas. 5. Morbi ardentes, acuti, inflammatorii Phlegma (77) producentes, pertinaces & periculoſas generant, quæ abſtergentibus, diluentibus ſunt ſeparandæ.

IV. Varia metamorphoſis humorum Aphthas inferens, ſimul multa alia ſymptomata producit, quæ perperam Aphthis adſcribuntur. Sed pars aphthis obſeſſa impeditur evacuare & abſorbere; humor ſub cruſta ſtagnans corrumpitur; poſt ſeparationem pars nuda relicta ab omni adtactu irritatur; ipſa cruſta depoſita corrumpitur ſi non ſatis cito evacuetur.

V. Aphthæ ſecundum varias cauſas 1. Sunt ſeparandæ, donec ſponte ſecedant. 2. Cruſta ſeparata eliminanda leniſſimo purgante, ſi ſponte non deponitur. 3. Partes nudatæ molli obvolvente tegendæ.

298. LINGUÆ MORBI.

I. Sana Lingua pura eſt, æqualis, humida, calida, mollis, carnei coloris, ad voluntatem mobilis, tactum & guſtum exercere potens, & mediocris magnitudinis.

II. Mucoſa, ſordida, pellicula tecta, vel pituitoſa, notat ſalivam & mucum oris induxiſſe corruptelam tenacem.

III.

III. Aſpera autem, fiſſuras contrahens defectum humidi declarat, interdum ex eadem cauſa conſpicitur glabra & quaſi exuſta.

IV. Humida bona, ſicca mala, maxime ſi talis ſiat ore clauſo.

V. Ardens, diſpoſitionem phlogiſticam validam indicat, frigida autem defectum motus vitalis.

VI. Naturalis mollitudo in duritiem converſa hujus partis inflammationem ut plurimum indicat.

VII. Color ab adſumtis vel applicatis inductus, nullum in morbis præbet indicium. Sed ſine his color albus & pallidus notat ſanguinis rubri defectum; flavus citrinus & bilioſus plerumque ex humorum corruptione; cruentus conſpicitur in putridis eryſipelatoſis; lividus, viridis, & niger ex majore corruptione vel ſphacelo humorum, generari ſolet.

VIII. Linguæ tremor, convulſio, paralyſis, apoplexia, vel rigida, contracta, exſerta, mala ſunt ſigna quæ encephali morbos denunciant.

IX. Stupor & torpor ab altioribus in nervis cauſis naſcuntur & malum portendunt; dolor plerumque cauſam in lingua latentem habet: alienus ſapor vitia ſalivæ ut plurimum denotat.

X. Contuſio, ulcus, uſtio & vulnus manducationi, deglutitioni & loquelæ ſunt impedimenta, ut eſt ejus major tumor, defectus, inflammatio, eryſipelas & corruptio, vetantque conſueta adhibere medicamenta: Inde quoque ejus cancer, ſarcoma, puſtulæ, hydatides, lithiaſis, & alia tubercula difficilius curantur, in quibus omnibus leniter adſtringentia præferuntur & quæ tuto deglutiri poſſunt. Ejus concretio per frenulum facile ſolvitur ſectione per volſellam, ne tangantur orificia ſalivalium.

299. MANDUCATIONIS MORBI.

I. Impeditur Manducatio defectu Dentium; Maxillæ inferioris luxatione, fractura; Muſculorum temporalium & maſſeterum convulſione, vel paralyſi, in ſpaſmo cynico & tortura oris, aut eorum muſculorum valido vulnere aut contuſione; denique Buccarum, linguæ, & labiorum morbis, motum non concedentibus; aut quando epulis aut parulis gingivarum maxillæ motum impedit. Qui omnes morbi ſuo ſpeciali modo ſunt curandi.

300. SITIS MORBOSA.

I. Majus bibendi deſiderium, quam ad reſtaurandum amiſſum tenue ex cauſis ſanitatis, requiritur, Sitis dicitur morboſa.

II. Cauſæ & morbi auferentes humidum aquoſum ex corpore Sitim inferunt, ut alvi fluxus, diabetes, evacuationes copioſiores, corporis exercitium in aere ſicco & calido, medicamenta evacuantia, febris ardens, inflammatoria, acuta; in quibus omnibus conducit, aquoſis tepidis, parva copia ſimul datis, applicatis & injectis, reſarcire quod amiſſum eſt: ſed ſi ſimul colligitur aquoſum in cavis corporis vel tunica celluloſa, uti in hydropicis, præſtantius eſt ſitim fallere.

III. Senſus autem ſitis intolerabilis ex putrefacto calido, uti in febribus putridis, bilioſis, eryſipelatoſis, ichoroſis, pinguedine & oleoſo rancido, minori potionis copia eſt placandus, ſed temperandus ſaponaceis, acidis, antiſepticis.

IV. In multis morbis chronicis, catarrhoſis, cacochymia, cachexia, ſcorbuto, acrimonia ammoniacali, & muriatica, interdum cum humidi abundantia naſcitur ſitis, quæ melius ſpirituoſis antiſepticis curatur, quam potu largiore.

V. In puris generatione & corruptione ſitis vexare ſolet, uti in empyemate, phthiſi, ſuppuratione, variolis, ulcere, abſceſſu, quæ antiſepticis vinoſis eſt curanda.

VI.

VI. Ex Bile corrupta, retenta, ut in ictericis, alvo conſtipata, ſitis major purgante antiphlogiſtico eſt curanda.

VII. Si autem conjicere poſſumus ægrum ex cauſis expreſſis, vel ſignis præſentibus ſitire debere, ſed tamen experimur eum non expoſcere potum, neque conqueri de ſiti, talis æger Adipſia laborare dicitur.

VIII. Conveniens eſt, ut æger non ſitiat in hydrope, acida acrimonia, cruditate, viſciditate, leucophlegmatia, & morbis fere omnibus chronicis.

IX. Non vero ſitire in febribus ardentibus, acutis, inflammatoriis, lentore, corporis, linguæ & oris ſiccitate, variolis, dyſenteria, delirio, phrenitide, erysipelate, eſt ſine ratione, & notat vel mentem non conſtare, vel organum ſitim percipiens ſenſum amiſiſſe.

X. Modica autem ſitis in his, vel quæ minuitur poſt criſin, vel ceſſantibus his morbis, ſalutare ſignum eſt.

XI. Ex his patet auctam, exſtinctam & modicam ſitim, variam præbere prognoſin, & curationem poſtulare.

301. SAPOR ALIENUS.

I. Alius, in ſaliva, muco, eructatis, vomitu rejectis, ſputo, ſanguine, urina, alvi excrementis, lacte, vel aliis humoribus, qui deguſtari poſſunt, detectus Sapor, quam in ſanis obſervari ſolet, huc pertinet.

II. Amarus ſapor generatur ut plurimum a bile vel pinguitudine corrupta; quæ vomitu reddenda, & antiſepticis acidis infringenda.

III. Salſus, in acrimonia ſalſa & catarrhis frequens, in chronicis longitudinem, in acutis brevitatem portendit: perſeverans ut acrimonia ſalſa curatur.

IV. Urinoſus ſapor putredinis indicium, & ut ille morbus curandus.

V. Dulcis in ore ſæpe hæmoptiſis præſagium.

VI. Acidus præcipuum acoris ventriculi & acrimoniæ acidæ ſignum, & ut talis morbus curandus.

302. ENCEPHALI HUMOR MORBOSUS.

I. Humor blandus inter meninges, in cerebri ventriculis, circa medullam oblongatam, mediocri copia, & ſpeciali indole hærens, (Ch. 770.) variis modis morbos infert.

II. Nam majore copia collectus partes encephali comprimit, unde apoplexia, catoche, ſopor, paraplegia, hemiplegia, incubus, ſomnolentia, vertigo, ſurditas, amauroſis, carebaria: qui tolli debet ſternutatoriis, volatilibus naribus adtractis, epithematibus, & frictionibus capiti applicatis, abraſione capillorum, fonticulis, ſetaceis, & alvi ductione evacuandus & derivandus, ut patet in hydrocephali interni (288.) curatione.

III. Hujus autem humoris defectu, aridiores hæ partes relictæ ad ſenſum & motum peragendum ineptiores fiunt; fotu humido & calido applicato defectus ſupplendus.

IV. Ejus autem Craſſitudo, Tenacitas, & Pituitoſa indoles, quia difficilius abſorberi & reduci poteſt, majori copia hic colligitur, quando dicitur cerebri frigiditas: producit ſomnolentiam, languorem, ſtuporem, carebariam, & denique omnia, quæ in Abundantia 11) tradita ſunt. Hæc ſolvenda artificiali calore & calefacientibus & moventibus, ſoluta craſſitudo ut abundantia debet tolli.

X. Hic humor tenuior, aquoſus, lymphaticus, vappidus, quoniam experimenta docent injectam aquam leves inducere convulſiones, cauſa videtur mobilitatis, convulſionis hyſtericæ & hypochondriacæ, atque deſipientiæ, poſt morbos chronicos & copioſiores evacuationes. Tenuitas hæc inſpiſſanda roborantibus, & antiſepticis calidis, parva copia longo tempore adhibitis.

VI. Ut omnes humores per ſe acres fieri poſſunt vel Acrimoniam variam (94) in ſe recipere, ita etiam hic encephali ſuccus, unde, quia immediate nervos tangit, mirabilia profert in corpore phænomena, ut dolores cito in aliam partem tranſeuntes, convulſiones, phlogoſes, fluxiones, catarrhos acres, vertiginem, agrypniam, delirium, cephalalgiam, aurium tinnitum, ſputationem lymphæ acris, pleuritidem, aſthma, tuſſim, raucedinem, cordis palpitationem, & infinita alia mala, quorum cauſa ut plurimum abſcondita eſt. Detecta acrimoniæ ſpecies ſuis appropriatis emendanda, derivanda ad alvum eccoproticis nervinis, vel fonticuli concitandi, qui quodvis genus acrimoniæ emittunt.

303. SALIVÆ MORBI.

I. Saliva copioſius confluit in os 1. Manducatione, ſuctione, & oſcitatione, quod ſanis competit. 2. Medicamentis, ut mercurio, maſtiche, nicotiana, jalapa, mechoacanna, antimoniatis, prolicita & rejecta, niſi fiat ad alicujus morbi curationem, corpus privat naturali humore ſaponaceo, & chyli confectionem remoratur. 3. Ex reditu autem impedito per jugulares in angina, bronchocele, aliiſque tumoribus faucium, copioſius emiſſa, præter dicta mala, periculum portendit, non præveniendum niſi ſublata comprimente cauſa. 4. Ex ſtimulo oris, dentitione, odontalgia, raro levat, & dein mala ex defectu inducit. 5. In anorexia, nauſea, aliiſque ventriculi morbis, cacochyliæ ſignum eſt, ſtomachicis moderanda, educta cacochylia. 6. In hypochondriacis, hyſtericis, convulſivis inſtantem ſæpe paroxyſmum monet. 7. In ſcorbuto, catarrho, & morbis ex acrimonia humorum ut plurimum colliquationis ſignum ſine levamine. 8. Variolis ſalubris, intermittentibus autem ſæpe ſymptomatica.

II. Parcior confluens Saliva in os producit ſiccitatem & ſorditatem oris, difficilem deglutitionem, & pepſin, ſitim nimiam; quæ mala potu largiore acidulo, parum vinoſo lenienda, & in acutis nitroſa addenda.

III. Saliva autem craſſior, tenacior, glutinoſa, ſpumans, humidi tenuioris defectum arguit, reſolventibus, diluentibus internis, & collutione frequenti attenuanda. Tenuior fit raro in morbis niſi colliquativis.

IV. Acris, corrupta, fœtida, acida, amara, ſalſa, dulcis ex notis iſtis humoribus exigit curationem.

V. Pus vel vermiculos emittens adjacentem cloacam latentem ſignificat, quæ depuranda eſt.

304. MUCI MORBI.

I. Mucus in cavis narium, ſinubus frontalibus, anthris higmori ſecretus mitis, tenax, craſſiuſculus, ad humectandas has partes & defendendas, depoſitus, variis modis a ſanitate recedit.

II. Nam Abundantior olfactum hebetiorem facit, naribuſque cum turpi adſpectu exſtillat; vapore ſiccante aromatico moderanda generatio. Deficiens vero, quia in ſinubus retinetur, corruptelam præſagit, errhinis, turunda naribus indita provocandus.

III. Color naturalis in pallorem vel nigredinem, aut flavedinem mutatus, ſigna & curationem his coloribus propria habet.

IV. Odore alieno vel fœtore infectus, ſtagnantis corruptionem, ulcus latens, & ſæpe cariem oſſiculorum denotat, quæ injectione antiſeptici & immiſſa turunda balſamica curari debet.

V. Sæpe in humorem tenuem, acrem, catarrhoſum convertitur, unde narium pruritus, rubedo, ſternutatio, dolor, lavamento molli, & vapore antiſeptico adtracto temperanda.

VI. Mucus concretus Tophos generat, qui eximendi, ſed Grumus poſt hæmor-

morrhagiam relictus, aliquamdiu retinendus. Insecta cum muco exeuntia notant ova insectorum cum aere adtracta fuisse, quæ ulterius sternutatoriis expellenda sunt.

VII. Nimia muci tenacitas, & tenuitas ex gravedine (289) intelligitur.

305. CERUMINIS MORBI.

I. Humor lentus, tenax, flavus, amarus, in auris meatus secretus ad defendendas has partes, variis morbis morbosus fit.

II. Sæpe enim concrescit circa membranam tympani, quando aurium susurrum & surditatem infert, injectione repetita diluentis saponacei, tepidi, facile educendum. Ejus autem tenuitas si acrimonia caret facile ab indito flocculo absorbente recipitur.

III. Sed acrimoniam habens pruritum & otalgiam infert: superveniente corruptela, vel quia ulcus latet, aut ex encephalo per meatum exoneratur humor, fœtorem, & varium colorem exhibet. Quæ mala, injectione antiseptici mollis, & inditis turundis balsamicis, sunt curanda.

LIBER II.

MORBI PARTICULARES.

COLLI MORBI.

Corporis humani pars a Capite ad Pectus Colli nomine veniens complectitur, 1. *partes exteriores & posteriores, quæ Cervix appellantur*, 2. *partes interiores & anteriores, quæ simul sumtæ Fauces dicuntur, in quibus distinctæ proponuntur, Uvula, Tonsillæ, Larynx, Pharinx, Tracheæ & Oesophagi superior pars cum incumbente Thyroidea glandula. In his partibus perpenduntur humores, qui Sputi nomine veniunt; & observantur actiones Vocis, Deglutitionis, Screatus & Tussis. Denique huc referuntur quidam morbi speciali nomine donati, ut Bronchocele, & Angina.*

306. GENERALES MORBI COLLUM INFESTANTES.

1.
Olli externa integumenta, vertebræ, musculi, & vasa varios patiuntur morbos.

II. Vertebrarum Colli Luxatio, ob contentam medullam spinalem & adjacentem laryngem, pharyngem & vasa, periculosissima est, prudentem, citam & artificiosam repositionem exigit.

III. Intumescentiæ & tumores inflammatorii, erysipelatosi, œdematosi, hydropici, strumosi, scirrhosi, & abscessus in his partibus, non multum periculi portendunt, si interiora non comprimant: Aneurysmata & Varices in his partibus neque aperienda, neque comprimenda, sed sustentanda.

IV. Color ruber, lividus, niger consuetos morbos indicant, & topica exigunt; per Metastasin ab interioribus venientes plerumque bonum præsagium debent.

V. Carotidum in collo Pulsatio visibilis sæpe, & validior, in acutis & febribus cephalalgiam, delirium, phrenitidem, vel convulsionem præsagit, nisi præveniatur hæmorrhagia vel aptis auxiliis motum temperantibus. In Chronicis ut plurimum a sanguinis tenacitate. In Angina aliisque morbis colli vel faucium liberum transitum sanguinis impeditum significat.

VI. Colli Dolores mala capitis & parotides præsagiunt in acutis; in melancholicis instans delirium, qui curandi ex cognita causa.

VII. In acutis Colli inversio periculum portendit; ex convulsione aut paralysi intorqueri, causam in encephalo latere significat. Sed ex rigidis proveniens musculis linimento laxante & extensione partis contractæ curari debet. Ex mala figura vertebrarum veniens sustentaculo in principio prævenienda, postea medelam non admittit.

VIII. Sudor præcipue frigidus circa collum solum, periculum vel longitudinem præsagit in acutis.

IX. Vulnera colli ceteris in partibus periculosiora, ob multa hic conjuncta vasa & organa, & locum ad comprimenda & liganda vasa ineptum.

X. Gracile collum habentes facilius in hæmoptysin incidunt, sed collum crassum habentes sæpe corripiuntur apoplexia & morbo soporoso.

307. FAUCIUM MORBI.

I. Pars poſterior oris, Tonſillis, Uvula, & Larynge conſtans, multiſque muſculis mobilis, & cryptis mucoſis donata, fauces dicta, multos patitur morbos.

II. In corporibus robuſtis & præcipue excalefactis, ſi bibant potum frigidum, vel ſe exponant aeri frigido, ſæpe ſubito deponitur ad fauces materia Rheumatica, calida, doloroſa, diu perſiſtens, collum immobile reddens, ſine viſibili tumore, non abeuns in ſuppurationem, ſed præbens multum muci tenacioris, quæ ulterius per tracheam deſcendens, ſæpe ſubito ſuffocat. Statim repetita eſt inſtituenda venæ ſectio, alvus ducenda antiphlogiſtico, & omnia adhibenda topica, quæ in rheumatiſmo (138) tradita ſunt.

III. Sed in debilibus, valetudinariis, tempeſtate frigida & humida, humor tenuis, acer, interdum cum levi febricula deponitur ad fauces, quæ inde parum tument, ſed ſæpe multum humoris frigidi vel calidi emittunt. Materia hæc anodynis calefacientibus concoquenda, diaphoreticis expellenda.

IV. Si fauces cruſta varioloſa vel aphthoſa obſeſſæ ſunt, quia ſuffocationis periculum imminet, collum externe fotu vel cataplaſmate molli & calido tegendum, interne fauces colluendæ liquore molli abſtergente calido.

V. Faucium Tumor, qui inſpectione, & ſæpe externo adtactu cognoſci poteſt, pro varia natura tumoris curationem exigit: nam ex abuſu Mercurii abſtinentia & collutione molli ſponte evaneſcit. Tumor pallidus frigidus, œdematoſus reſolventibus topicis abigendus. Calidus rubens & dolens inflammatorius vel eryſipelatoſus, promta ob metum ſuffocationis, horum morborum auxilia exigit, juvat ſi externe ad collum feratur.

VI. Fauces dolentes & graciles cum ſalivæ exſpuitione multa, quia notant partem non viſibilem adfectam eſſe, periculum denuntiant: aut quando fauces detumeſcunt perſeverante morbo, quia notant materiem ad interiora ferri.

VII. Sanguis ſine læſione ex faucibus ſtillans, ſcreatu ejectus, quando etiam Sputum cruentum vocatur, ſine multo periculo eſt, & adſtringenti collutione curatur. Illud ſi fiat ex Ulcere aut Excoriatione, quædam addenda ſimul conſolidantia.

308. UVULÆ MORBI.

I. Pars mollis, carnoſa, inverſe conica, pendula, raro bifida, in medio iſthmi faucium hærens: propriis muſculis moventibus, arteriis, venis, & nervis inſtructa, variis adficitur morbis.

II. Tumens illa a tumore inflammatorio vel eryſipelatoſo, collutione molli antiphlogiſtica ſubadſtringente minuenda. Sed ſi ſit tumor frigidus pallidus diu perſiſtens, œdematoſus, quædam lenia calefacientia, reſolventia & roborantia uvulæ applicanda.

III. Humor tenuis acer catarrhoſus, multum ſtillans, tuſſim inferens, inſperſione pulveris, & collutione roborante, atque ſimili lambitivo & manducatorio eſt minuendus, adhibitis ſimul externe ſiccantibus epithematibus.

IV. Uvulæ nimia relaxatio, & longitudo, quam Caſum uvulæ vocant, roborantibus applicatis eſt adcurtanda; fruſtra ſuperſtitioſi elevatione capillorum adtollere conantur: ſed ſi adcurtari tali modo denegat & moleſtiam præbet, apto inſtrumento ejus pars eſt liganda, vel amputanda: ſiſtenda hæmotrhagia, ſi fiat, ſtiptico cum ſpatula admoto.

V. Deficit ſæpe in lue venerea; paralytice interdum propendet; vel convellitur, ex adfecto cerebro; raro vulneratur.

VI. Ita

VI. Ita tumens impedit deglutitionem, liberam reſpirationem, vitiat vocem: prolongata ſæpe producit nauſeam & tuſſim.

309. TONSILLARUM MORBI.

I. Corpuſcula mollia, carnoſa, ſpongioſa, in cavo oris, ad utrumque latus iſthmi faucium hærentia, Tonſillæ dicta, varios patiuntur morbos.

II. Hæ ſi doleant ſine tumore a materia acri catarrhoſa, frequenti retentione collutorii tepidi in faucibus, & applicatione epithematis diſcutientis externi, curandæ.

III. Tumentes autem frigidæ & pallentes, difficiliorem deglutitionem & gravem auditum præbentes, a muco vel pituita tenaci impletæ, inſperſione pulveris, vel collutoriis, atque externis epithematibus reſolventibus minuendæ.

IV. Sed tumentes cum dolore, rubore, & ardore ab inflammatione vel eryſipelate, cataplaſmate vel foto externo atque frequenti collutione interna emolliente antiphlogiſtica, curandæ.

V. Si vero Ulcus contraxerint fauces, ſæpe colluendæ liquore tepido abſtergente & conſolidante; hoc ſi fiat ex lue venerea, fruſtra ſolis topicis ſuſcipitur curatio. Cavendum ne pro ulcere habeatur mucus in earum lacunis concretus hærens, qui abſtergente collutorio eſt reſolvendus.

VI. Induratæ a tumore ſtrumoſo, diaclyſmate in faucibus & applicatis externis reſolventibus emolliendæ.

VII. Alienum inter deglutiendum in earum lacunis ſubſiſtens, vel calculus in iis concretus, eximendus apto inſtrumento, vel abſtergente gargariſmate eluendus.

VIII. Ita adfectæ Tonſillæ difficiliorem deglutitionem præbent, interdum auditum gravem, difficiliorem reſpirationem, raucam vocem, & leviorem anginæ ſpeciem inferunt.

310. LARYNGIS MORBI.

I. Pars ſuperior Tracheæ in anteriore colli parte, ſub mento viſibilis, cartilaginibus mobilibus, multiſque muſculis conſtans, interne veſtita membrana admodum ſenſibili glanduliſque multum muci ſuppeditantibus, atque duabus ſaculis ſub epiglottide inſtructa, quos ventriculos vocant, variis & periculoſis adficitur morbis.

II. Nam membrana ex inflammatione tumens, nullum externum præbet tumorem, ſed dolorem & ardorem in parte interna Laryngis intolerabilem, cum tuſſi moleſtiſſima ſuffocativa, reſpirationem difficillimam maxime in inſpiratione, vocem acutam doloroſam vel aphoniam, anxietatem intolerabilem, febrem acutam, cum pulſu molli frequenti, parvo, vacillante, mortem paucis diebus vel horis, inducit. Quare omnia auxilia inflammationis cum vapore humido molli promte adhibenda. Eadem ſi fiat in partibus exterioribus, manifeſta & minus periculoſa præbet ſigna. Si propagetur per Tracheæ membranam, vel abeat in ſuppurationem, ut plurimum ſuffocat.

III. Eryſipelas interiora occupans ſimilia fere producit ſigna, ſed velocius invadit, magiſque fugax eſt: externe autem videri ſolent rubores fugaces: ſimilia ſunt agenda cum parciore venæ ſectione.

IV. Intumeſcentia hydropica vel œdematoſa in membrana interna, ſenſim difficiliorem reſpirationem, cum anxietate, pulſu molli & debili, atque refrigeratione totius corporis inducit, ſine tumore externo in collo, quæ applicatis & forma vaporis hauſtis reſolventibus & applicatis veſicatoriis, cum alvi ductione, eſt abigenda. Eadem in parte externa viſibilia præbet ſigna & minus periculoſa.

V. In-

V. Interna membrana nimis exſiccata aperturam minuens & partem irritans, difficilem reſpirationem, & tuſſim inanem inducit, quæ potu multo calido & vapore hauſto curanda eſt. Quod etiam in aphthis hujus partis eſt agendum.

VI. Concretus mucus, calculus vel grumus in ventriculis laryngis vel lacunis hærens, tuſſis frequentiſſimæ eſt cauſa, ſive ejiciantur, ſive maneant, niſi molli reſolvente & conſolidante locus denudatus depuretur & conſolidetur. Simili quoque modo curantur aliena illapſa.

VII. Humor tenuis acer, catarrhoſus internam membranam irritans, decocto & vapore molli pectorali eſt temperandus, derivandus ad cutim, & anodynis ad coctionem reducendus.

VIII. Muci vel pituitæ copia laryngem opplens, reſolventibus, calefacientibus, pectoralibus eſt reſolvenda & ejicienda.

IX. Hujus partis Vulnera periculoſiſſima ſunt; Luxatio & fracturæ cartilaginum vix reponi poſſunt; Oſſificatio, & Rigiditas medelam reſpuit; Paralyſis aphoniam inducens, & Convulſio ſuffocans, vitium in encephalo hærere ſignificat, qui morbi conſuetis auxiliis curantur.

311. PHARYNGIS MORBI.

I. Tota poſterior faucium cavitas vertebris colli incumbens, externe adcumbentes arterias carotides, venas jugulares, & nervorum par ſextum, habens, interne mucoſa membrana tecta, multis muſculis mobilis, in œſophagum deſinens, deglutitioni deſtinata Pharynx dicta, variis afficitur morbis.

II. Membrana hæc tumens ex inflammatione, eryſipelate vel hydrope ſuis propriis ſignis cognoſcendis, deglutitionem doloroſam vel impoſſibilem reddit, adſumta per nares retrudit, ex ore effluit ſaliva & mucus; comprimens adjacentem laryngem & reliqua vaſa multa anomala ſymptomata infert, qui morbus appropriatis medicamentis & huic parti adaptatis curandus eſt.

III. Cavitas hæc ſi oppleta ſit a deglutito bolo, ille eſt eximendus, protrudendus, vel pharyngotomia facta auferendus; ſed mucus concretus, pituita, grumus, aphthæ, pharyngem implentia, collutione ſolvenda, & ſcreatu rejicienda; polypus implens artificioſe tollendus.

IV. Naturalis Anguſtia medelam reſpuit; ſed ex convulſione antiſpaſmodicis curatur; compreſſione externa ad cauſam comprimentem dirigenda curatio.

V. Pharyngis Aſperitas, Siccitas & Excoriatio molli lambitivo curanda. Ulcera, Vulnera & Ruptio, conſolidantibus parva copia deglutitis ſananda, cavendum ab omni duriore & copioſiore deglutitione. Paralyſis muſculorum, plerumque in encephalo latentem habet cauſam. Metaſtaſis ad hanc partem ſemper mala. Acrimonia catarrhoſa, molli diaclyſmate ſæpe eluenda, & mucilaginoſo lambitivo obvolvenda.

312. ŒSOPHAGI MORBI.

I. Canalis membranaceus, robuſtus, muſcularis; intus muco lubricus, a faucibus incipiens, in ventriculum deſinens, tranſmittens deglutienda vel evomenda, Œſophagus dictus, multos patitur morbos.

II. Nam humoris Defectus parit ſiccitatem, & difficiliorem deglutitionem, mucilaginoſi & humidi frequenti uſu curandam. Hujus autem Acrimonia, tam ex deglutitis acribus, quam muco ipſo acriori, ſingultum inferens, vel pectoris anxietatem, frequenti deglutitione medicamenti mollis balſamici, mitiganda. Muci autem abundantia ſcreatu rejicienda, & deglutitis abſtergentibus curanda. Aphthæ Œſophagum obſidentes, ſuis appropriatis medicamentis deglutitis tollendæ.

III. Corroſione, Detritu, vel Excoriatione ablatum epithelium, difficilem & dolo-

doloroſam parit deglutitionem: ſi fiat a deglutitis aſperioribus, lenibus mucilaginoſis lambendo adhibitis, facile ſanatur: ſed a Muco acriori ſi fiat, antiſeptica ſimul admiſcenda. Inde natum Ulcus balſamica ſimul exigit cum abſtinentia ab omni duriore deglutito.

IV. Œſophagus vehementi vomitu, valida deglutitione boli, vel imprudenti protruſione ruptus; aut ulcere vel vulnere ſeparatus, fundens in cavum pectoris deglutita, omnem medelam reſpuit.

V. Latus œſophagi dilatatum, quaſi alterum ſuperiorem ventriculum formans, in medio deglutita veluti ſubſiſtere facit, exigit longo tempore alimenta tenuia deglutienda, & medicamenta ſubadſtringentia lambendo adhibita. Eodem quoque modo eſt curanda œſophagi laxitas.

VI. Œſophagus autem rigidior, calloſus vel cartilagineus factus, ex pertinaci difficiliori deglutitione, increſcente ætate, aliiſque rigidis partibus deſumenda, fotu molli, collutione, & frequenti deglutitione emollientium, relaxandus, ſi fieri poſſit.

VII. Paralyſis in fibris œſophagi periculoſiſſimus eſt morbus, ratione originis nervorum, functionis læſæ, & difficultatis curationis: ſolitis medicamentis antiparalyticis applicatis, gargariſatis, & deglutitis tentanda curatio.

VIII. Spaſmodica adfectione, in hyſtericis, hypochondriacis, animi pathematibus correptis, œſophagus per intervalla contractus, localia vix exigit medicamina, ſed in generali convulſione curatio quærenda.

IX. Tumens autem œſophagus tumore œdematoſo, inflammatorio, eryſipelatoſo, ex propriis ſignis detegi debet, & ſuis propriis auxiliis curandus, in forma epithematis, collutionis, cataplaſmatis aut emplaſtri.

X. Compreſſus œſophagus a tumore folliculoſo, ſcirrho, ſtruma, ſarcomate, bronchocele, varice, aneuryſmate, deglutitionem impediens, his morbis appropriatis auxiliis curari debet.

XI. Aliena deglutita ſubſiſtentia, potu molli, pingui, mucilaginoſo promovenda, vel apto inſtrumento prudenter protrudenda: ſectione hic loci eximi nequeunt.

313. DEGLUTITIONIS MORBI.

I. Magna vi & ſubito adſumta alimenta, quia convulſionis, delirii aut phrenitidis eſt ſignum, deglutita, malum præſagium præbent, & auxiliis his morbis propriis curanda.

II. In excoriatione faucium dolorosa Deglutitio nata lambitivo molli lenienda; quæ cauſæ ſimul Deglutiendi difficultatem præbent in ſequentibus traduntur.

III. Difficilis & impedita Deglutitio 1. ſi generetur ex ſalivæ, vel muci defectu, potu molli & lambitivo ſubvenitur. 2. A partibus contractis & convulſis in hyſtericis, hypochondriacis, mobilitate & animi pathematibus redditur facilior antiſpaſmodicis. 3. In alvi fluxu & dyſenteria notans morbi propagationem periculoſa eſt, anodynis antiphlogiſticis facilitanda. 4. Ex metaſtaſi acutorum, febrium continuarum, & intermittentium periculoſa eſt, & indicat ſimul adhibenda eſſe topica antiphlogiſtica. 5. In Hydrophobia mortem inſtare denotat. 6. A tumentibus tonſillis, uvula, palato, faucibus, lingua, larynge, pharynge, præſagium & curatio ex propriis locis quærenda, ut & in varia ſpecie anginæ. 7. A Paralyſi in deglutitionis organo malum ſignum & prognoſin præbet cum difficili curatione. 8. Ab harum partium rigiditate, oſſificatione, curari nequit. 9. Ab ulcere, variolis & aphthis, collutione abſtergente molli eſt facilitanda. 10. Aliena in faucibus artheriæ eximenda vel protrudenda.

IV. Diu perſiſtens difficilis deglutitio omnia producit, quæ in nutrimenti defectu traduntur.

314. VOCIS MORBI.

I. Aer pulmonibus receptus compreſſione pectoris truſus per modice anguſtatam laryngis rimam, ſonum format, qui dein modulatione linguæ & partium oris, vocem & varium ſermonem præbet. Quia vero 1. multæ ad vocem formandam occurrunt partes, pectus, diaphragma, pulmo, larynx, fauces, uvula, palatum, lingua, & mucus has partes obtegens: 2. Multique morbi generales acuti & chronici, atque particulares, iſtas partes adficiunt: nimis longum foret omnia hæc ſpeciatim percurrere, delibamus præcipua. Vocis & loquelæ vitia ex nativitate, quia curationem non admittunt, hoc loco non attingemus.

II. In morbis Acutis & febribus vox deficiens, debilis, acuta, quia ſignificat aut defectum virium, aut metaſtaſin ad vocis organa, aut denique ſpaſmodicam conſtrictionem, ſemper malum portendit.

III. In morbis Chronicis, convulſione, hyſteria, mobilitate, ſpaſmodicam conſtrictionem arguit, & ut talis morbus curanda.

IV. Sed in Pituitoſis, hydropicis, debilitate, ſoporoſis, torpidis, catoche, & apoplecticis, ex pituitoſa encephali compreſſione veniens, & longitudinem & periculum præſagit, atque reſolventibus topicis ad caput, & derivantibus curanda aphonia.

V. In cephalalgia, delirio, phrenitide oppreſſionem cerebri denotans periculum auget, ſed ſpecialem curationem non exigit.

VI. Aphonia in peripneumonia, pleuritide, empyemate, pectoris hydrope, aſthmate humoroſo, impletionem, vel oppreſſionem pulmonis indicans, malum ſignum præbet, evacuatione vel derivatione hujus materiæ curanda.

VII. Palati, uvulæ, linguæ, laryngis intumeſcentia inflammatoria, eryſipelatoſa, œdematoſa, catarrhoſa vocem intercipiens, ut & aphthæ, & cruſtæ varioloſæ, præter generalia his morbis propria, exigunt topica faucibus interne & collo externe adhibenda, ut in anginoſis.

315. ANGINA.

I. Ex difficili, doloroſa, vel & impedita Deglutitione, Reſpiratione, aut utriſque ſimul, a cauſa morboſa hærente ad Laryngem vel Pharingem, Anginæ obtinuit nomen hic morbus.

II. Cauſa illa hærens in Larynge ſine ſignis externis Cynanche; ſed eadem in Pharynge Synanche vocatur. Quæ ſpecies cum ſignis externis Paracynanche & Paraſynanche, dicuntur. Hæ ſpecies omnes plerumque conjunctæ inveniuntur, quando ex prævalentiore deſumitur denominatio: interdum hæc diſtinctio non ſatis obſervatur ab auctoribus; ſubtilitas hæc utilior ad formandam prognoſin quam ad indicationem curativam: partes enim interiores majus periculum portendunt quam exteriores; ſed exteriores & interiores ſimul adfectæ non minuunt periculum. Curatio autem magis dirigenda ad cauſas varias, niſi in Broncotomia, quæ in Cynanche & Paracynanche ſola inſtitui ſolet.

III. Quia in omni angina adeſſe debet difficilis Reſpiratio vel Deglutitio a cauſa hærente ad partes externas vel internas Laryngis vel Pharyngis, reliqua phænomena adeſſe & abeſſe poſſunt, ſed adduntur vel ad prognoſin formandam vel cauſam detegendam. Deglutitio vel reſpiratio difficilior a cauſa ſupra laryngem & pharyngem hærente, ut in linguæ, palati, uvulæ, tonſillarum tumore, vel polypo narium: aut infra has partes in pulmonibus, ut in pulmonis inflammatione, vomica, ſuppuratione, aſthmate, impedita circulatione, phthiſi, vel in œſophago aut ventriculo, non refertur ad Anginam. Verum apud multos Angina cum febre habetur Vera, ſine febre Spuria.

IV. Ad veram ergo anginam pertinet Inflammatoria, quæ prout partes interiores vel exteriores Pharyngis vel Laryngis occupat, diverſa præbet ſigna & præſagia.

V. Inflammatio ſi occupat internam Laryngis membranam ſolam, illa tumens & dolens, minuit aperturam ſine tumore viſibili: hinc Reſpiratio parva, anheloſa, doloroſa, cum anxietate; inſpiratio fere impoſſibilis. Vox acuta ſtridula, vel omnino nulla, vel admodum doloroſa. Tuſſis frequens moleſtiſſima & fere ſuffocans. Pulſus mollis, parvus, vacillans. Anxietas ſumma: febris acuta; cita mors.

VI. Pharyngem autem occupans, eum conſtringit, omnem tranſitum intercipit, deglutienda per nares redeunt, cum ſummo dolore: incidentia in laryngem tuſſim moleſtiſſimam pariunt: ſaliva mucoſa ex ore effluit: fauces interne tument & rubent, dolent ad externum adtactum: reſpiratio ſatis libera. Priore diutius durare poteſt, & minori febre vexatur.

VII. Solæ partes externæ inflammatione adfectæ, generalia inflammationis ſigna præbent. Æger collum vix vertere poteſt; accedit febris acuta continua; partes cum rubedine tument, & tangi recuſant; ſcreatio frequens muci copioſi; ſtrepitus aurium vel hypocophoſis. Ex compreſſa vena jugulari vel arteria carotide, vel nervis; ex larynge vel pharynge magis adfecto; ex conſenſu vel metaſtaſi vel propagatione; & denique ex metamorphoſi inflammationis, multa alia fiunt ſymptomata.

VIII. Præter generales cauſas inflammationis ſequentes ſæpius hanc ſpeciem anginæ inferunt: Cantus, clamor, fiſtularum inflatio; ambulatio & equitatio vento adverſo; ætas juvenilis; plethora; corporis calefacti expoſitio aeri frigidiori; mutatio aeris ſubitanea, præcipue vernali & autumnali tempore; inſpiratio, deglutitio & applicatio acrium.

IX. Hæ ſpecies omnes ſolvuntur hæmorrhagia larga ſuperveniente, vel ſputo cocto copioſo, metaſtaſi facta ad exteriora: ſed ſi fiat ad interiora vel ad caput vel pulmones plerumque moriuntur: tranſeunt etiam in ſuppurationem, corruptelam & ſphacelum.

X. Statim in hac ſpecie larga & repetita eſt inſtituenda phlebotomia. Dandum purgans antiphlogiſticum, ſi deglutiri poſſit. Sæpe injiciendum clyſma. Potandus potus calidus ſed refrigerans. Collo applicanda fomenta & cataplaſmata tepida. Os colluendum ſine gargarizatione liquore refrigerante. Ore aperto hauriendus vapor mollis aquoſus.

XI. Si præcedens morbus inflammatorius perſeverat ſine bona criſi ultra ſeptem dies, & tunc febris remittere incipit, cum horrore vago, judicandum eſt abiiſſe in ſuppurationem. Abſtinendum tunc a venæ ſectione & purgante: ſed applicanda ſuppurantia & interna magis calefacientia antiſeptica. Os ſæpe colluendum abſtergente liquore ſimilique lincto. Si ſponte non rumpitur, & tonſillæ continent pus, pertuſio facienda lanceola cannula occluſa & elatere prædita, ne tumor occludat fauces, vel pus in vicinia effuſum premat œſophagum, vel deſcendat in ventriculum. Si autem in larynge hæreat, raro ſuperſtites manent, niſi bronchotomia facta ſervetur reſpiratio. Eadem ſuppuratio ex metaſtaſi facta poſt febrem inflammatoriam eodem modo tractanda.

XII. Eryſipelas eaſdem partes occupare poteſt, calor tunc & febris fere eadem, ſed ſubito occupat, minus tumet, plerumque in facie, collo, & pectore conſpiciuntur tumores fugaces, frequentem metaſtaſin facit: ſanguis miſſus non concreſcit. Semel vena ſecanda, alvus ducenda antiphlogiſticis, applicata & ingeſta medicamenta, magis refrigerantia & adſtringentia eſſe debent.

XIII. Angina ex Rheumatica materia etiam cum febre incipit, vel febris paulo poſt ſequitur. Videtur materia perſpirabilis motu vel calore prægreſſo acrior facta, a ſubito ſuperveniente frigore aeris vel potionis, præprimis in corporibus robuſtis, retenta, ad fauces collecta, quæ hanc ſpeciem doloroſam, & diu durantem infert: vix aliquem tumorem producit, ſed os muco tenaci redditur plenum, collum fit immobile præ dolore, non abit in ſuppurationem, ſed abigitur muci tenacis evacuatione. Ad pulmones deſcendens ſubito ſuffocat. Statim inſti-

tuen-

tuenda Phlebotomia & repetenda ſi opus, alvus ducenda antiphlogiſticis; interne danda antiphlogiſtica anodyna: externe in ore & ad collum adhibenda laxantia abſtergentia.

XIV. Si vero febris primo ingruit & dein oboritur angina, ut febris ſymptoma eſt habenda & tractanda, tam in febre continua quam intermittente: niſi fiat ex metaſtaſi materiæ febrilis, quando medela metaſtaſis eſt in hoc loco ſtrictiſſime obſervanda.

XV. Ex perceptibili aeris calidi vel humidi mutatione, vel incognita qualitate, non raro naſcuntur Anginæ ut alii morbi epidemici, quarum prognoſis & curatio ex natura conſtitutionis epidemicæ eſt deducenda.

XVI. Materia Catarrhoſa inſtar coryzæ ſine vel cum levi febricula, ut plurimum, tempeſtate humida & frigida, in membranam pituitariam, faucium & laryngis, depoſita, multum humoris tenuis acrioris fundens, branchum & tuſſim inducens, exigit derivationem ad alia loca ob partis periculum, per veſicatoria. Si frigus majus adſit topica calefacientia; ſed ſi calor magis urgeat abſorbentia refrigerantia ſunt applicanda. Conducit ſimul appropriato ſudorifero materiem ducere ad cutim.

XVII. Si interiora vel exteriora faucium, laryngis vel pharyngis, tumore albo, frigido, molli, aquoſo, ſine febre, ita tument, ut difficilem faciant deglutitionem vel reſpirationem, Angina hydropica meretur vocari: quæ naſcitur compreſſa vena cruenta vel lymphatica, motu languidiore in abſorbentibus & venoſis, frigore externo applicato, & laxitate in his partibus. Humor inde derivandus ne ſuffocationem inducat, purgantibus, diureticis, veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis: & abigendus reſolventibus, diſcutientibus, apophlegmatizontis.

XVIII. Eædem partes impletæ tumentes tumore albo, molli, indolente, frigido ſenſim nato, permanente, laxo, veſtigium impreſſum diu retinente, continente humorem tenacem generant Anginam œdematoſam, quæ fere ex iiſdem cauſis naſcitur, quibus hydropica, maxime autem ex laxitate & motu languidiore. Diuturnitatem præſagit, & medicamenta magis moventia & roborantia exigit.

XIX. Interdum naſcitur angina poſt morbos diu toleratos, præcipue magnas evacuationes paſſas: conſpiciuntur fauces graciles, pallentes; facies & oculi extenuati, collapſi; vix reſpirant, non, vel tarde & difficile loquuntur: quæ arguunt motum particularem deglutitionis & reſpirationis fere exſtinctum eſſe. Abſtinendum a venæ ſectione vel alvi ductione, ſed corporis vires ſunt erigendæ: applicanda calefacientia, ſtimulantia in omni forma.

XX. Convulſiva angina frequens eſt hyſtericis, hypochondriacis, & mobilitate laborantibus, ſubito invadit & ſæpe redit, evaneſcit iterum ſine ratione; curatur antiſpaſmodicis, & ſublata exigit nervina, quæ reditum præveniunt.

XXI. Quia muſculi voluntarii in collo non inſerviunt reſpirationi ſed deglutitioni, inde ex Paralyſi deglutitioni inſervientium muſculorum naſcitur illa ſpecies anginæ, in qua ſola deglutitio eſt impedita & interdum cum aphonia. Sed ſi paralyſis invadit fibras motrices pulmonum, naſcitur quidem impedita reſpiratio, ſed tunc refertur vel ad aſthma vel catarrhum ſuffocativum. Hoc malum ſi occupat pharyngem diu tolerari poteſt, & ſolita antiparalytica omni forma adhibita exigit: ſed ſi invadit fibras pulmonis ſubito interficit. Si autem illa paralyſis naſcatur a luxatione vel exoſtoſi vertebrarum colli infantibus, vix capit medelam.

XXII. Dum tumere incipiunt Variolæ & tandem ſuppurari, præcipue in confluentibus, fauces interne & externe ita tument, ut impediatur deglutitio & interdum reſpiratio, magnaque copia muci fauces implet; os & fauces colluendæ molli abſtergente gargariſmate, & externe applicanda ſimilia fomenta vel cataplaſmata, donec ceſſantibus variolis, ſponte hic tumor evaneſcat.

XXIII. Sæpe Aphthoſa cruſta ita opplet fauces, ut omnis impediatur deglu-

titio, & ſæpe difficilis inducatur reſpiratio: ad levandam hanc anginam fauces ſæpe colluendæ abſtergente molli, ſimileque lambitivum adhibendum, donec ſecedat cruſta.

XXIV. Menſium, hæmorrhoidum, ulcerum, hæmorrhagiarum conſueta evacuatione ſuppreſſa, ſæpe naſcitur Angina; quæ exigit venæ ſectionem, revocationem humoris ſuppreſſi ad debita loca, vel derivationem ad partes minus neceſſarias.

XXV. Mercurius reliquaque ſialagoga id ſpeciale habent, quod petant organa ſalivæ, & fauces ita tumefaciant, ut æger in periculum ſuffocationis inducatur: omittendus ſtatim eſt eorum uſus, cavendus aer frigidior, os colluendum liquore molli, multum potandum, & alvus ducenda.

XXVI. Scirrhus vel ſtruma in faucium partibus ita hærens, ut impediat deglutitionem vel reſpirationem: & videri poſſit, non cancroſus, reſolvendus, corrodendus, exſcindendus. Sarcoma perſcindendum & dein urendum. Si autem tumor talis hæreat inter œſophagum & laryngem, vel ipſum œſophagum aut laryngem occupat, omnem curationem reſpuit.

XXVII. Si polypus increſcens impediat deglutitionem vel reſpirationem, ille artificioſe (Ch. 880.) tollendus.

316. BRONCHOCELE.

I. Tumor mollis prominens ad anteriorem colli partem, ſupra laryngem & tracheam hærens, quaſi eſſet herniæ ſpecies, Bronchocele vocatur. Tyrolenſibus & Carneolæ incolis ſæpe endemicus. Hic tumor ſi pendulus ſit Bocium dicitur.

II. Glandula thiroidea tumens tumore ſtrumoſo, ſcirrhoſo, œdematoſo hunc morbum inducit, quidam addunt tumorem folliculoſum, & carnoſum. Similes tumores in tracheæ glandulis Goſſo vocant.

III. Tumentibus his partibus difficilior redditur reſpiratio, & ex compreſſa jugulari vena intercipitur ſæpe refluxus ſanguinis a capite.

IV. Quia varius eſt tumor ſpecialis, nulla eſt generalis curatio, ſed dirigi debet ad ſpeciem tumoris, qui plerumque ſtrumoſus eſt.

317. RAUCEDO.

I. Vox obſcurior & rauca, propter glottidis inæqualitatem, humiditatem, ſiccitatem aut viſcoſitatem, vocatur Raucedo & Branchus.

II. Ita redditur morbis multis mutantibus glottidem, uti in morbis faucium, laryngis, tonſillarum, palati, pulmonum, tracheæ, & bronchiorum, quibus vitiatur ipſa glottis vel huc confluens humor, ut & in anginoſis.

III. In vociferatione, clamore, cantu, tuſſi, vomitu, ſi auferatur mucus, ſponte evaneſcere ſolet Raucedo, aut curatur facile mucilaginoſis ſæpe deglutitis vel in ore retentis.

IV. Aeris & tempeſtatis frequens mutatio, variis anni temporibus, vel frigus, vapor, fumus hunc humorem immutans, Raucedinem interdum ducit, quæ non tam facile tollitur, quia ut plurimum membranam inveſtientem ſimul adficit. Conducit molli abſtergente tollere alienum, & dein mucilaginoſis has partes oblinire.

V. Humor acris, ſalſus, catarrhoſus, cum ſputo copioſiore, mutans oblinientis humoris conſiſtentiam, producit Raucedinem, quæ generalem horum morborum curationem ſequitur: quæ ex acri venereo aut inde nata exulceratione provenit, difficile curatur, manens ſæpe ſublato morbo venereo.

VI. Quæ oboritur in febribus, acutis, inflammatoriis, continuis, ob nimiam ſiccitatem vel lentorem in vocis organis, non caret periculo; præter generalem

ho-

horum morborum curationem, exigit frequentem & multum potum, atque vaporem ex diluentibus antiphlogiſticis.

VII. Sed Eryſipelatoſis & putridis morbis acutis & ictero, atque bile corrupta, medicamentis antiphlogiſticis adjicienda quædam adſtringentia antiſeptica.

VIII. In omni morbo colliquativo, alvi fluxu fœtido, fluxu hepatico, febre longa, hectica, phthiſi, empyemate, hæmoptyſi prægreſſa, periculoſa eſt, & antipſeticis pectoralibus curanda.

318. SCREATUS.

I. Aeris voluntaria ex pulmonibus preſſio, ut cum ſono concutiat fauces, ibidemque elidere conetur hærentem humorem, Screatus dicitur.

II. Omne irritamentum faucium ad Screationem inſtigat. 1. Si ſit alienum aliquid, vel mucus aut pituita ſcreando elicitur & juvat. 2. Sed conſentiens in melancholia, delirantibus, phrenitide, cardialgia, frequenti vomitu, malum auget, & ut morbus ex conſenſu curandus.

319. TUSSIS.

I. Reciproca, violenta, convulſiva, involuntaria aeris cum ſono expulſio e pulmonibus per laryngem vocatur Tuſſis.

II. Diſtinguitur ab auctoribus 1. ex ſputi præſentia & abſentia in Humidam & Siccam. 2. Ex vehementia in Laborioſam, ferinam, violentam, mitem & tuſſiculam. 3. Ex perſeveratione in Diuturnam, pertinacem, continuam, intermittentem, periodicam, vagam, raram, frequentem, ſubito ceſſantem, increſcentem, decreſcentem. 4. Ex periculo, in Benignam, malignam. 5. Ex adjuncto phænomeno, in Clangoſam. 6. Ex cauſa inferente in Idiopathicam, ſymptomaticam, catarrhalem, convulſivam, epidemicam, febrilem, habitualem, hypochondriacam, pectoralem, rheumaticam, ſtomachalem, quæ ultimæ ſpecies melius ex enarratis cauſis intelliguntur.

III. Quia Tuſſis data eſt, ut omne lædens internam laryngis membranam diſcutiat, multæ ſunt cauſæ tuſſim excitantes.

IV. Omnia Aliena, forma vaporis acris vel pulveris inſpirata, vel deglutiendo in laryngem illapſa, tuſſiendo eliduntur, & juvatur hauſto vapore molli. Sed prolongata Uvula irritans adſtringentibus applicatis eſt adcurtanda. Materia autem catarrhoſa, purulenta, ichoroſa, in faucibus & pituitaria membrana genita, incidens, tuſſim inferens, præter eorum morborum curationem frequentem uſum mucilaginoſorum exigit, quæ nimium fluorem inhibent.

V. In Laryngis ventriculis, tracheæ lacunis 1. Mucus concretus induratus, calculus, vermiculi, grumus, poſt eliſionem, vapore molli & pectoralibus calide potis ſunt evacuanda, dein ficco antiſeptico fumo curanda. 2. Tubercula autem in his partibus nata & irritantia, vapore molli, decocto pectorali calido, atque anodynis ſunt curanda. 3. Harum partium nimia ſiccitas irritans, in acutis, ardentibus febribus, curanda vapore molli & potu multo calido pectorali. 4. Inflammatio & eryſipelas, in angina, peripneumonia & pleuritide has partes occupans, generalem eorum morborum curationem exigit, additis epithematibus, fomentis, cataplaſmatibus, collutionibus & vaporibus ad partes adfectas. 5. Mucus laryngis acrior factus, ut in catarrhis, gravedine, corryza, ſi ſimul tenuis ſit, mucilaginoſis, pectoralibus & anodynis eſt concoquendus, atque diaphoreticis vel diureticis ad cutim vel urinæ vias ducendus: ſed tenacior ſimul ſi ſit, quædam ſaponacea ſimul adhibenda. 6. Ætas puerilis frequentius mucum hunc acriorem reddit, ſed & facilius curatur; ſenibus etiam frequens, ſed curatu difficilis tuſſis.

VI. Subito ingruens poſt calorem aeris frigiditas, tempeſtas humida, ventus auſtra-

auſtralis, prohibens perſpirationem, ſæpe non tamen valde difficilem tuſſim inferunt, diaphoreticis curandam. Sed in Epidemica conſtitutione maligna pertinacior eſt, atque ex cognita naturâ hujus conſtitutionis curanda.

VII. Morbus generalis acutus, chronicus, febrilis, acrimonia, catarrhus, variolæ, morbilli, ſcarlatina, ſcorbutus, venerea lues, phthiſis, hydrops & ſimiles, quia materiem per tuſſim evacuare nequeunt, tuſſim inducentes, majus periculum inferunt, quod prævenitur, curatis iſtis morbis, aut facta derivatione ad aliam partem minus periculoſam. In morbis autem purulentis pus ſæpe cum levamine ejicitur.

VIII. Sæpe in peripneumonia, pleuritide, empyemate, vomica pulmonis, ſi confectum ſit pus, tuſſiendo cum bono effectu eliminatur, quæ evacuatio promovenda mollibus pectoralibus. Ex Tuberculo autem crudo, varice aut aneuryſmate, tuſſis inducta, aut quæ concitatur ante vel poſt hæmoptyſin, anodynis pectoralibus eſt compeſcenda. In pectoris vel pulmonis hydrope, atque aſthmate, tuſſis, quia non emittit morbi materiem, lenienda eſt balſamicis diureticis, quæ humorem per urinæ vias evacuant.

IX. Ex Ventriculo adfecto 1. Suppeditando chylum acrem ſtomachicis curatur tuſſis. 2. Laryngem in conſenſum trahens per infarctionem ventris amaris purgantibus abigitur. 3. Sed ſi fiat ob ſpaſmodicum conſenſum, ut ſæpe in hyſtericis, hypochondriacis, anodynis nervinis curanda.

X. Omnis Tuſſis per conſenſum excitata in hepatitide, colica, cephalalgia, cardialgia, dentitione, adfectis inguinibus, teſtibus, pedibus refrigeratis, anodyno pectorali lenitur: ſed ab his partibus exterioribus ſi ad laryngem fiat metaſtaſis, revocandus eſt humor ad priorem locum.

XI. In Tuſſientibus varia fiunt 1. Si ſputum vel alienum hæret in larynge, id cum levamine emittitur. 2. Alias pulmonum & faucium agitatione vehementi non raro hæmoptyſin inducit. 3. Sanguis quoque majore impetu truſus ſurſum, multa capitis mala infert. 4. Valida agitatione abdominis non raro producitur hernia, & abortus. 5. Tuſſis frequens turbat ſomnum, exhaurit vires, minuit pepſin & pepaſmum.

XII. Curatio dirigenda ad cauſas varias. Venæ ſectio conducit ad præveniendam ſanguinis eruptionem. Purgantia & interdum vomitoria conveniunt ſi ex cacochylia naſcatur. Diuretica balſamica juvant ſua derivatione ſi acre hæret in ſucco laryngis, & in materia purulenta. Sudorifera vero & Diaphoretica adhibenda in tuſſi ex catarrho & prohibita perſpiratione. Mollia mucilaginoſa conveniunt in humore tenui acri ſtillante in laryngem. Anodyna vero adhibenda ſi humor crudus ſit concoquendus, aut quando convulſione vel conſenſu tuſſis generatur.

320. SPUTUM.

I. Humor viſcoſus narium, faucium, & pulmonum, cum tuſſi vel ſcreatu per os, ejectus, vocatur Sputum.

II. Ab ejectione hac ſeparantur Hæmoptyſis, & Salivatio, per materiem ejectam.

III. Multa præbet ſigna ſputum in morbis ex ſolo conſpecto Colore. Album enim in morbis pectoris mature prodeuns, exhibens indicia coctionis, criticum eſt. Pallidum vero denotans in morbis pulmonum tranſitum puris in phlegma, periculoſum. Flavum, Ruſum, Bilioſum denotans materiæ commutationem in corruptelam ichoroſam, ſemper malum, etiamſi cum purulento emittatur. Rubeſcens in morbis acutis pectoris ſtatim emiſſum principium coctionis arguit, ſine tuſſi cum exſcreatu rejectum ex faucibus provenit ſine periculo: in hæmoptoicis autem ſæpe hæmoptyſin præſagit. Viride, Æruginoſum, Lividum, Nigrum, quia deteriorem corruptelam deſignat, peſſimum præſagium præbet.

IV.

IV. Omnia ſputa Inodora eſſe debent, ut demonſtrent omnem abeſſe corruptelam. Fœtentia autem cum ejiciantur, vel Granula eorum digitis detrita ſi fœtent, corruptionem internam denotant. Sed in prunas dejecta ſputa, fœtorem ſpargentia, exitum boni humoris, vel puris demonſtrant.

V. Sputa naturalia & ſana omni Sapore carent. Amara quia pinguedinis corruptelam arguunt, ſemper mala. Salſuginoſa acrimoniam ammoniacalem indicant. Dulcia autem ſi fiant, bonorum humorum exitum ex vaſculis apertis denotant; unde ſæpe hæmoptyſin & phthiſin præſagiunt.

VI. In ſputo omnis acrimonia abeſſe debet, ſi autem ſit Acre, interna roſio eſt verenda.

VII. Muci dictarum partium naturalis conſiſtentia comparari poteſt albo ovi conquaſſato. Tenuius confluxum Catarrhi, vel Colliquationem arguit. Craſſum autem modicum, ſive ſit mucoſum, ſive purulentem conducit. Compactum, rotundum, granuloſum, malam collectionem in lacunis, vel vomicam latentem indicat. Tenax autem & Glutinoſum, præter difficilem ejectionem, etiam imperfectam coctionem, aut nimiam exſiccationem demonſtrat. Conveniens eſt ut ſputum ſit æquale, leve, & modice craſſum.

VIII. Phlegmata Tenacia ex corporis nimio ardore nata mala. Viſcoſa, Pituitoſa, languidiorem & debiliorem actionem harum partium arguunt, & longitudinem præſagiunt. Sordida corruptionis ſunt indicia. Spumoſa motum inordinatum & ſaponacei humoris malam evacuationem declarant. Purulenta bona, ſi mature veniunt, & omne latens pus eliminare valent; ſed copioſa perſeverantia notant latentem vomicam, & phthiſin. Sanguinea in principio pleuritidis & peripneumoniæ, levamen adferunt, ex faucibus venientia non multum periculi portendunt; ſed cum multa tuſſi nata ſæpe hæmoptyſin præſagiunt. Interdum etiam Vermes & Calculi cum his ejiciuntur.

IX. In ſanis non requiritur ut emittantur ſputa, cum mucus ſolutus inſenſibiliter abſorbeatur. Sputum autem natum comparative ad morbum evacuari debet. Satis Copioſum bonum, modo non arguat latentis abundantiam; Parum aut minus pro ratione exeuns, retentionem malam arguit.

X. Quo facilius emittuntur ſputa eo melius; Difficilia autem ſputa, quia non liberant, & vires deterunt, damnantur, ut & illa, quæ in gutture multum ſtrepitum, plenitudinem laryngis demonſtrantia, pariunt.

XI. In morbis, qui ſputi excretione ſanantur, ſi nullum appareat ſputum, vel primo apparens poſtea ſupprimatur aut retineatur, vel propter alvi fluxum, incrementum morbi, depoſitionem materiæ in cavum pectoris, valde periculoſum eſt. Sputa ex materia catarrhoſa nata, ſuppreſſa, bonam & malam ſæpe faciunt metaſtaſin.

XII. Sputa Bona & Cocta dicuntur, quæ proba indicia recenſita habent & morbum levant, ſatis mature venientia: Mala vero & Cruda, quæ alienas proprietates habent, morbum non levant, & alieno tempore veniunt.

LIBER III.

MORBI PARTICULARES.

PECTORIS MORBI.

Medius venter omnibus fere morbis generalibus adficitur, qui hic pro parte in thorace contenta, & actionibus, quas exercere debet, ſpecialia ſigna proferunt, & ſpecialem ſæpe curationem exigunt. Multi ex morbis his in praxi medica quia proprium obtinuerunt nomen diſtinctis titulis ſunt proponendi.

321. GENERALES MORBI PECTUS INFESTANTES.

I. MOrbi varias partes adficientes, ſi pectus adgrediuntur, ſæpe prognoſin aliam præbent & ſpecialem exigunt curationem. Vulnera (Ch. 1234) non penetrantia ſæpe ſaccum formant, qui intus rumpitur, ut & hujus partis Contuſio (5); penetrantia autem periculoſa ob effuſum ſanguinem & læſa interiora organa. Fiſtula (16) in pectore curatu difficilis, acris introitus in ea arcendus. Deformitas (43) tam in coſtis quam vertebris & ſterno, hic frequentior, apris machinis prævenienda & curanda. Oſſium Luxatio (Ch. 379) & fractura (Ch. 252) in Chirurgia traduntur.

II. Humoris cujuſvis Collectio (53) in pectore difficilius quam alibi emittitur. Ejus externa Intumeſcentia (54) plerumque latentis hydrothoracis vel empyematis ſignum, non facile fert externam compreſſionem, ſed exigit diuretica. Ejus Empneumatoſis eſt frequens, ſuctione & artificiali reſpiratione abigenda, & dein externa apertura tegenda. Ecchymoſis (116) & Abſceſſus (63) in partibus externis citius aperiendus quam alibi. Metaſtaſis (119) ad exteriora periculo caret, ſed ad interiora periculoſiſſima. Sputum, Pus, Aqua intus contenta, propriis titulis traduntur.

III. Materia Arthritica, (135,) Catarrhoſa (136,) Rheumatica, (138,) Podagrica (137,) omneſque Dolores in pectoris partibus exterioribus, difficiliorem præbent morbum, quam in extremis, ſed tamen non admodum periculoſum: verum ad interiora delata materia periculoſiſſimus morbus producitur.

IV. Maximus inter Pectus & urinæ vias atque crura valet Conſenſus (142,) quare ejus morboſa materia eo ducenda. Pectoris Pulſatio (157) ſæpe hæmoptyſin præſagit; ſed Palpitatio (172) convulſivis, & cordis morbis frequens. Inflammatio (159) & Eryſipelas (160) externum, curationem generalem ſequitur. Sudor in ſolo pectore erumpens, in phthiſicis, empyematicis, & quibuſdam morbis acutis, cum periculo obſervatur.

V. Morbi pectoris interni Acuti, contra conſuetudinem pulſum debilem & molem præbent: Chronici morbi magis quam alii reddunt urinam craſſam & turbidam.

322. MAMMARUM MORBI.

I. Partes glanduloſæ molles, ſupra carnem pectoris hærentes Mammæ dictæ, integumentis communibus tectæ, in viris & etiam in feminis ante pubertatem

vix,

vix, ſed in feminis maturis magis tumentes, in puerperis & dein lactantibus, lac in ſe conficientes, quod ſuctione facta, & interdum ſponte per papillam emittunt, vario ſanitatis ſtatu diverſos patiuntur morbos.

II. Maximum cum Utero conſenſum exercent: gracileſcunt enim in gravidis inſtante abortu: lac fundentes debilem infantem præſagiunt: in puerperis lac fundunt: vietis flacceſcunt: menſtruationis tempore magis tument: uteri cancer ſæpe etiam mammas occupat & viciſſim: partum anteceſſiſſe vel ſuppoſitum fuiſſe infantem detegunt.

III. Mammarum Abſceſſus raro niſi in lactantibus, quando ſolito modo curantur. Earum Contuſio ſæpe in indurationem tranſit, quæ prævenitur fotu molli laxante. Scirrhus & Cancer raro lactantibus, ſed ſæpius menſium ſuppreſſione laborantibus, aut quando ſponte menſes ſubſiſtere incipiunt, generatur, qui ſi reſolvi nequit, totius Mammæ amputationem exigit. Lactantibus frequens Obſtructio, & Induratio, molli frictione cum reſolventibus curanda: ſed fiſſuræ papillarum ablutione cum vino præveniendæ, dein molli antiſeptico linimento curandæ, atque abluendæ poſt omnem ſuctionem.

323. LACTIS MORBI.

I. Humor albicans, ſubpinguis, nutritius, particulari actione mammarum a communi maſſa ſecretus, ſtatim poſt partum Coloſtrum, poſtea Lac dictus, raro poſt morboſam ſuppreſſionem menſium, & rariſſime in vietis vel viris confectus, ſequentes patitur morbos.

II. Ejus major Excretio in femina debili, parce menſtruante, vel gravida ſimul, aut deficiente alimentorum coctione aut penuria laborante, producit debilitatem, maciem, mobilitatem, febrem hecticam, cachexiam, phthiſin, qui morbi ablactatione, cibo facilis digeſtionis, & medicamentis ſtomachicis antiſepticis ſenſim curantur.

III. Lactis Defectus ratione Matris, ſi fiat defectu actionis particularis in mammis nihil mali producit; ſed ex alimenti defectu, aut morbo proveniens, ſuppletur diæta lautiore & ſtomachicis; ſi autem minuatur ſuperveniente graviditate, vel fluentibus menſtruis, aut corporis debilitate, ſatius eſt concedere ablactationem. Sed ratione Infantis ſemper malus: nam ex deficiente Coloſtro meconium retineri ſolet; atque infans ſine lacte materno nutritus, ut plurimum corripietur acrimonia acida, debilitate, & rhachitide.

IV. Lac ſpiſſius aut tenuius; pallidius aut alieni coloris; acre, acidum; fœtens, aut alieni odoris ſi non fiat ab adſumtis; cremorem in ſuperficie non deponens; grumoſum aut inæquale, malum eſt infanti, & emendari debet ſecundum dicta phænomena. Concretum autem in tubulis galactophoris, leni frictione, fotu reſolvente & laxante, atque frequenti ſuctione, eſt ſolvendum.

V. Præmatura Ablactatio in Infante omnia mala in lactis defectu tradita producit. In matre generat abundantiam niſi ſimul menſes fluere incipiunt; in mammis ſtagnans facile concreſcit lac, quare ſenſim lactis eductio minuenda ſimul mammis applicanda cum leni frictione, quæ ſtatuuntur lactis generationem minuere.

324. PULMONUM MORBI.

I. Organum maximum, princeps, in pectore locatum, alterne aerem recipiens & emittens, tranſeuntem ſanguinem præparans, Pulmo dictus, ob generalem & particularem actionem quam exercet, & quia aeri maxime expoſitus eſt, atque multa in viventibus præſtare debet, variis corripitur morbis: quorum quidam referuntur ad Reſpirationem, Tuſſim, Sputum, Suffocationem, Peri-

pneumoniam, Phthiſin, Hæmoptyſin, Diſpnœam, & Aſthma, qui morbi ſpeciali titulo exponi ſolent.

II. Pulmo ſæpe poſt peripneumoniam, hæmoptyſin, vulnus vel tuberculum, pus in parte celluloſa, quando vocatur Vomica, aut bronchus colligit, atque interdum ex pleuritide, aut alio morbo inflammatorio, pus per metaſtaſin in ſe recipit, atque ita format abſceſſum, & dein ulcus. Iſtud pus ſenſim conſumit pulmonem, quod ſputo purulento in aqua ſubſidente emiſſo interdum tollitur: ſanguini miſtum phthiſin generat: ſanatum ulcus relinquit pulmonem pleuræ adcretum, cum difficiliore reſpiratione, & imperfecta humorum præparatione. Statim puris evacuatio eſt promovenda per ſputum, expectorantibus, pectoralibus, antipneticis, aut per urinam per diuretica, pectoralia, balſamica.

III. Humor interne obliniens bronchia ſimilis illi, qui oblinit pituitariam membranam, ſæpe redditur tenuis & acer, vel acrimoniam in ſe recipit, quam ex catarrhis derivant, quando generatur tuſſis frequens cum ſputi tenuioris excreatione ſine levamine. Humor ille anodynis concoquendus, mucilaginoſis, pectoralibus, obvolvendus, atque diaphoreticis ad cutim derivandus, dum interim adhibentur reſinoſa, balſamica, quæ ſpontaneam corruptionem minuunt.

IV. In fibris particularibus pulmonum ſi fiat Convulſio, aſthmaticis frequens, interdum etiam hyſtericis, hypochondriacis, & mobilitate laborantibus, ſuffocationem inexſpectatam inducens, ſine ſputi ejectione ceſſans, antiſpaſmodicis pectoralibus eſt compeſcenda. Harum vero fibrarum Paralyſis, poſt ineluctabilem anxietatem, quem morbum Catarrhum ſuffocativum quidam vocant, tandem mortem inducit, vix ullo auxilio evitandam.

V. Pulmonum glandulæ tumentes, ſtrumoſæ, ſcirrhoſæ ſi ſint, quod ex perſeverante difficili reſpiratione ſine ſputo & ſimilibus tumoribus in patentioribus glandulis conjiciendum, medicamentis reſolventibus, pectoralibus, longo tempore adhibitis, curandæ.

VI. Pulmones poſt ulcera, vulnera, contuſionem, pleuritidem, peripneumoniam, hæmoptyſim, empyema, phthiſin, ſæpe pleuræ concreſcunt & inducunt per totam vitam immedicabilem difficilem reſpirationem.

VII. Cujuſcumque materiæ Metaſtaſis ad pulmones periculoſa eſt, niſi ſub ſputi forma ejiciatur, quæ tunc evacuatio eſt expectorantibus promovenda, vel materia deducenda ad loca priora, aut urinæ vias.

VIII. Si autem pulmones occupat Inflammatio, Eryſipelas aut Rheumatiſmus, hos morbos ad Peripneumoniam ſpuriam referunt auctores, quia adeſt difficilis reſpiratio cum febre, ſine reliquis ſignis vel exitu inflammationis.

325. CORDIS & PERICARDII MORBI.

I. Corpus carnoſum, robuſtum, mobile actione vitali, in cavis recipiens & dein extrudens ſanguinem, externe pericardio cinctum, cum interpoſito humore vel vapore, inter contractiles pulmonum lobos, in medio circiter pectoris, locatum, Cor dictum, varios non ſolum patitur morbos generales, ſed & diverſos producit ex partibus variis, quibus componitur.

II. Vulnera enim leviter tangentia cor, penetrant tamen pericardium, & liquorem effundunt, motu perpetuo non permittunt conſolidationem; penetrantia brevi lethalia. Ulcera & Abſceſſus pus colligentia in cavo pericardii, cordis actionem extinguunt. Inflammatio, tam in corde quam pericardio, dilatationem intercipit. Acrimonia irritans vel Corruptio perturbatum pulſum & circulationem infert, quæ ex cognita acrimoniæ ſpecie curanda. Calloſum, Cartilagineum vel Oſſeum factum, ut plurimum circa ejus tendines, pulſum inæqualem, palpitationem, & anxietatem producit incurabilem. Qualia etiam obſervantur in ejus Concretione cum pericardio.

III. Cordis Motus validior, debilior, turbatus & Tremor ex pulſu & pulſa-

tione

ſione deducitur & curatur. Convulſio ejus ſubito infert ſyncopen, ſed Paralyſis mortem infert nomine Catarrhi ſuffocativi.

IV. In cordis Ventriculis vel Auriculis & interdum ejus vaſis majoribus formatur Grumus (81) quem Polypum vocant, cordis perfectam impletionem & depletionem impediens, iſtudque irritando in motum turbatum inducit. Hic in Dextro ventriculo vel auricula hærens ſanguinis reditum per venam cavam impedit: ſed in Siniſtro hærens, venam pulmonalem implet, & arterias carotides fere inanes relinquit. Hinc propulſus, vel in arteriam pulmonalem, vel aortam, inopinatam mortem inducit.

V. Interdum Vermes aut Calculus in pericardio inventi ſunt, qui irritando cordis actionem turbant. Lympha in pericardio, quando Hydrocardia vocatur, vel pus aut alius humor collectus debitam cordis dilatationem impedit.

VI. Pericardii inflammatio & Tumor, cordis quoque dilatationem impedit: deficiens autem vel cordi adcretum pericardium, cordis actionem multum turbat.

326. PLEURÆ MORBI.

I. Membrana ſatis tenſa, acutiſſimo ſenſu donata, totam internam thoracis cavitatem cingens, diaphragmati & mediaſtino continuo, variis generalibus corripitur morbis, inter quos Pleuritis ſpecialem meretur titulum.

II. Vulnera pectoris ad pleuram penetrantia ſanguinem & aerem, vel dein pus in dilatato pleuræ ſacco colligunt, artificiali reſpiratione aut ſuctione educendum: pleuram autem tranſeuntia, eoſdem morbos in thoracis cavitate producunt, quorum curatio in pectoris morbis traditur.

III. In externa pleuræ celluloſa membrana ſæpe colligitur pus. 1. Poſt pectoris contuſionem, vel vulnus non penetrans. 2. Poſt pleuritidem ſatis validam ſine puris ſputo, permanente difficili reſpiratione, dolore ad adtactum, maxime ſi ſimul appareat tumor & coloris mutatio in integumentis, citiuſque linteum madidum applicatum parva in parte exſiccatur. Abſceſſus ſi rumpitur interne faciliorem exhibet reſpirationem, quæ poſtea iterum fit difficilior. Antequam ruptus eſt, mature aperiendus, ſed poſt ruptionem ut empyema curandus.

IV. Reliqui morbi, ut Inflammatio, Conſenſus, Catarrhus, Rheumatiſmus, Dolor, Hydrops, Concretio, ex morbis pectoris, hydrothorace, & pleuritide intelliguntur.

327. MEDIASTINI MORBI.

I. Membrana ſatis firma, pleuræ continua, thoracem in partes duas laterales diſtinguens, pericardium in ſe recipiens, inferius diaphragmati, ſuperius jugulo, anterius ſterno, poſterius vertebris dorſi, nexa Mediaſtinum dicta, iiſdem, quibus adficitur pleura, morbis adfecta, diſtincta tamen profert ſymptomata.

II. Nam in ejus morbis, magis conſentit cor, dolores ante & retro ſentiuntur, & ad jugulum portenduntur, pectus quaſi comprimi videtur; lympham, pituitam, aut pus continens, in parte anteriore vel poſteriore; ſolum decubitum pronum vel ſupinum concedit; humor collectus paracentheſi educi nequit, ſed in pectoris hydropem vel empyema degenerare ſolet. Convulſione adfectum, anxietatem inducit cum difficili reſpiratione & debili pulſu. Horum omnium curatio ex Pleuritide deduci poteſt.

328. DIAPHRAGMATIS MORBI.

I. Septum muſculoſum, in ambitu carnoſum, in medio tendineum, œſophagum tranſmittens & nervos, motu voluntario, vitali, & particulari donatum, ſuperius pleura tectum & pericardio nexum, inferius vero tectum peritonæo,

cavum pectoris a ventre distinguens, Diaphragma vocatum, ob variam actionem & adjacentes partes, varios patitur morbos, vix signis ab aliis distinguendos.

II. Ejus Inflammatio & Erysipelas frequentius quam aliarum partium, Paraphrenitidem & Singultum inducit, cum ardore ingenti & pulsu hypochondriorum, atque respiratione difficili. Ejus Abscessus fundens sursum vel deorsum pus producit empyema, hepatis abscessus aut tympanitidem, & interdum concedit viscerum ventris introitum in thoracem, quod etiam in Vulneribus factum fuit. Ejus Actio impeditur in convulsione vel paralysi, aut quando pectus pure vel aqua impletum, aut viscera ventris tument, vel infarcta sunt. Hi omnes morbi ex generalibus ad hanc partem applicatis sunt cognoscendi & curandi.

329. RESPIRATIO MORBOSA.

I. Quoniam Respiratio est actio partim vitalis, partim voluntaria, multis modis potens mutari, constans variis aliis actionibus, & concurrunt multa organa, transmittunturque varii humores, hujus morbi sunt multi, qui commodissime digeruntur ad necessaria requisita respirationis.

II. Cum aeris naturalis debita quantitas & qualitas desideretur, hinc aer fermentatione vel putredine productus, nimis diu sub terra reconditus, alieno vapore vel materia inquinatus, non satis frequens renovatus, aut gravior leviorve quam requiritur ad æquilibrium, calidior vel frigidior quam tolerari potest, non solum difficilem respirationem, verum etiam suffocationem inducere valet, non nisi aeris emendatione præveniendam.

III. Non sufficit ut nos ambiat ille aer, nam si descendere impediatur clausis vel angustatis faucibus, larynge, trachea, bronchiis, in tumore colli vel œsophagi, angina, gravedine, mobilitate, convulsione, pro magnitudine illarum causarum, magis minusque difficilem respirationem inducit, ex detectis his causis curandam.

IV. Multæ sunt in ipsis pulmonibus causæ receptionem aeris impedientes, 1. bronchia & vesiculæ plenæ pure, lympha, pituita, sanguine, muco, calculo. 2. Adcretio cum pleura, mediastino, pericardio. 3. Deficiens moles ex vulnere vel ulcere prægresso. 4. In eorum substantia tuberculum, vomica, varix, aneurysma, scirrhus, inflammatio, erysipelas, abscessus. 5. In eorum motu particulari debilitas, paralysis, convulsio. 6. In fibris laxitas, rigiditas, contractio aucta. Quos omnes morbos suis propriis signis discernere, & ad ista tradere curationem haud facile est.

V. Quum aucta pectoris cavitate unica concedatur via per tracheam in pulmones, pectus igitur apertum, præprimis in utroque latere, vel in diaphragmatis ruptione, vel cavitas prius impleta, pure, aqua, sanguine, aere, deglutitis effusis per ruptum œsophagum, difficilem respirationem inducunt, non sine dictis ablatis causis curabilem.

VI. Quando pectus ita vacuum & clausum non valet ex deformitate in gibbosis, vel ex inflammatione, erysipelate, dolore vehementi, convulsione, aut paralysi in musculis dilatantibus pectus, diaphragmate, mediastino, pericardio, pleura, satis dilatari, generatur respiratio difficilis, quæ ex inventis his morbis curanda est.

VII. Præter recensitos morbos Diaphragma infestantes, in ventre inferiore sæpe latitat causa Diaphragmatis descensum impediens, ut tumor, infarctio, vehemens dolor in ventre, intestinis, mesenterio, utero gravido, hepate, liene, ventriculo, omento, quæ omnes causæ melius alvi ductioni quam pectoralibus medicamentis auscultare solent.

VIII. Quum respiratio est synchrona quantitati sanguinis boni transfluenti per pulmones, quoties ac ad pulmones ducitur 1. major copia, sive motu musculari, sive motu febrili, sive adsumto stimulo, toties frequentior & major debet fieri respiratio seu anhelosa.

losa. 2. Nimis autem minuta quantitas, hæmorrhagia, evacuatione quacumque copiosiore, vel grumus implens dextrum cavum cordis vel arteriam pulmonalem, difficilem & suffocatam respirationem inducit. 3. Sanguinis intercepta via per venam pulmonalem, hærente in sinistro cordis ventriculo grumo vel in aorta, ita implet pulmones ut aerem non admittant. 4. Sanguis minus meabilis continens lentorem, viscosum, crassum, crudum, molestam & difficilem respirationem parit. 5. Sed continens acrimoniam, scorbuticam, cacochymicam, melancholicam, podagricam, arthriticam, rheumaticam, scabiosam, materiem morborum acutorum, sive crudam, sive per criticam commotionem, sive per metastasin, variam morbosam respirationem producit.

IX. Denique Debilitas, paralysis, convulsio, mobilitas, animi pathemata, aliique morbi generales adficientes organum respiratorium, vel istud in consensum trahentes, miris modis immutant respirationem. Quorum omnium cognitio & curatio non ex læsa respiratione sed detecto morbo est deducenda.

X. Si adtendimus ad actionem respirationis. 1. Occurrunt morbi respirationem mutantes, qui tamen sub aliis titulis proponuntur, ut Tussis, Singultus, Suspirium, Stertor, Suctio, Loquela & Cantus. 2. Alii autem eodem hoc & alio titulo complecti possunt, ut Dispnœa, Asthma, Suffocatio, quia præbent speciem respirationis difficilis, & tamen separatim proponuntur. 3. Habentur respirationis variæ species, quæ speciale nomen non merentur.

XI. Ut omnis motus vitalis ita etiam Respiratio æquali temporis intervallo absolvitur in sanitate non mutata actione voluntaria, quod semper in omni morbo bonum: sed Inæqualis facta vel interrupta denotat motum vitalem vacillare vel inordinate moveri, non sine periculo. Quod etiam in magnitudine locum habet.

XII. Tempus respirationis pertinens ad singulas respirationes præbet Celerem respirationem, dum inspiratio & exspiratio minori tempore absolvitur, licet plures non fiant respirationes eodem temporis spatio, ut fieri solet in summa debilitate, ex spirituum influentium defectu. Tarda autem sæpe apoplecticis & soporosis segniorem spirituum influxum declarat. Dum vero refertur ad multas Respirationes, habetur Frequens, si generatur ex sanguinis defectu simul est debilis; ex abundantia autem simul magna; ex irritamento, vel simul vehemens vel debilis est pro natura causæ. Rara in acutis ex delirio vel convulsione nata est periculosa: neque ea in apoplecticis & soporosis caret periculo, perfectam stagnationem præsagiens.

XIII. Major ex necessitate fit respiratio in aucta circulatione ex motu musculari vel febrili, quando simul fit frequentior & plenior: in delirantibus soporosis & apoplecticis simul fit rarior: si vero semel aut bis talis fiat, Suspiriosa dicitur, declarans consuetam respirationem non sufficientem sanguinem transmittere, ut natura cogatur majorem facere respirationem. Sæpe tamen repetens & magna Anhelosa vocatur, quando magna copia sanguinis est trajicienda per pulmones, vel si circulationi sit ineptus. His opposita est Respiratio Parva, vix totos pulmones implens aere, conceditur in corporis perfecta quiete, sed alias si sit Sublimis notat vel pulmones obstructos esse, vel pectus non satis dilatari posse, quod semper malum.

XIV. Aer ex pulmonibus trusus si sit frigidus admodum debilem vel exstinctam pulmonis actionem notat. Sed Calidior vehementem febrem, vel pulmonis Inflammationem vel Erysipelas denotat: hi quoque in somno efflare solent: si acutus morbus transit in corruptelam, aerem turbidum & vaporosum efflant.

XV. In quocumque morbo facilis & libera respiratio bona dicenda, tam ex indicio multarum causarum absentiæ, quam ex respirationis liberæ auxilio in præparatione materiæ morbi.

XVI. Omnis autem Respiratio difficilis est mala, sive dicatur dispnœa, sive asthma,

aſthma, ſive ſuffocatio, in quibus omnibus ſine nominis diſcrimine, cauſæ ſunt perpendendæ.

330. DISPNŒA.

I. Quoties æger ad aerem hauriendum & emittendum uti debet motu animali, quia ſola actio vitalis non ſufficit, is Diſpnœa laborat. Si inde erectus ſedere cogitur ut reſpiret, talis morbus Orthopnœa vocatur.

II. Dum ad reſpirandum 1. multæ concurrunt partes, & 2. varii morbi reſpirationem moleſtam faciunt, ad cognitionem & curationem Diſpnœa in varias ſpecies eſt diſtinguenda.

III. Quia multæ partes cooperantur, vel ſimul movendæ ſunt in reſpiratione, uti pulmo, bronchia, trachea, pleura, mediaſtinum, diaphragma, hepar, lien, pancreas, meſenterium, inteſtina, venter, pectus, pericardium, cor, ventriculus, larynx, pharynx, œſophagus, palatum, tonſillæ, uvula, fauces, collum, multi morbi earum partium, qui ex loco læſo & conjunctis phæmonis ſunt detegendi, Diſpnœam inferunt.

IV. Aer levior, humidior & nimis calidus, vapore acido, ſpiritus fermentati, arſenici, ſulphuris, metallorum, aut pulvere inquinatus, implens pulmones, vel exſtinguens eorum actionem, aut ſpaſmodice eos contrahens, facile cognoſcitur, & ceſſat talis dyſpnœa ablata cauſa.

V. Si vero morbi acuti, inflammatorii, eryſipelatoſi, putridi, maligni, febriles, varioloſi, morbilloſi, ſcarlatini, priuſquam criſin fecerunt, difficilem reſpirationem faciunt, plerumque criſin præſagiunt; reſpiratio tunc eſt facilitanda multo potu antiphlogiſtico, & venæ ſectione: poſtea vero veniens, periculum portendit inſtantis ad pulmones metaſtaſis.

VI. Dum corpus crudo, craſſo, viſcido, pituitoſo, cacochymia, ſcorbuto, acrimonia acida, aut leucophlegmatia, vel hydrope eſt plenum, non facile circumducendo, ex ſignis horum humorum cognoſcitur, & curatur appropriatis medicamentis pectoralibus junctis.

VII. Quæ fit per Metaſtaſim in ſcabie, herpete, podagra, arthritide, rheumatiſmo, urina, ſudore, perſpirabili ſuppreſſo, omnique excrementitio, vel morboſo humore retento, exigit derivationem ad ſolita loca, vel artificialia emunctoria ſunt facienda.

VIII. Non raro ex Conſenſu remotarum partium, ut in nephritide, nervorum morbis, mobilitate, hyſterica & hypochondriaca paſſione, pulmones ſpaſmodice contrahuntur, quando anodynis, nervinis, pectoralibus, liberior conciliatur reſpiratio.

331. ASTHMA.

I. Illa difficilis & laborioſa reſpiratio, ſine febre, niſi ex Aſthmatis cauſa fiat ſymptomatica, non generata ex Empyemate vel Phthiſi, ſed quæ oritur ab interna morboſa cauſa chronica, quæ vel perſeverat, vel per intervalla redit, vocatur Aſthma.

II. Hoc ſi fiat ſine ſputi emiſſione dicitur Siccum; multum ſputi vel ſpumæ emittens Humidum: per intervalla ſubito invadens Convulſivum; poſt cibum ſumtum auctum Stomachale; & cum gravedine accedens Catarrhoſum appellatur. Recens, inveteratum, periodicum & conſtans ad prognoſin & eruendam cauſam quoque valet.

III. Quod Aſthma ſubito invadit & dimittit ſine phlegmatis excretione, ſæpeque redit, a Spaſmodica fibrarum contractione in pulmonibus oritur, quod pectoralibus, nervinis, antiſpaſmodicis eſt curandum in & extra paroxyſmum. His ex animi pathemate & conſenſu novus concitatur ſæpe paroxyſmus.

IV.

IV. Per intervalla quoque redit, quod ex materia Catarrhosa internam cavitatem bronchiorum & vesicularum occupante oritur, sed sensim magis intenditur, & lente dimittit cum phlegmatis ejectione, & urina multa crassa & turbida sæpe cum dysuria emissa, hoc cum Dysuria vicissim sæpe vexat: lenitur & curatur pectoralibus, diureticis, balsamicis.

V. Viscidi abundantia si bronchia & vesiculas opplet, multam simul muci evacuationem exhibet, sed retentum in cellulis & substantia pulmonis Asthma præbet sine phlegmatis excretione, quod constans est, noctu & in aere humido intenditur; atque conjunctam habet laxitatem fibrarum & motum languidiorem. Hoc calefacientibus, roborantibus, resolventibus, pectoralibus, & diureticis curandum.

VI. Quorum pulmonum glandulæ sensim tumentes Strumosæ vel Scirrhosæ fiunt, hi ad finem vitæ sensim increscente Asthmate laborare solent, nisi resolventibus, pectoralibus, hi tumores solvantur.

VII. In quibus ventriculi & pulmonis actio debilior est, illi ab adsumto cibo asthmate vexantur; curandi sunt stomachicis, pectoralibus cum victu temperato.

332. SUFFOCATIO.

I. Cui libera boni aeris receptio & expulsio per tracheam in pulmones intercipitur, is Suffocatione laborat, quæ a multis causis generatur: nimis diu durans Apnœa vocatur.

II. A larynge, trachea, vel bronchiis contractis aut rigidis factis, vel externe a quacumque causa compressis, ossificatis, angustatis, obstructis, Suffocatio inducta periculosa est, ex tempore curanda secundum cognitas causas, ut liber maneat aeris introitus & exitus.

III. Eodem modo 1. ex Intumescentia, hydrope, œdemate, abscessu circa laryngem & fauces, si causa satis cito tolli nequit, instituta laryngotomia vita servanda est, quod etiam in omni anginæ specie est faciendum. 2. Pituita, phlegma, viscidum, aphthosum, pulmones implens, promte solvendum resolventibus fomentis, cataplasmatibus & collutionibus. 3. Ex Metastasi acutorum, continuarum & intermittentium febrium, aut materiæ arthriticæ, podagricæ, rheumaticæ, inflammatoriæ, vel erysipelatosæ ad has partes nata, promta est facienda derivatio. 4. Grumus autem implens vasa, aut sanguis effusus implens pulmones, immedicabilem Suffocationem inducit. 5. Sed sanguis, pus, lympha in cavo pectoris hærens comprimens pulmones, si fieri possit, educendum.

IV. Suffocatio autem ex Consensu doloris, convulsione, mobilitate, hysterica & hypocondriaca passione, atque animi pathemate, sponte desinit: compescitur & prævenitur nervinis & anodynis, atque alcali volatili: sed ex Paralysi inducta, ut plurimum, post summam anxietatem, mortem infert, quando æger Catarrho suffocativo perire videtur. A sanguinis impetu majore levatur hæmorrhagia & phlebotomia.

V. Quæ generatur 1. Contusione, vulnere vel alia destructione mechanica, ita est disponenda pulmonis fistula, ut liberum transitum aeri præbeat. 2. Interdum subito fermentantis, arsenici, sulphuris vel aliorum vapore dicitur Suffocatio, cui statim aer purus est concedendus.

VI. Polypus narium, bronchocele, angina, peripneumonia, pleuritis, empyema, hydrops pectoris, vomica pulmonum, phthisis, Suffocationem minantia, promtiorem quam alias specialem curationem exigunt.

333. SINGULTUS.

I. Subita momentanea & ſæpe redeuns diaphragmatis convulſio involuntaria, cum laryngis conſtrictione, aeris introitum in pulmones hoc tempore intercipiente, vocatur Singultus: tenduntur enim præcordia ſubito a diaphragmatis contractione deorſum, ut in ſubita voluntaria inſpiratione, verum non ingreditur aer laryngem, niſi parum admodum cum ſono.

II. Generatur ille ingeſtis alienis, acribus, venenatis, antimoniatis, quod ex ægri relatione patet: vel acribus in œſophagum & ventriculum confluentibus, bilioſis, catarrhoſis, corruptis, putridis, ichoroſis; vel ex bonis ſtagnantibus in cacochyliam mutatis, aut copioſius ingeſtis; denique a vermibus ventriculum aut œſophagum vellicantibus: curatur vero ille vomitu ſpontaneo, vel vomitorio diluente aut obvolvente dato.

III. Si deglutitione aſperioris vel detergentis, œſophagi mucus fuerit ablatus, naſcitur Singultus, qui deglutitione oleoſi, mucilaginoſi, blandi, compeſcitur.

IV. Ex humorum ſubito inducto defectu, ut in evacuatione copioſiore per vomitum, diarrhœam, dyſenteriam, cœliacam paſſionem, lienteriam, hæmorrhagiam, purgans vel vomitorium datum, malum præſagium præbet: ſiſtenda eſt illa evacuatio, abdomen ſuſtentandum, exhibendum ſtomachicum, antiſpaſmodicum, anodynum. Hoc in caſu cucurbitulas ventri impoſitas nihil præſtare poſſe ſponte patet.

V. Interdum acris cacochylia in inteſtinis hærens ſingultire facit, quando purgante anodyno miſto illa eſt educenda.

VI. Ab œſophagi, diaphragmatis, ventriculi aut inteſtinorum inflammatione aut eryſipelate; vel in febribus acutis, continuis, ardentibus vel putridis a metaſtaſi facta, quod ex anxietate, præcordiorum dolore, ardore & ſiti, cognoſcimus, periculoſiſſimus ſingultus naſcitur, qui ut morbus acutus curandus eſt.

VII. Febres intermittentes in paroxyſmo, quia has partes per conſenſum, vel metaſtaſin adficiunt, inferunt ſingultum, qui fugata febre evaneſcit.

VIII. Ab hepatis, & præcipue in ejus parte gibba, inflammatione aut eryſipelate, quod ex dextri hypochondrii dolore tumore & pulſatione, atque corporis colore flavo, ceteriſque hepatitidis ſignis dignoſcitur, ſingultus natus, ut vera hepatitis curari debet.

IX. A Coſtarum inferiorum vel cartilaginis enſiformis fractura, quæ lædit ſimul diaphragma vel ventriculum, ſingultus, reſtitutione chirurgica, vel applicatione cucurbitulæ curatur.

X. Peſſimus generatur Singultus in omni cerebri plaga, contuſione, & fracturis cranii, qui poſt reſtitutionem cauſæ adlatæ remanens, antiſpaſmodicis eſt curandus.

334. HÆMOPTYSIS.

I. Sanguis multus floridus ſpumoſus, vel minori copia ſputo miſtus, cum multa tuſſi per os ejectus, vocatur Hæmoptyſis, quo differt a vomitu & ſputo cruento e faucibus.

II. Ut ex pulmonibus ejiciatur ſanguis, præcedere debet ſanguinis effuſio ex vaſis pulmonum cruentis in bronchia, & ejus dein elevatio per aſperam arteriam. Quod producit 1. Labes hæreditaria. 2. Corporis figura, collum oblongum, pectus anguſtum, planum, gibboſum, vox alta, facies florida, animi hilaritas, ætas juvenilis. 3. Ingeſta acria, aromatica, vinoſa, ſpirituoſa, calefacientia. 4. Nixus corporis vehementior, ſaltus, vomitus, ſternutatio, &

præ-

præcipue pulmonum in clamore, cantu, tussi. 5. Interna pulmonum fragilitas, humorum acrimonia, tenuitas, plethora, suppressis menstruis, hæmorrhagiis, specialis febris, epidemica, variolæ, morbilli, catarrhi. 6. Externa aeris levitas, calor, frigus, contusio, vulnus.

III. Omnia vel multa horum si antecesserint, & præcipue semel si hæmoptysis adfuerit, atque tunc generatur levis febricula, calor & pulsatio in pectore, tussicula sicca, anxietas, atque dulcis sapor in ore, hæmoptysis instare solet.

IV. Omnis hæmoptysis periculosa est, sed majus & minus periculum desumitur. 1. Ex sanguine emisso pauco florido sine multa tussi & febre, non redeunte, post suppressas alias hæmorrhagias, in sexu sequiore & adultiori ætate non multum periculi pronunciamus. 2. Sed sanguis multus spumosus floridus, aut niger porosus, in ætate juvenili, vocem multum exercentibus, mortem præsagire solet. 3. Sanguis in pulmonibus relictus ut & rupta vasa, inferre primo solent debilitatem, dispnœam, pectoris gravitatem, anxietatem, tussim, ulcus vel vomicam pulmonis, ex quo febris hectica, empyema, sputum purulentum, phthisis & tandem mors. Ad hanc speciem referri debet vasorum in pulmonibus ruptio, fundens sanguinem in cellulosam pulmonum substantiam, sine sanguinis ejectione, quæ priore periculosior est.

V. Omnes causæ excitantes evitandæ si fieri potest; phlebotomia vel alia naturali hæmorrhagia minuenda copia & impetus: adhibenda pectoralia, balsamica, incrassantia, anodyna, quæ vas apertum consolidant. Si vero pulmo ulcus contraxerit, vel phthisis nata inde fuerit, plerumque omnem medelam respuit, nisi in senioribus, & feminis.

335. PLEURITIS.

I. Dolor in partibus cavum pectoris formantibus, sub integumentis generalibus, vocatur Pleuritis.

II. Varias auctores faciunt Pleuritidis species 1. Ex absentia vel præsentia sputi Siccam & Humidam. 2. Ex magnitudine, incremento vel decremento doloris, Increscentem aut Decrescentem; Mitem aut Vehementem. 3. Ex perseveratione Fixam aut Vagam. 4. Ex periculo Benignam aut Malignam, noctu vel alio tantum tempore auctam. 5. Ex causa Idiopathicam vel Symptomaticam. Quæ ex pleuræ inflammatione venit Veram, reliquas autem species sine ratione Spurias vocant.

III. Pectoris dolor vehemens, continuus, fixus, ardens, in quovis pectoris loco, cui pleura adhæret; cum Pulsu duro & frequenti; Febre continua acuta; Ardore & Siccitate totius corporis; Respiratione difficili, solo fere abdomine absolvenda, & inspiratione dolorem augente; Tussi dolorosa admodum & frequenti suffocante, qua ejiciuntur interdum sputa, quando melior, & Humida dicta, vel nulla, quando pejor & Sicca vocata; qui invadit post frigus & horrorem corporis, vocatur Pleuritis Vera seu Inflammatoria.

IV. Adgreditur plerumque robustos, exercitatos, juvenes & adultos, si corpus exercitiis, spirituosis, vel aere calidiore, excalefactum, maxime vernali vel æstivo tempore, exponitur vento vel aeri frigido.

V. Primaria pars adfecta est pleura, inde tota interna pectoris superficies: interdum simul adficiuntur diaphragma, mediastinum, pericardium, musculi intercostales, & pulmo, ex quibus simul adfectis varia accedunt symptomata & a quibusdam specialibus nominibus distincta.

VI. Transit ut generalis inflammatio (159, IV.) ante quartum diem in benignam resolutionem, si mitia sint symptomata (111). Validior autem, cum sputo copioso, & urina sedimentosa solvitur critice, quæ naturæ conamina non sunt turbanda sed adjuvanda expectorantibus, diureticis. Sed ultra se-

ptem dies durans, ſine criticis ſignis in ſuppurationem abire ſolet ante XIV. dies, quod ex ſuperveniente horrore conjicimus : aut format metaſtaſin : vel tranſit denique in corruptelam & ſphacelum . Confectum pus non raro generat Empyema .

VII. Validiora & perſiſtentia ſymptomata , ſine critica evacuatione , generalem curationem (159 , v.) exigunt : minus autem alvus ducenda , magis vero pectoralia & diuretica diluentia exhibenda .

VIII. Si ex cauſis prægreſſis & conjunctis ſymptomatibus (160 ,) rubore fugaci in facie , frequenti metaſtaſi , ſputo nullo , ardore ſine multa ſiccitate in ore , pulſu veloci non admodum duro , ſanguine emiſſo cruſtam non formante , & urina flammea conſtet ; pectus ab Eryſipelate dolere , parcius vena ſecanda , aceſcentibus ſubadſtringentibus & anodynis exhibitis , cum externis abſorbentibus applicatis hic dolor leniendus . Epidemica pleuritis ſæpius ab eryſipelate quam ab inflammatione oritur .

IX. Sæpe etiam pleura dolet ex Catarrho (136) materia flatulenta (238 , XXII) quam fluxiones vocarunt veteres , ſed hodierni lympham tenuem acrem ; materia inſenſibilis perſpirationis retenta , in vento , aere vel tempeſtate frigida & humida : hæc pleuritis diaphoreticis , calefacientibus , & camphora exhibitis & applicatis lenitur .

X. Acris humoris cujuſvis , arthritidi , podagrici , rheumatici , ſcorbutici , biliosi , ulceris ſuppreſſi , ad pleuram metaſtaſis ; vel materia febrilis , aut morbi acuti ad hanc partem collecta , periculoſam pleuritidem inducit , ob partis functionem , & ut plurimum alienam adhibitam medendi methodum , quæ in derivantibus locanda erat .

XI. Humores in cavo pectoris collecti , ut in empyemate , phthiſi , pectoris hydrope , pleuræ dolorem inferentes , conſueta methodo evacuandi .

XII. Sed in paraphrenitide , angina & peripneumonia , dolor ad pleuram propagatus , ut plurimum morbum auget .

XIII. Conſenſus (142) autem ex ventriculi , hepatis vel lienis morbis , pleuritidem inferens , in curatione a generali regula non recedit .

XIV. Non raro ſpaſmodica conſtrictione in pleuræ fibris , ſatis acutus dolor pleuræ producitur , hyſtericis , hypochondriacis , & mobilitate laborantibus , qui anodyno nervino lenitur .

XV. Dolens pleura ex quacumque cauſa , difficiliorem reſpirationem , tuſſim , atque peripneumoniam ſæpe producit .

XVI. Nulla generalis admittitur curatio , ob multitudinem cauſarum , etiamſi multi eam ſtatuant : ſed auxiliis ſemper ſunt quædam admiſcenda pectoralia , diuretica , & expectorantia .

336. PERIPNEUMONIA.

I. Quum pulmonum inflammatio , tam in arteria pulmonali , quam bronchiali , non niſi phænomenis externis cognoſci poſſit , certior erit definitio ex recenſendis ſymptomatibus , quam ex aſſignata cauſa . Qui ſubito corripiuntur , plerumque poſt horrorem & frigus morboſum , difficili admodum reſpiratione , vix adducere potentes aerem , & emittentes aerem nimis calentem , cum ineluctabili anxietate pectoris , malarum rubedine , febre continua acuta , pulſu molliori , debiliori , & inæqualiori , quam pro ratione febris fieri conſuevit , urina plerumque rubra & turbida , tales dicuntur Vera Peripneumonia laborare . Sæpe tuſſis ſuffocativa adeſt , ſine pectoris dolore .

II. Si vero habetur talis difficilis reſpiratio ſine febre , is morbus ad Aſthma refertur : ſed ſi febris adeſt , quæ metaſtaſin ad pulmones facit ; aut ſi alii morbi inflammatorii difficilem reſpirationem faciunt ; vel quando Rheumatiſmus ,

tiſmus, vel Catarrhus calidus vel Eryſipelas pulmones invadentes difficilem Reſpirationem pariunt, hi morbi tunc ad Peripneumoniam notham referuntur.

III. Quum Pulmones omnem ſanguinem tranſmittant & præparare debeant, habeantque humorem in bronchiis particularem; arteria pulmonali & bronchiali donati ſint; atque motum generalem & particularem habeant, omne acre in tota maſſa, in humore particulari pulmonum & humore particulari arteriarum, quod irritando majorem motum concitat, aliquam ſpeciem Peripneumoniæ concitare poteſt. Inflammatio autem vera in arteriis bronchialibus, quæ motu vitali donatæ ſunt, ſolummodo veram peripneumoniam concitare poteſt: motus autem inſtigatus in arteria pulmonali peculiari motu donata, veram inflammationem non ſuſcipit.

IV. Ramus aortæ bronchialis arteria dicta, ut alii rami aortæ, motum inflammatorium ſuſcipiens, veram Peripneumoniam generat: ſed motus concitatus in febre ardente generali, vel motus concitatus in pulmonali, peripneumoniam notham producit.

V. Ita turgentes & motæ arteriæ bronchiales inflammatione, pulmonum bronchia tumere faciunt & calere, quibus interne bronchiorum & veſicularum cavitates anguſtatæ, minorem aeris copiam recipientes, frequentem & parvam producunt reſpirationem, cum aere emiſſo æſtuante: atque vaſa pulmonica compreſſa ſanguinis tranſitum morantur, unde anxietas cum pulſu molli & vacillante. Eodem irritamento inflammatorio, præprimis ſi aliquomodo adtingat laryngem, generatur Tuſſis frequens & ſuffocativa.

VI. Præter cauſas generales inflammationem inducentes, quædam ſunt particulares, pulmonibus infeſtæ. 1. Aer manifeſta qualitate peccans, præcipue frigus & calor excedens. 2. Aer inquinatus contagio, vapore. 3. Pulmonum vehementior actio in clamore, tuſſi, nixu, exercitiis. 4. Ætas juvenilis vel virilis. 5. Abuſus ſpirituoſorum & aromaticorum. 6. Morbi vicini inflammatorii, ut angina, pleuritis, paraphrenitis, propagati. 7. Morbi inflammatorii generales ad pulmones materiem colligentes, vel inflammatorii particulares ad pulmones metaſtaſin facientes. 8. Denique venena venis injecta promte peripneumoniam intulerunt.

VII. Peripneumonia vera exitum ut reliqui morbi inflammatorii habet, 1. in ſolutionem inviſibilem, 2. criticam, 3. ſuppurationem, 4. corruptionem, 5. ſphacelum.

VIII. Si ſymptomata (1.) ſint leviſſima, parva pars pulmonis inflammata, ſponte vel ſuperveniente hæmorrhagia, intra quatuor dies ſolvitur. Adjuvanda tunc ſolutio, ſi hæmorrhagia non fiat, ſanguinis miſſione: degat æger in aere humido & tepido; ſit corpus quietum, & abſtineat ab omni pulmonis exercitio; hauriat vaporem aquæ ebullientis; utatur victu tenuiſſimo ex farinoſis; bibat diluentia pectoralia calide.

IX. Symptomata autem validiora, non vero vehementiſſima, majorque pars pulmonum inflammata, quam ut ita abigi poſſit, liberatur tamen æger Sputo copioſo, vel Urina multa craſſa ſedimentoſa, nunquam vero Alvi fluxu. Tunc omittenda venæ ſectio, ſed adhibenda pectoralia diluentia expectorantia & diuretica.

X. Validiora adhuc ſymptomata ad quartum diem ſenſim aucta, ſine evacuatione critica, tranſitum in ſuppurationem præſagiunt, niſi arte præveniatur: ſic inchoata ſuppuratio promovenda pectoralibus mollibus & anodynis, atque puris poſt ſeptimum diem exitus procreandus per ſputum & urinam expectorantibus & diureticis pectoralibus, evitanda tunc venæ ſectio. Si pus tunc maneat, vel format vomicam tectam, vel pulmonis ulcus, vel tranſit in empyema, & phthiſin, vel ſuſcepta corruptela interimit.

XI. Validiſſima autem ſymptomata pulmonis compagem deſtruentia, tranſeuntes humores intercipientia, & reſpirationem ſuffocantia, interdum ad quartum diem ægrum interimunt, dum pulmo ſanguine plenus & gravis cum cor-

de in latus procidit. Si eo uſque increvit malum, non amplius medelam capit.

XII. Si vero Peripneumonia maneat vel ſenſim intendatur, ſine critica evacuatione (IX) ante quartum diem, larga eſt facienda venæ ſectio & repetenda, ſi prima non ſufficit. Hauriendus adſiduo vapor humidus & calidus ore; bibendus eſt potus copioſus calidus ex antiphlogiſticis, diluentibus, pectoralibus, anodynis; utatur victu tenuiſſimo cum corporis & animi quiete.

337. EMPYEMA.

I. Pus collectum in cavo pectoris vocatur Empyema; huc etiam refertur dein puris collectio in ſacco pleuræ, mediaſtini, imo in pericardio & pulmone: interdum abſceſſus in aliis partibus Empyemata vocantur.

II. His modis formatur 1. Ex metaſtaſi morbi inflammatorii generalis. 2. Facto & dein rupto abſceſſu alicujus partis pectoris. 3. Nato abſceſſu in adjacentibus partibus rupto repagulo in pectoris cavum. 4. Ex abſceſſu vel ulcere in parte remota, pus huc deponente.

III. Prædicimus Empyema ex dictis cauſis & morbis ſine ſubſequente puris evacuatione, & cum ſignis collecti vel corrupti puris in pectore.

IV. Dicta ſi perſeverant cum malis ſignis circa pectus & reſpirationem, judicamus pus in pectore hærere.

V. Pus pulmonibus receptum & ſputo redditum liberat, ut & per vias urinæ evacuatum vel per abſceſſum alium in crure, vel per factam aperturam in pectore: ſed per diaphragma deſcendens in ventrem, vel circulantibus miſtum & non evacuatum, aut in pectore manens corruptum, mortem inferre ſolet.

VI. Tentanda curatio expectorantibus, diureticis, & balſamicis; his non procedentibus pectus perforandum.

338. HYDROTHORAX.

I. Inter morbos cognitu & curatu difficiles eſt Pectoris hydrope, quia 1. Thorax coſtis firmatus nulla ſæpe tumoris indicia præbet. 2. Expanſione eadem pectoris humorem facillime in ſe colligit, & difficile emittere poteſt. 3. Ipſe humor aquoſus vel pituitoſus varias partes implet. 4. Impedit actionem pulmonis & cordis. Frequentior eſt quam imprudens judicaret, & ſæpe recidivat.

II. Intus collectus humor 1. In Cavo pectoris, ſi fluidus ſit, & totam cavitatem non implet, fluctuationem præbet, alias nullam, ſed gravitatem, anxietatem, dyſpnœam, & interdum tumorem externum. 2. In Pericardio collectus magis impedit cordis actionem, producit palpitationem, aſphyxiam, & ſyncopen. 3. In Cavo Bronchiorum hærens difficilem cum ſibilo, quaſi ebullientis aquæ, inſpirationem producit, & æger tuſſiendo multum muci exſcreat cum levamine. 4. In Cellulis Pulmonum vel bronchiorum interna membrana mucoſa, eorumve glandulis, aut vaſis lymphaticis & hydatidibus collectus, diſpnœam diuturnam ſine phlegmatis exſpuitione producit. 5. In Pleura hærens externa ſimul pectoris ſigna præbere ſolet. 6. Sed in Mediaſtino liquor contentus, ut plurimum pronum vel ſupinum decubitum tantum poſſibilem facit cum ſymptomatibus cordis. 7. Quoniam varias ſimul partes occupat, multa conjuncta ſymptomata fere ſemper obſervantur.

III. Interdum generatur ſponte ex pulmonis actione debiliore, vel poſt aſthma in quo frequens inſtituta fuit venæ ſectio; in morbis pectoris urina parcior; valetudo diuturna; febris lenta; hydrops aliarum partium; frigida ingurgitatio; aliæque cauſæ pulmones debilitantes, vel abſorptionem impedientes, hanc ſpeciem hydropis generant.

IV. Multa ſymptomata ex partibus læſis citata ſunt (II). Diſpnœa ſem-

per

per præſens ; anxietas ; decubitus impoſſibilis ; ſomnus interruptus ; manuum , pedum , ſcroti tumor ; interdum brachium fit paralyticum & ungues incurvantur ; pulſus mollis & rarus ; urina parca ; facies tumet & pallet ; generatur tandem anorexia , cruditas , horror , febris lenta , ſitis & tuſſis moleſtiſſima , quæ malum augent .

V. Si Lympha in pectoris cavitate hæret , educi ſolet paracentheſi , ſed tunc ut plurimum recidivat . In reliquis partibus hærens ſolis balſamicis , diureticis auſcultat . Evitanda phlebotomia , alvi ductio , & opiata .

LIBER

LIBER IV.

MORBI PARTICULARES.

VENTRIS MORBI.

Ob multitudinem morbi Ventris per Titulos distinguendi 1. *Qui speciales ventris partes adgrediuntur, vel generalia viscera occupant* . 2. *Qui referri possunt ad Chylificationem* . 3. *Qui Bilis confectionem, & actionem turbant* . 4. *Qui in Urinæ excretione & organis deteguntur* . *Qui vero ad Generationis organa & actiones in utroque sexu & fœtu referuntur, speciali Libro proponendi sunt* .

TITULUS I.

PARTIUM EXTERNARUM & VISCERUM VENTRIS MORBI.

Partes externæ in Ventre distinguendæ sunt in partes generales & viscera . *Abdomen, umbilicus, hypochondria, lumbi, coxa, inguina, anus, perinæum, in quibus simul speciales nominati morbi exhibentur, constituunt partes ventris speciales* .

339. GENERALES VENTRIS & VISCERUM MORBI.

I. QUidam ex generalibus morbis in prima Systematis parte traditi, sine ulla habita specialis partis ratione, Ventrem, vel Viscera abdominalia infestantes, nonnulla specialia suggerunt. Multi ex his, quia traduntur in abdominis & particularium organorum morbis, hoc loco omitti possunt.

II. Maximus viget Consensus inter viscera abdominalia, caput, lumbos, atque pedes: visceribus adfectis pectus & caput sæpe in consensum trahitur.

III. Metastasis ab articulis, & integumentis ad viscera ventris, periculosa; sed a visceribus ad cutim, alvum, vel extrema, bona; verum a visceribus his ad capitis interiora mala est.

IV. Ob varia in ventre viscera motu particulari donata, frequens anxietas (148) generatur, quæ semper mala.

V. Omnium viscerum inflammatio, abscessus, erysipelas, corruptio, vulnera, contusiones, obstructiones, paralysis, debilitas, majus periculum portendunt, quia impediunt functiones particulares, & morbosus humor difficile evacuari potest. Ventris & viscerum calor, frigus & gravitas a generalibus non differunt. Horum Hydrops, Tympanites, & Dolor, Cardialgia dictus, speciali titulo traduntur.

340. ABDOMINIS MORBI.

I. Pars anterior laxa ventris, cujus pars media Umbilicalis regio vocatur, multa ſigna ſuggerit latentium morborum in viſceribus.

II. Abdominis enim Tumor 1. durus, mollis, dolens, elaſticus, conſtans, abeuns & redeuns, æqualis, inæqualis, frigidus, calidus, pulſatorius, varia indicia præbet. 2. Is ſi veniat ex ventriculi & inteſtinorum infarctione, cruditate & cacochylia, vel alvo adſtricta, quod ſæpe fit in rhachitide puerorum & vermibus, amaro reſolvente eccoprotico expellenda. 3. In Tympanitide ab aere in cavo hærente periculum portendit, ſed a flatibus in inteſtinis, tumor increſcens & decreſcens aliquid convulſivi declarat, ſæpe hyſtericis, hypochondriacis, & colicis accidit, & quibus nervus ad meſenterium tendens compreſſus fuit: ſi fiat a veneno adſumto periculum portendit. 4. In morbis Acutis, febre continua, remittente & intermittente, ex metaſtaſi vel putredine, malum præſagium præbet. 5. In Aſcitide, hydrope omenti, vel meſenterii, quo major tumor, eo pejor morbus. 6. In Diarrhœa, lienteria, dyſenteria, cholera & volvulo, ſive fiat ab aere diſtendente per inordinatum motum vel infarctis viſceribus, ſemper malum præſagium. 7. In Menſtruantibus anodyno antihyſterico tumor ſubſidet, ſed in menſium, & lochiorum ſuppreſſione, vel relicta placenta, ſubſequente evacuatione minuitur, ne tamen habeatur omentum concretum pro dictis morbis. 8. Gravidis naturaliter increſcit tumor, in parturientibns ſuſtentandus. 9. Ex uteri Mola aliove tumore intumeſcens, vel ab increſcente omento, tumente ventriculo aut veſica fellea, ut illi morbi curandus tumor.

III. Poſt partum, paracentheſin, & nimiam evacuationem per alvum, tanta relinquitur ſæpe in abdomine laxitas, ut contenta viſcera functiones exercere nequeant, niſi abdomen epithemate roborante, & æquali ſuſtentaculo adjuvetur.

IV. Quia vulnera (Ch. 1241.) expoſita ſunt; Contuſiones ex adfecto viſcere intelliguntur; atque tumentia viſcera propriis titulis ſunt exponenda, hic proponi non debent. Abſceſſus maturiorem ſectionem exigit. Inflatio & Contractio ex Convulſione (161) intelligitur. Hernia raro accidit & ſolita ſuſtentatione curatur. Gaſtroraphia Chirurgis committitur. Sanguinis, puris, ichoris, vel excrementorum collectio, raro ſine facta apertura vel benignitate naturæ ſanatur. Hydrops ad Aſcitidem, (341.) & Dolor ad Colicam refertur.

341. ASCITES.

I. Aſcites hydropis eſt ſpecies, quando lympha hydropica magna quantitate in cavo peritonæi colligitur: reliqui enim abdominis hydropici tumores in omento, utero, vel hydatidibus, perperam ad Aſcitidem referuntur.

II. Quamvis auctores hujus Aſcitidis multas cauſas adnumerant, eæ tamen in generali hydrope (59) traduntur: ſæpe autem ex alio ſpeciali hydrope omenti, hepatis, ovarii, meſenterii generatur.

III. Lympha cavum peritonæi implens, copia ſua abdominis partem inferiorem primo tumere facit, ſenſim vero altius adſcendit; preſſione facta fluctuatio percipitur; tumor converſione corporis ad decliviorem locum convolvitur; comprimit abdominis viſcera; ſenſim etiam pudenda & pedes implet; liberum diaphragmatis deſcenſum impedit, unde difficilior reſpiratio & orthopnœa. Lympha tandem degenerata, præter generalia (59, XV), viſcera abdominalia macerat, ſordido muco obducit, & ad faciliorem ruptionem vaſa diſponit, atque tandem interficit.

IV. Curatio a generali Hydrope (59, XVI) non differt, niſi quod magis conveniant purgantia hydragoga, & inſtituta paracentheſi, aut rupto umbilico lympha evacuari poſſit, quando abdomen ſedulo eſt ſuſtentandum.

342.

342. TYMPANITES.

I. Abdominis intumeſcentia æqualis diu perſiſtens a pube ad pectus, quæ preſſa demonſtrat materiem elaſticam contineri, pulſa ſonum inſtar tympani edit, inverſione corporis non deſcendit in locum decliviorem, vocatur Tympanites.

III. Quum Aqua contineatur in cavo ventris, tumor inverſione corporis deſcendit, & gravis eſt. Aer autem contentus in cavo uteri vel ventriculi totum abdomen non diſtendit. Ab aere in inteſtinis hærente abit & redit tumor, & ructu vel crepitu ſubſidet venter. Empneumatoſis in tunica celluloſa totum potius ventrem circumquaque tumere facit. Viſcerum tumores reliqui & Graviditas, inæqualem diſtenſionem faciunt, & ceteris characteribus carent.

III. Tumorem hunc facit aer, quod patet ex ejus levitate & elaſticitate, ſi vapor fuiſſet, accedente frigore condenſaretur & ita evaneſceret.

IV. Hic aer continetur in cavo peritonæi, nam in quavis cavitate reliqua collectus, non produceret æqualem per totum abdomen tumorem.

V. Colligitur hic aer 1. Ex ruptis inteſtinis, ſed tunc magna ſimul copia contentorum habetur. 2. Motu putredinis aut corruptionis. 3. Motu convulſivo, febrili, vel ex veneno adſumto.

VI. Inde ventris penetrantia vulnera, vehementia inteſtinorum tormina, abſceſſus meſenterii & viſcerum pus effundens in ventris cavitatem, vel materia melancholica rumpens ſua vaſa; vel paſſio hyſterica, aut hypochondriaca convulſiva, geſtatio ponderis gravioris, abdominis contuſio, abuſus acrium & ſpirituoſorum, debilitas præprimis viſcerum ventris, alvus ſicca & diu adſtricta, menſes & lochia ſuppreſſa produxerunt Tympanitem.

VIII. Tympanites natus ab humore in cavo ventris effuſo & putreſcente, inducente Tympanitem conſtantem vix capit medelam, ſenſim coinquinat reliquos, ſola antipſeptica adſumta, & quandoque evacuatio putrefacti ſanitatem adtulerunt. Venter magis minuſque tumens demonſtrans ſpaſmodicam agitationem, niſi mature antiſpaſmodicis præveniatur, loco aeris humorem in cavitate ea colligit, ſeu degenerat in aſciten. Plerumque his alvus eſt conſtipata compreſſis inteſtinis, dyſuria atque ſtranguria laborant, & urinam coloratam emittunt, putrefacto hac via evacuato.

343. UMBILICI MORBI.

I. Cicatrix relicta poſt nativitatem in media anteriore abdominis parte Umbilicus dicta, ex propria natura, & quia in hoc loco abdomen minus ſuſtentatum eſt, varios patitur morbos.

II. Non ſatis ligatus vel abruptus funiculus umbilicalis, Sanguinem fundens, facile ſanatur applicato oleo terebinthinæ vel ſpiritu vini cum ſuſtentaculo. Rumpitur interdum in aſcite, quando abdomini ſuſtentaculum eſt injiciendum ne omnis lympha ſimul effluat. Vermes in eo nidulantes eximendi & locus abſtergente amaro depurandus. Ulcus & fœtor antiſeptico applicato ſanatur. Vulnus aliis in partibus abdominis periculoſius. Inflammatio, Abſceſſus & Dolor conſuetis modis curantur. Aliena tranſmittuntur per umbilicum, ſola benignitate naturæ. Pulſatio inflammationem inteſtini recti arguit. Tumores varii in Omphalocele (Ch. 1546,) traduntur.

344. HYPOCHONDRIORUM MORBI.

I. Partes ſuperiores & laterales abdominis, ubi ſunt coſtarum cartilagines, Hypochondria dictæ, in dextro latere locatum habent Hepar cum ejus veſicula fellea, quod ultra medium ad ſiniſtrum latus protenditur; in ſiniſtro autem & paulo

lo posterius Lienem; Intestinum Colon ab uno ad alterum latus extenditur. Multi morbi harum partium specialia signa in hypochondriis producunt, hoc loco indicanda

II. Hypochondriorum Contusio & Vulnus periculum augent ob hepar vel lienem subjacentem. Eorum validior compressio aut constrictio, impediens liberum reditum per venam cavam sursum, producit sanguinis nimiam collectionem in vena cava inferiore & vena portarum, unde multa mala: impedit etiam liberam hepatis, lienis, ventriculi, & intestini coli actionem, unde iterum nova genera morborum.

III. Mollia habere Hypochondria in morbis semper bonum signum; sed Dura si sint, ex hepatis aut lienis obstructione, tumore, inflammatione, cum vel sine ictero, malum portendunt, minus autem in sinistro quam dextro latere. Horum curatio ex propriis titulis petenda, si autem Colon excrementis vel viscoso impletum dura facit Hypochondria, hujus curatio ex alvo adstricta deducenda.

IV. Hypochondria Tepida, salutaria; Frigida vero, indicantia diminutam vel exstinctam actionem, hepatis, lienis vel ventriculi, mala; Calentia ex inflammatione vel erysipelate subjacentium viscerum, aut ex bile acri, & in Typho, pessima, nisi temperetur superveniente larga hæmorrhagia. Horum curatio ex citatis morbis petenda.

V. Revulsa seu intro tracta Hypochondria in Hystericis & Hypochondriacis, non multum periculi portendunt & antispasmodicis curanda. Sed in Melancholicis hæmorrhoidum fluxu dimittitur contracta, atque purgantibus curantur. In Paraphrenitide periculum & phrenitidem portendunt, & ut in illo morbo curatio instituenda.

VI. Elevata hypochondria ex febre sæpe alvi egestionem criticam portendunt; sed ex hic depositа Metastasi, morbos subjacentium præsagiunt: quibusdam parotides secutæ sunt. Variantia autem ex bile acri, multa mala præsagiunt. Sine febre autem ex flatibus tumentia & obmurmurantia, flatuum & excrementorum depositione concidunt: in hystericis, mobilitate, menstruantibus & animi pathematibus, anodyno nervino curantur.

VII. Tumores in hypochondriorum Integumentis a ceteris non differunt, sed a tumente hepate, vesica fellea, ventriculo, liene, & intestino colo, sequuntur præsagia & curationes illorum morborum.

VIII. Dolentia Hypochondria ex nimio ingesto cibo vel potu, aut cacochylia in ventriculo vel colo, evacuatione per vomitum vel alvum leniuntur. Sed ex diaphragmatis, ventriculi, hepatis, lienis, vel coli inflammatione, erysipelate, rheumatismo, scirrho, obstructione, malum portendunt, speciali illorum morborum curatione, hæmorrhagiis, vel alvi egestione præveniendum. Ex Consensu dolentia anodynis mitiganda. Metastases autem podagræ, arthritidis, rheumatismi, catarrhi, dolorem inferentes derivationem exigunt; ex febre intermittente facta dolentia, viscerum morbos præsagiunt, nisi mature extinguatur febris.

IX. Frequens in hypochondriis generatur Anxietas ex impedita viscerum subjacentium, & venæ portarum actione, in qua ex detecta causa deducenda prognosis & curatio; ab eadem quoque causa hypochondria sentiuntur Gravida.

X. Pulsatio hypochondriorum ex validiore arteriarum agitatione salubrem hæmorrhagiam promittit, interdum paraphrenitidem: illa ex viscerum subjacentium inflammatione veniens, eadem & multa alia mala præsagit, quandoque abscessum producit, qui cito aperiendus: cavendum ne tumens vesicula fellea pro abscessu habeatur.

345. LUMBORUM MORBI.

I. Pars ventris poſterior ab oſſe ſacro ad coſtas Lumbi dicta, validis conſtat muſculis, & vertebris ſpinalem medullam includentibus, quæ multos emittit nervos. Lumbis adnexum eſt meſenterium; renes his adcumbunt & vaſa ſpermatica, atque in gravidis uterus. Horum omnium morbi, qui in lumbis percipiuntur, multa & varia inferunt ſymptomata. Dolor his partibus frequens ad Nephritiden vel Lumbaginem refertur, ſed quædam tumoris ſpecies ad Spinam bifidam.

II. Horum Contuſio & Vulnera nihil ſpeciale habent, ſed Luxatio ſeu potius Subluxatio frequens eſt, & corporis quietem cum applicatione linimenti nervini exigit. Pulſatio ſæpe menſtruationis ſignum. Gravitas in hypochondriacis, melancholicis, cacochylia laborantibus ab aucto inteſtinorum vel meſenterii pondere, alvi copioſiore egeſtione vel ductione tollitur: verum in menſium ſuppreſſione levatur menſtruis fluentibus: in gravidis debilem fœtum arguit. Frigus lumborum ſæpe obſervatur in catarrho, & acrimonia nitroſa, cum miculis in urina, his interdum fit coxæ vel hæmorrhoidum dolor, & ſtranguria, quod ut illi morbi curandum: ſed in gravidis interdum abortum præſagit. Ardor Lumborum ante variolarum eruptionem, in nephriticis, inſtante menſtruatione, vel ſanguinis egeſtione per alvum, ſæpe obſervatur. Debilitas in gonorrhœa, fluore albo, menſium profluvio, poſt partum & abortum frequentem ſæpe generatur. Maximum Conſenſum exercent cum ventriculo, meſenterio, utero, & urinæ organis. Metaſtaſis ex lumbis ad pudenda, anum, vel coxam levat; ſed ad hypochondria, & maxime ad caput periculoſiſſima. Fiſtula a renibus vel ſpina proveniens curatu eſt difficilis. Omnia lumborum vitia facile hydropem producunt.

346. LUMBAGO.

I. Inter Lumborum dolores recenſetur ille, qui ſubito invadit & diu perſiſtere ſolet, in omni lumborum motu inferens dolorem, ac ſi æger per medium ſcinderetur, ſine nephritidis ſignis reliquis, vocatur Lumbago.

II. Videtur ſpaſmodica conſtrictio in muſculis lumborum, quæ generatur a materia ſcorbutica, arthritica, vel rheumatica irritante, hic depoſita ad nervos.

III. Lenitur & abigitur multo potu molli, adfrictione cum ſpiritu alcalino volatili & balſamo peruviano, & applicatione fomenti calidi.

347. NEPHRITIS.

I. Latiſſima ſignificatione, ut hic accipitur, notat Nephritis omnem lumborum dolorem, ubi renes ſunt conſiti. An vera Nephritis ex renum calculo vel inflammatione ſit vocanda, ambigunt Auctores. Reliquas ſpecies Notham ſeu Spuriam vocant.

II. Non ſolum Renes & Ureteres dolentes, verum etiam Lumbi, Spinalis Medulla, Meſenterium, atque Ventriculus, Pancreas, Lien, Hepar, Veſica fellea, Inteſtina, Uterus, & Vertebræ lumborum dolentes ad hunc titulum ſæpe referuntur.

III. Unde multi morbi generales & qui ſpecialem partem aggredi poſſunt Nephritidem inducunt, qui per proprios characteres ſedulo ſunt diſtinguendi.

IV. Ita acrimonia, febris, tam acuta quam intermittens, ſcorbutus, catarrhus, rheumatiſmus, arthritis, podagra, cacochymia, cruditas, convulſio, inflammatorius & eryſipelatoſus morbus, hyſterica, hypochondriaca adfectio, mobilitas, purulentia, bilis morboſa, melancholia, nervorum ſucci acrimonia, ulcus

cus ſuppreſſum, ſi ad renes vel lumbos feratur materia vel metaſtaſis fiat, varias ſpecies Nephritidis inducit.

V. Interdum etiam fit per Conſenſum, in cardialgia, colica, cacochylia, alvo adſtricta, dyſenteria, hæmorrhoidibus, hernia, fluore albo, gravidis parturientibus, puerperis, abortientibus, menſtruantibus, menſium ſuppreſſione & profluvio, tympanitide, lumborum dolor, qui ex generali titulo conſenſus (142) curandus.

VI. Proprie autem fit a Renibus inflammatoriis ſuppuratis, Calculum continentibus, atque eorum muci Acrimonia, ut & urina acriore.

VII. Quæ poſt nephritidem ſequi debent, non poſſunt exponi, quia cauſæ & partes tantum differunt.

VIII. Poſtquam inventa fuerit nephritidis cauſa, ex ea petenda eſt curatio.

348. SPINA BIFIDA.

I. Tumor exiguus, mollis, in infantibus, concolor, ſupra vertebras lumborum, ſenſim increſcens, dehiſcentibus proceſſibus vertebrarum, Spina bifida vocatur.

II. Nimia mollitudo & laxior nexus proceſſuum vertebrarum, cum decubitu in dorſum, quo humores in vagina medullæ ſpinalis deſcendentes ſua gravitate, vaginam hanc dilatant, & vertebrarum proceſſus removent, hunc morbum generant.

III. Facta dilatatio ſacciformis ſenſim majorem generat tumorem, quo medulla ſpinalis reliquo ſuo ſucco privatur: humor hic ſtagnans corrumpi incipit, unde mutatur tandem cutis color & tumor perrumpit, cum ſubſequente morte, evacuato ſucco ex theca vertebrarum.

IV. Nimia compreſſio ſtuporem & paralyſin inducit. Defectus ſuſtentaculi permittit nimium incrementum & ruptionem. Reſolventibus & calefacientibus citius rumpitur. Sed modica ſuſtentatione ſenſim validiore, cum applicatis roborantibus eſt abigendus tumor, dum ſimul interna dantur, quæ in rhachitide (124) expoſita ſunt.

349. COXÆ DOLOR.

I. Dolor vehemens in Coxæ articulo, vel in nervi ganglio adjacente, ſine tumore & rubedine iſtius articuli, Coxa & Iſchias vocatur ob frequentiam.

II. Cauſa dolorem inferens hærere poteſt in ligamentis, & glandulis hujus articuli, vel in ejus ſucco, vel interdum in adjacente nervi ganglio, in feminis etiam ab utero adfecto.

III. Frequentiſſima cauſa eſt Rheumatiſmus in corpore juvenili vel virili robuſto exercitio calenti, frigori expoſito; quando ſæviſſima & pertinaciſſima eſt iſchias, & ut Rheumatiſmus curanda.

IV. Interdum etiam materia arthritica, podagrica, ſcorbutica, venerea, inflammatoria, catarrhoſa, aliave acrimonia, ligamenta hujus articuli, vel ganglion nervi adjacentis vellicans Coxæ dolorem infert.

V. Materia etiam febrilis, ardentium, acutorum purulenta, critica, vel ſymptomatica, ad coxam collecta, vel alibi antea ſæviens in partibus ſuperioribus, dolorem inferens, aut tuſſim.

VI. In menſtruantibus, menſibus ſuppreſſis, gravidis, parturientibus, abortientibus, atque uteri dolente tumore, & in alvo adſtricta, per Conſenſum fit dolor.

VII. Qui fit ex oſſis carie, pædarthrocace, exoſtoſi, glandulæ induratione & ſcirrho, curationem reſpuit, & ancyloſin infert.

VIII. Coxæ dolor non eget ſignis, ſed ſi velimus diſtinguere, an ſit dolor

ex rheumatiſmo, vel alia dolente cauſa; an hæreat in articulo, vel ganglio nervi, quædam phænomena ſunt conjungenda, quæ determinant : hæc ab auctoribus admodum confuſe traduntur.

IX. Varia cauſa quædam tamen generalia producit: nam articulus motu privatur, membrum contrahitur, fit claudicatio, ancyloſis, exoſtoſis, rigiditas, luxatio. Cauſa in ganglio nervi hærens protendit dolorem ad genua, pedes, inguines, veſicam, uterum, inteſtinum rectum.

X. Quamvis firmam tradunt curationem, ea tamen varia eſt pro cauſa, niſi Coxæ dolor ex rheumatiſmo ſolus ſtatuatur verus.

350. INGUINUM MORBI.

I. Flexura femoris ad utrumque latus pudendorum, Inguina dicta, ubi in viris decurrunt vaſa ſpermatica, & in feminis nectuntur ligamenta uteri, ſi fortiter comprimatur, contundatur aut vulneretur, ob ſubjacentes partes majus periculum portendit.

II. Horum Excoriatio pueris & obeſis frequens, ablutione, inunctione & interpoſito linteo facile ſanatur. Ulcera ob humiditatem loci difficilius ſanantur. Fiſtula interdum ruptum habet inteſtinum, quæ non claudenda, niſi interim alvus maneat aperta. Durities ab induratis vaſis ſpermaticis in partibus genitalibus traditur. Tumor refertur ad Bubones, niſi fiat ex Hernia, quæ Bubonocele (Ch. 1514.) vocatur, quæ ſtatim in ſupino corpore refundenda, & locus cingulo ſuſtentandus.

351. BUBO.

I. Inguinum perſiſtens Tumor Bubo dictus, ex loco & ſpecialibus cauſis atque ſignis a Bubonocele, Enterocele, Epiploocele & Crurali hernia diſtinguendus.

II. Poſt impurum Coitum ſtatim natus facilius: poſt gonorrhœam ſuppreſſam difficilius, ſed poſt vetuſtam veneream luem, non ſine integra hujus morbi curatione cedit. Sufficit in his emplaſtro mercuriali tegere tumorem.

III. Ex Febribus & morbis Acutis per metaſtaſin Bubones producti lente cedunt. In Peſte materiem morbi in ſe recipiunt, & facta ſuppuratione emittunt.

IV. Specialia autem tubercula, phygethlon, ſtruma, ſcirrhus, cancer, ſi modo non decipere valent, a generali eorum morborum curatione non recedunt.

352. ANI MORBI.

I. Anus variis corripitur morbis, quorum quidam, ut Hœmorrhoides & Teneſmus ſpeciali titulo proponuntur; alii vero ex generalibus ad hanc ſpecialem partem applicati, aliquam in præſagio & curatione differentiam præbent.

II. Inteſtinum rectum relaxatum, cum alvi craſſioribus excrementis, aut frequenti conamine in Dyſenteria vel Teneſmo extruſum per anum, ſæpe ita diſponitur, ut minimo facto conamine, & interdum ſponte Anus procidat. Statim eſt refundenda procidentia ſine multo dolore, cauſa irritans ſi adſit emendanda indito globulo antiſeptico. Remanens laxitas curanda globulo vel injectione roborantis, adhibito ſimul externo ſuſtentaculo.

III. Non raro lumbrici parvi Aſcarides dicti, (239) in Ani lacunis nati, intolerabilem pruritum, dein etiam exulcerationem inducunt. Hæ Aſcarides amaro eccoprotico ſæpe educendæ, locus defendendus, & ſtagnantis corruptela inhibenda turunda balſamica indita, quoties alvus exonerata fuit.

IV. Ani Tubercula ex natura & figura tumoris ſarcomata, condylomata, verrucæ, mora, fraga, ficus, criſta dicta, iiſdem turundis inditis, atque lava-

men-

mento antiſeptico injecto & applicato, ſanatur. Si nimis tumeant, ligando vel ſecando, ut alia ſarcomata curanda.

V. Inter ani morbos difficiles eſt Fiſtula, (16) quæ ſæpe naſcitur poſt hæmorrhoides vel longam ani exulcerationem. Hæc interdum patet ſolummodo externe, ſed multos quandoque cuniculos habet in celluloſa inteſtinum rectum cingente; quando injectione abſtergentis & indita turunda ſine ſectione ſæpe ſanatur. Si autem inteſtinum rectum perforatum excrementa per fiſtulam dimittat, prudenti ſectione fiſtula perſecanda eſt, alii utuntur ligatione. Si vero in cavum inteſtinorum tantum pateat, ut ulcus ſananda eſt.

VI. Ani Eryſipelas, Excoriatio, Fiſſuræ, Herpes, Puſtulæ, Pruritus, ablutione frequenti & inunctione cum adſtringente antiſeptico curantur. Vulnera & Ulcera, Laceratio, Eſchara, frequentiorem deligationem exigunt, alias facile maligna fiunt. Clauſura ex nativitate ſectione referanda, concretio eſt prævenienda. Ani Paralyſis aut Stupor incontinentiam excrementorum producens in chronicis, acutis & vulneratis periculoſa; ejus Contractio, ſpaſmodicis frequens.

353. HÆMORRHOIDES.

I. Ani Dolor, Tubercula, Varices, & Hæmorrhagia, quoniam Hæmorrhoides dicuntur, ad evitandos errores conducit varias ſpecies hæmorrhoidum proponere.

II. Venæ tumentes circa ani ambitum, ut varices referunt ſacculos lividos compreſſiles, dolentes majore impletione facta: hæ ſæpius in ramis venæ portarum quam venæ cavæ generari ſolent alvi excrementis durioribus comprimentibus venas ſanguinem revehentes, aut languidiore venæ portarum vel hepatis motu particulari, aut hepatis aliqua obſtructione liberum ſanguinis tranſitum intercipiente. Hæ minuuntur eccoproticis diu adhibitis, & auxiliis quæ liberiorem circulationem per hepar faciunt.

III. Varices hæ ſive extra anum pateant, ſive intus lateant ſenſim magis tenſæ rumpuntur & ſanguinem fundunt, frequentius viris & regionibus calidis, quam feminis, & frigidis, quando dicitur Hæmorrhoidum fluxus: qui acceleratur alvi egeſtione, qua deſcendunt excrementa craſſiora compacta. Ruptione hac exoneratur ut plurimum ſanguis venæ portarum & materia melancholica in ea hærens, in principio cum levamine, quod venæ ſectione imitari nequit: ſed perſeverans fluxus ſanguinis defectum inducit, & ſæpe in fiſtulam ani degenerat, aut malam conſuetudinem inducit. Melius igitur eſt in principio laxam ſervare alvum & conſolidantibus applicatis ſanare; ſi morbus adolevit una vel altera hæmorrhois aperta ſervanda. Hic fluxus præcedens alvi excrementa, vel ea obliniens a dyſenteria vel diarrhœa cruenta diſtinguendus.

IV. Conſueta hæc evacuatio ſuppreſſa generare ſolet delirium melancholicum, in quibuſdam hydropem, phthiſin, hepatis obſtructionem, cachexiam & multos alios morbos, qui non facile curantur, niſi iterum hæmorrhoides aperiantur: conducit in his melanagogis longo tempore ſervare alvum laxiorem, ſed evitare venæ ſectionem.

V. Ob ſimilitudinem tumoris & doloris circa ani ambitum quædam Tubercula in genere Sarcomata, ſed ex figura Verruca, Uva, Ficus, Mora, Condyloma, Criſta dicta ad Hæmorrhoides referuntur, quæ irritatæ quoque ſanguinem fundunt, ſed compreſſione non evaneſcunt ut varicoſæ: Harum fluxus nullum levamen adfert, ſed ſunt ſtatim curandæ balſamicis, reſinoſis, antiſepticis, ne carcinodes fiant, aut in ulcus, vel fiſtulam degenerent.

VI. Humores acres in cryptis inteſtini recti geniti, vel ibidem ex lumbis aut coxis depoſiti, nullum interdum tumorem inducentes, a quibuſdam pro hæmorrhoidibus dolentibus cœcis habentur, quorum curatio ex propriis titulis petenda.

354. PERINÆI MORBI.

I. Locus inter anum & pudenda Perinæum dictus, in viris ob adjacens inteſtinum rectum & uretram; ſed in feminis, inter inteſtinum rectum & vaginam ſitum, quoſdam ſpeciales infert morbos.

II. In viris Contuſio perinæi non raro ſupprimit urinam. Laceratio in feminis partu difficiliori vel imprudenti obſtetricis pertractione inducta, Eſcharam contrahens, poſt ejus ſeparationem, excrementorum incontinentiam immedicabilem relinquit. Hujus partis Abſceſſus, Ulcera, Vulnera, Fiſtulæ, Hæmorrhagiæ, difficilius quam alibi curantur. Calculus hic hærens ſectione eximendus. Frigiditas in gravidis ad fœtus mortui ſigna refertur. Tumor in viris non raro urinam ſupprimit.

TITULUS II.

CHYLIFICATIONIS MORBI.

Alimenta tribus in locis a corpore vivente & adfluentibus humoribus præparantur: ſed quia Bilis confluens multa ſpecialia continet, ejus morbi ſeorſim exponendi ſunt. Qui morbi in parte ſeu actione prima naſcuntur, in Oris (*Ch.* 905), *Dentium* (*Ch.* 914), *Linguæ* (298), *Pharyngis* (311.), *Oeſophagi* (312,), *Salivæ* (303) *Sitis* (300), *Manducationis* (299), *Deglutitionis* (313) *Morbis, & Aphthis* (297) *deſcripti ſunt. Morbi autem Secundæ actionis referuntur ad Ventriculum, Famem, Pepſin, & Morbos ſpeciales. Denique morbi Tertiæ actionis diſtinguuntur in morbos partium, humorum & alvi egeſtionis, quibus accedunt quidam morbi ſpeciales.*

355. VENTRICULI MORBI.

I. Saccus membranaceus, muſculoſus, duobus orificiis patens; motu particulari ſatis valido donatus; in parte media ſuperiore ventris a diaphragmate pendulus hærens; ex ſuis lateribus multum humoris ſalivoſi, qui ſuccus gaſtricus dicitur, & multum muci fundens; ad ſuperius orificium admodum ſenſilis; recipiens deglutita alimenta, ea concoquens & per pylorum in duodenum dimittens; vocatur Ventriculus, qui ob fabricam & varias actiones multos patitur morbos, quorum multi ſpeciali titulo proponuntur, ut Nauſea, Vomitus, Ructus, Soda, Satietas, Faſtidium, Cacochylia, Cardialgia, & Morbi qui referuntur ad Famem & Pepſin.

II. Ventriculus oneratus Abundantia ingeſtorum, concitato vomitu mechanico, vel ſenſim ſponte eſt exonerandus, cavenda ſimul ſequens copioſior ingeſtio. Sed ſi contineat Mucum, Pituitam, vel alium Tenacem humorem, adhibenda reſolventia ſtomachica, cum eccoprotico; his ſi non cedit morbus ad vomitorium perveniendum. Putridum, Rancidum, Bilioſum, in eo contentum, aceſcentibus ſaponaceis eſt emendandum, & per alvum aut vomitum educendum. Acor autem & crudum alcalicis eſt exſtinguendum. Aliena ut Calculus, Grumus, Vermes, vomitu educenda cum multo ingeſto potu. Sanguis autem vel Pus contentum, commodius leni alvi ductione, quam vomitu redduntur, ne exaſperetur ulcus, vel renovetur ſanguinis effuſio. Flatibus tumens generalibus flatuum (238) auxiliis detumeſcit.

III. Ventriculi nimia Compreſſio, ſublata cauſa tollitur, ejus Contuſio, Punctura, & Vulnera, periculoſa ſunt, niſi benignitate naturæ curentur; in his parciſſima diæta contenti eſſe debent.

IV.

IV. Nimia ventriculi Dilatatio & Hernia vetat nimiam ingeſtionem, medicamentis roborantibus curatur vel minuitur. Anguſtia poſt nimis longam inediam impletione ſenſim majore cum molli cibo & potu, ad debitam capacitatem venit. Corroſio & Excoriatio, ſi corrodens ablatum ſit, molli antiſeptico ſæpe ingeſto ſanatur. Hæmorrhagiæ curatio in vomitu cruento traditur. Inflammatio, Rheumatiſmus vel Eryſipelas ſi ventriculum occupat, ex Aſode & Cardialgia, cum ardore & anxietate circa ventriculi regionem, atque incremento ad omnia adſumta, quaſi ventriculum urerent, cognoſcitur; ſolito modo, ut dicti morbi, curatur, cum parva potionis & medicamenti antiphlogiſtici ingeſtione, & abſtinentia a vomitoriis & purgantibus ingeſtis. Ulcera ventriculi alimentis omnibus liquidis & medicamentis balſamicis ſæpe exhibitis curanda. Laxitas, Humiditas, & Hydrops, roborantibus, calefacientibus, ſtomachicis longo tempore adhibitis, emendanda.

V. Ventriculi Languor, Debilitas, Gravitas, Frigiditas, debiliorem motum vitalem & particularem indicantia, ſtomachicis, roborantibus, calefacientibus, curanda. Ejus autem Ardor, ſi non fiat ab acribus contentis, ut inflammatio vel eryſipelas temperandus. Anxietas ex variis cauſis nata, variam quoque curationem exigit. Convulſione & ex Conſenſu valide agitatus ventriculus, antiſpaſmodicis, anodynis, parva copia ſimul datis, compeſcendus.

356. ANOREXIA.

I. Qui ſine alimento ſumto non appetit, cum vel ſine faſtidio, Anorexia laborare dicitur, quæ differt a determinato alicujus alimenti faſtidio.

II. Ventriculus impletus viſcido, crudo, cacochylia, cum gravitate, oppletione, & ſatietate ad ventriculi locum, exſtinguens appetitum, exigit ejectionem per vomitorium, & purgans, ſed per roborantia, reſolventia ſtomachica, nova adcumulatio prævenienda.

III. Salivæ, pancreatis, & ventriculi ſucci, atque bilis defectus vel amiſſa ſaponacitas, cum lingua ſordida, vel muco obſeſſa, producens inappetentiam, curatur ſaponaceis ſtomachicis longo tempore datis.

IV. Nata ex hæmorrhagiis, menſibus, lactatione, omnibuſque bonorum evacuationibus ſuppreſſis, in principio evacuatione artificiali reſtituitur: ſed deinceps ſpontaneæ corruptionis curationem exigit.

V. Si autem retineantur mali humores, uti urina, alvi excrementa, perſpirabile, pus in ulcere vel abſceſſu, ichor, plerumque deletur appetitus cum faſtidio, qui curari debet renovata evacuatione.

VI. Cujuſcumque humoris evacuatio copioſior boni & morboſi, deſtruens æquilibrium cum faſtidio appetitum delet, ut in alvi fluxu, diabete, hæmorrhagia, abortu, lactatione nimia, gonorrhœa, fluore albo, dyſenteria, lienteria, cholera, nimia venere, pollutione, qui tunc curandus moderando evacuationem, antiſepticis, ſtomachicis, habito reſpectu morbi. Huc etiam pertinet diu tolerata inedia.

VII. Pinguia, rancida, putrefacta, nauſeoſa, oleoſa, opiata, nicotiana, narcotica, ſpirituoſa, deglutita, vel in fauces confluentia, ex naribus, palato, vel ore, in gravedine, ozæna, harumve partium ulcere, anorexiam producentia, ſunt evitanda, ingeſta vomitu vel alvi egeſtione ejicienda.

VIII. Ex metaſtaſi materiæ eryſipelatoſæ, putridæ, podagricæ, purulentæ, ichoroſæ, febrilis, malignæ, melancholicæ, catarrhoſæ, corruptæ cujuſvis, nata, diu vexat, & curari nequit, niſi reductione hujus materiæ ad debita loca.

IX. Omnes fere ventriculi morbi, præcipue laxitas, ulcera & corruptiones, inferunt anorexiam curatu difficilem, cujus curatio ad dictos morbos eſt dirigenda.

X. Solus ventriculi motus inordinatus, ut in navigantibus, hyſtericis, hipochon-

chondriacis, mollibus, vertiginoſis, menſtruantibus, nephriticis, calculoſis, gravidis, colica, convulſione, dolore, imo ab animi pathematibus, anorexiam inferens ſtomachicis gratis anodynis eſt curandus.

XI. Humor acris quivis in ventriculum confluens, maxime alcalinus, (acidus interdum nimiam appetentiam parit) morborum acutorum, febris tritæophyes, aſſodis, intermittentis, remittentis, leipyriæ, chronicorum, chloroſis, hydropis, leucophlegmatiæ, hecticæ, icteri, phthiſis, valetudinariorum, aceſcentia ſtomachica exigit.

XII. Perſeverans anorexia, defectu nutrimenti parit debilitatem, maciem, phthiſim, rachitidem, morbi longitudinem & recidivam, valetudinem, corruptionem, abortum, lactis defectum. 2. Multa alia mala, quæ ex cauſis anorexiam inducentibus ſimul inferuntur.

XIII. Fruſtra prædicantur generalia medicamenta, quia ex variis cauſis naſcitur, in genere autem conveniunt ſtomachica.

357. PSEUDOREXIA.

I. Qui ex morboſa cauſa ultra modum eſurit, ut cum ventriculo pleno etiam ſit famelicus, Bulimo dicitur laborare; alii intelligunt famem, quæ inducit ſæpe ſyncopen, ut quandoque fit hyemali tempore ſi corpus exercetur. Si autem adſumtum cibum toties revomunt Cynorexia laborant: faſtidium determinatum, aut appetentia erga quædam genera, ut ſæpe gravidis, vocatur Malacia: ſed quando petunt & comedunt, quæ non ſunt eſui, Pica laborare dicuntur.

II. Organum famis in ventriculo hærens ab alieno humore tactum, pſeudorexiam inducit.

III. Generatur ille morboſus humor in morbis chronicis, cacochylia, cacochymia, ventriculi vermibus, bilis, ſucci pancreatici, ſalivæ vitiata indole, melancholia, menſium ſuppreſſione, chloroſi, valetudine a morbis relicta, gravidis & pueris.

IV. Quæ poſt pſeudorexiam ſequuntur, veniunt 1. Ex cauſa pſeudorexiam producente. 2. Nimia ingeſta alimentorum copia. 3. Alienis in ventriculo & inteſtinis manentibus.

V. Abſtinendum ab alienis ingerendis, & copia nimia ingeſta, faſtidio determinato autem gravidis utcumque indulgendum: conducit leni vomitorio vel purgante primo educere cacochyliam ſi adſit. Sed in gravidis potius hæc omittenda. Verum ſtomachicis emendare & ſubigere alienos in ventriculo humores, omni tempore convenit.

358. SATIETAS.

I. Qui ſine cibo vel potu ſumto, vel ex ejus parva copia, poſt ſatis longum jejunium, talem percipit ſenſum, ac is, qui magna copia alimentorum repletus eſt, ille Satietate morboſa laborat.

II. Tali in corpore deficit cauſa famem concitans, & adeſt in ventriculo muci, pituitæ aut viſcidi abundantia.

III. In hujuſmodi homine naſcitur Defectus chyli; Imperfecta præparatio ſeu cruditas & cacochylia; Humorum converſio in aliquam corruptelam, unde cachexiam; In ventriculo & inteſtinis oppletio & anxietas.

IV. Concretus tenax humor ſolvendus, reſolventibus, ſaponaceis, amaris in chronicis, ſed aceſcentibus in acutis: ſolutus humor educendus purgantibus, aut leni vomitorio: dein ſtomachicis, reſolventibus, roborantibus, nova generatio prævenienda.

359. FASTIDIUM.

I. Omnium alimentorum vel cujuſdam averſio vocatur Faſtidium, ſymptoma eſt veluti ex Anorexia & Nauſea compoſitum.

II. Si ingeruntur putrida, corrupta, rancida, nidoroſa, aliena, viſcoſa, pinguia, oleoſa, faſtidium inducentia, illa deinceps evitanda, vomitu vel alvi ductione eliminanda.

III. Oris, narium, dentium, faucium, corrupti humores, & materia catarrhoſa, aphthoſa, & ſalivoſa deglutita, hunc morbum ſi inferant, oris collutione frequenti cum antiſepticis, & evitata deglutitione emendatur faſtidium.

IV. Ventriculi & pancreatis ſuccus morboſus, atque bilis aliena in ventriculum confluens, cruda cacochylia in ventriculo congeſta, vomitu vel alvi ductione ſunt eliminanda, dein ſtomachicis nova collectio prævenienda.

V. Faſtidium ex navigatione, vectione adverſa, aliove motu inſolito, & animi pathemate, ſponte evaneſcit; ſed ex graviditate, mobilitate, lienteria, dyſenteria, cholera, malum eſt, anodynis ſtomachicis compeſcendum.

VI. In febribus, acutis, ardentibus, intermittentibus, eryſipelatoſis, putridis, purulentis, phthiſi, malignis, hecticis, podagra, malum eſt ſignum, gratis acidis, diluentibus, anodynis compeſci ſolet.

VII. Sed in alvo adſtricta, ulcere aliave conſueta vel morboſi humoris evacuatione ſuppreſſa, exigit reſtitutam vel aliam ſuccenturiatam evacuationem.

VIII. Ut variæ ſunt cauſæ, ita ſunt præſagia, in genere exſpectamus parciorem ingeſtionem, malam chyli confectionem, & corporis emaciationem & debilitatem.

360. NAUSEA.

I. Moleſta anxia & faſtidioſa percepta commotio circa præcordia, qua tamen nihil emittitur vomendo per os, dicitur Nauſea.

II. Ille ſenſus ingratus nobis naſci videtur quoties motus particularis ventriculi ita invertitur, ut contenta dirigat verſus orificium ſuperius: & quoniam eſt actio particularis turbata ſimul anxietatem inducit.

III. Actio illa turbatur ingeſtis copioſioribus, alienis, oleoſis, pinguibus, rancidis, putridis: hæc nauſea ſi brevi tempore non ceſſat, vomitu mechanico, vel medicamento tali, ventriculus deplendus.

IV. Deglutita corrupta ex ulcere vel catarrho narium, faucium, oris, nauſeam generant, quæ curatione dictorum morborum ſponte evaneſcit.

V. Bona ingeſta alimenta ſtagnando in cacochyliam acidam vel putridam, vel alcalinam mutata, ſanguis effuſus, ſuccus ſtomachicus, pancreaticus, & bilis aliena in ventriculum redeuns ſi nauſeam creant, acidis gratis vinoſis emendanda, vel vomitu aut alvi ductione eliminanda. Si autem ex inteſtinis veniant, purgante egent. Vermes necandi & expellendi.

VI. Corrupti & alieni humores in aliis corporis partibus nati, ſive ſint inutiles, ſive morboſi, ad ventriculum delati nauſeam producentes, reducendi ad propria loca.

VII. Materia autem febrilis, catarrhoſa, bilioſa, melancholica, putrida, purulenta, ichoroſa ad ventriculum collecta producit nauſeam, quæ uſum medicamentorum intercipit, quæque pro morbi natura ſpecialem curationem exigit, additis derivantibus & ſtomachicis.

VIII. Si ex inflammatione, eryſipelate, abſceſſu, vel ulcere ventriculi, vel acri humore in ejus lateribus hærente, naſcatur Nauſea, omnia vomitoria augent nauſeam & ſunt ægris periculoſa: verum applicatis & ingeſtis admodum parva quantitate ſimul, quæ dictis morbis ſunt appropriata, ſenſim curanda.

IX. Quod etiam eſt faciendum in partium adjacentium, hepatis, lienis, pancreatis morbis, ſi nauſeam creant.

X. Si autem per conſenſum capitis, cerebri, diaphragmatis, lumborum, inteſtinorum, meſenterii, uteri, renum vel aliarum partium, nauſea generetur, ſtomachicis narcoticis compeſcenda.

XI. Ab hac non multum differt illa, quæ naſcitur ex mobilitate, inſolita corporis agitatione, animi pathematis, perturbatione febrili: nam eodem modo ac ex Conſenſu curatur.

361. DYSPEPSIA.

I. Actio ventriculi & inteſtinorum atque confluentium humorum non valens conſueta alimenta convertere in chylum Dyſpepſia vocatur. Quia Apepſia, Bradypepſia, & Diaphthora ab iiſdem cauſis dependent, & eodem modo curantur, unico hoc titulo complecti poſſunt.

II. Si ventriculus cacochylia, viſcoſo, putrido, pingui, rancido, nidoroſo, crudo impletus eſt, dum accipit nova alimenta digerenda, ea convertere nequit in chylum, niſi ventriculus prius ab ea ſarcina liberetur vomitorio, vel purgante, vel abſtinentia cum uſu ſaponaceorum.

III. Bilis, ſuccus pancreaticus ſtomachi, ſaliva deficiens, vel in ſua natura mutata, retardant chyloſin, quæ curari nequit manente vitio in iſtis humoribus, quod ex propriis ſignis eſt detegendum & dein curandum.

IV. Actio ventriculi particularis debilior, nata ex frequentiore ingluvie, abuſu ſpirituoſorum, aquoſorum, pinguium, & oleoſorum, calore nimio, corporis quiete, ſomno longiore, ſtudio ſeveriore, animi pathematibus, & cura, tempeſtate calida & humida, in morbis chronicis, hyſteria, laxitate, ſcorbuto, non amplectitur ingeſta & ea minus agitata non convertuntur in bonum chylum, niſi evitatis cauſis ventriculus roboretur ſtomachicis longo tempore, quæ ſimul leniter alvum ducunt.

V. Omnis morbi materia ad ventriculum depoſita turbat chyloſin, quæ curari nequit niſi curato morbo priore, vel facta derivatione ad aliam partem.

VI. Dyſpepſia perſeverans parit cruditatem, corruptionem, cardialgiam, ructum, ſodam, colicam, alvi excrementa aliena & copioſa, ventris infarctionem, anorexiam, nauſeam, vomitum, cachexiam, colorem luridum, faciei pallorem, febrem, leucophlegmatiam, laxitatem, debilitatem, dyſpnœam, urinam craſſam crudam, maciem, rhachitidem, recidivam, hydropem, & multa alia.

VII. Quia ex variis naſcitur cauſis generalis non datur curatio, ſed reſpici debet ad cauſas.

362. CARDIALGIA.

I. Qui interne in parte ſuperiore ventris ſub cartilagine enſiformi, ubi hæret ſuperius ventriculi orificium, ſentit dolorem, is Cardialgia laborare dicitur.

II. Cauſæ hunc dolorem inferentes multæ ſunt, ſed poſſunt, 1. ingeri, 2. in cavo ventriculi naſci, 3. hærere in lateribus ventriculi, 4. vel in viſceribus ventriculo contiguis, 5. vel eſſe materia metaſtaſin faciens, 6. vel pars condolet ob conſenſum. Quæ diſtinctio magni momenti eſt.

III. Ventriculi orificium ſuperius multis nervis præditum, ſenſile admodum, ab omnibus ingeſtis acribus, purgantibus, vomitoriis, venenatis, maxime dolere poteſt, quando diluente & molli vomitorio alienum vomitu eſt eliminandum, dein ingerenda pinguia, & anodyna, quæ concitatum motum compeſcunt.

IV. Dum ex ſignis conſtat Cardialgiam naſci ex materia bilioſa, viſcida acri, cruda, acida, corrupta, putrida, pingui rancida, conducit dicto vomitorio (111) hanc materiem eliminare: hoc ſi non procedat, fortiori vomitorio utendum:

finito

finito vomitu iisdem anodynis (111) vomitus ulterior compescendus. In leviori causa conducit per solitum purgans eliminare. In delicatulis autem sufficit solis stomachicis emendare materiem. Post ablatam hanc causam sponte cessabit hæc cardialgia.

V. Ventriculus autem dolens ab inflammatione, erysipelate, scirrho, rheumatismo, catarrho, arthritica materia & similibus in ejus lateribus hærentibus, respuit omnia vomitoria, purgantia & acria, sed curari debet istis morbis appropriatis medicamentis, & auxiliis, cum additis anodynis.

VI. Si causa dolorem inferens hæreat in liene, hepate, vesica fellea, pancreate, intestino colo, præter signa adfectionis illarum partium, præcipuum est, quod omnis ventriculi impletio intendat dolorem. Curatio ex dictis morbis est petenda.

VII. Si materia melancholica ad ventriculum delata dolorem infert, conducit eam eliminare purgantibus: sed materia insensibilis perspirationis retenta, catarrhosa, scorbutica, arthritica, podagrica, ad ventriculum delata postulat anodyna diaphoretica, vesicatoria, & fonticulos. Materia autem febrilis, varioloſa, morbillosa, morborum reliquorum acutorum huc delata, exigit diluentia anodyna diaphoretica.

VIII. Non raro Ventriculus condolet cum adfectione uteri, in menstruantibus, chlorosi laborantibus, & gravidis feminis; vel cum adfectis renibus in nephriticis & calculosis; vel denique in mobilitate, hysterica passione & convulsione, intolerabilis & diu permanens cardialgia generatur, quæ omnia ingesta respuit: hoc in casu anodynum antispasmodicum, parva copia sæpe repetita est ingerendum, donec compescatur.

IX. Continuo ita vexans ventriculi dolor intercipit nutritionem, unde macies, parit agrypniam, inquietudinem, debilitatem, interdum etiam nauseam & vomitum, pulsus plerumque debilitatur: atque per consensum infert tussim, convulsionem, syncopen, & corporis frigiditatem.

363. SODA.

I. Dum in ceteroquin sanis hominibus, maxime post pinguia ingesta, sentitur stomachi Ardor, ac si liquor aliquis in ventriculo ebulliret, ex quo erumpunt sæpe ructus nidorosi, calidi, amari, ille morbus vocatur Soda.

II. Pinguia vel Oleosa in ventriculo corrupta, rancida vel nidorosa facta, præbent matetiem, ut patet ex sapore & ejectione in ignem.

III. Causa prædisponens in corpore est ventriculi actio debilior, defectus quantitatis & saponacitatis salivæ, ventriculi & pancreatici succi & bilis.

IV. In tali corpore ingesta oleosa, pinguia, nidorosa, rancida, & copia major, aut ad ventriculum delata bilis aut melancholia nidorosa, sodæ præbent materiem.

V. Ventriculus tali materia turgens si moveatur aromaticis, cepa, allio; vel si ingeratur mel, saccharum, vinum dulce, aqua calida, solvens nidorosum a lateribus, statim Soda excitatur.

VI. Pinguis nidorosa materia in ventriculo hærens infert ardorem, anxietatem, cardialgiam, sitim, anorexiam, fastidium, ructum nidorosum amarum sæpe fauces adurentem, cacochymiam, materia eructata in ignem dejecta flammam concipit: in intestina descendens colicam producit.

VII. Prævenitur abstinentia pinguium & abundantiæ alimentorum, atque usu saponaceorum, stomachicorum, antisepticorum, & quæ simul alvum laxant.

VIII. Compescitur autem stomachicis, antacidis, antisepticis pulveribus cum pura aqua adsumtis.

IX. Quoniam consistit morbus in deficiente ventriculi actione, & exstincta saponacitate humorum confluentium, aliquamdiu continuandum in stomachicis,

roborantibus, ſaponaceis, & ut præveniatur collectio, admiſcenda interdum his alvum laxantia.

364. RUCTUS.

I. Aeris elaſtici in ventriculo geniti, vi per œſophagum, & demum os, plerumque cum ſono, expulſio, vocatur Ructus.

II. Interdum purus expellitur aer, quod notat alienum humorem non eſſe in ventriculo, qui erumpenti aeri permiſcetur: vel invenitur acidus auſterus, rancidus, putridus, nidoroſus, bilioſus, ardens, amarus, fœtidus, cum vel ſine humore adſurgens, notans naturam contentorum in ventriculo.

III. Aer ille generatur in ventriculo 1. Ex fermentatione farinoſorum, fluctuum horæorum, leguminoſorum, muſti, unde toties in aciditate, cruditate, & in infantibus. 2. Raro ex Effervescentia. 3. Sæpius ex Corruptione aut putredine vel ingeſtorum vel ad ventriculum confluentium humorum, unde ructus varii pro natura humorum in ſcorbuticis, cachecticis, cacochylia. 4. Ex motu inordinato ventriculi & inteſtinorum, ut in hyſtericis, hypochondriacis, colicis, convulſione & mobilitate laborantibus, acribus venenatis adſumtis, febribus, multi ſæpe fiunt ructus ſine levamine.

IV. Acidus ructus, notans ſpontaneam adſumtorum aceſcentium corruptelam, evaneſcet omiſſo eorum uſu: exigit materiæ ejectionem, ſi ſponte non fiat, per lenia vomitoria aut purgantia, dein antacidis roborantibus ſtomachicis, nova generatio eſt prævenienda. Quibus etiam Ructus Auſterus ſuperatur.

V. Sed Rancidus Ructus exigit evitationem pinguedinis; ſi materia abundat, expellenda vomitorio & purgante, nova generatio prævenienda ſaponaceis aceſcentibus.

VI. Eadem pinguia ingeſta vel & bilis in nidorem acrem calidum commutata, iiſdem fere curantur, eligenda ex iis quæ ſimul refrigerant. Interim convenit per alvum laxantia materiem continuo eliminare.

VII. In Ructu autem Convulſivo, & ex mobilitate, ſufficit nervinis anodynis compeſcere inordinatum motum, ſimulque roboranda ventriculi actio.

365. VOMITUS.

I. Validus motus ventriculi inverſus cum muſculorum abdominalium conſtrictione, quibus ventriculi contenta liquida & paulo ſolidiora ejiciuntur per os, vocatur Vomitus.

II. Hæc omnia ſi fiunt ſine rejectione per os vocatur vomendi conatus.

III. Omnia ingeſta copioſiora, etiamſi bona ſunt, vomitum concitant, qui tamen poſt rejectionem ceſſat: ſi autem vomendi conamen remanet facile compeſcitur acidis gratis parva copia datis.

IV. Magis autem fit ab oleoſis, pinguibus, viſcidis, putridis, nauſeoſis, ſordidis, mucoſis, rancidis, acribus, vomitoriis, purgantibus, quorum tunc evacuatio eſt promovenda diluentibus, ſaponaceis, & in venenatis etiam oleoſis.

V. Dum pus, ichor, putrefactum, ſanguis, ſaliva, in gravedine, ozæna, narium, oris, faucium, ulcere, hæmorrhagia, & ſalivatione in ventriculum deſcendit, prævenitur curatione illorum morborum, & frequenti collutione.

VI. In anorexia, dyſpepſia, faſtidio, nauſea, cardialgia, ſoda, cruditate, eructatione, vermibus in ventriculo nidulantibus, ſpontanea corruptione ingeſtorum, aut qui a bile, ſucco pancreatico vel ſtomachico, putridis vel corruptis naſcitur cum levamine vomitus, is diluentibus abſtergentibus eſt promovendus, & poſt ablationem materiæ eſt compeſcendus.

VII. In retropulſa ſcabie, herpete, podagra, arthritide, variolis, ſcarlatina, puſtulis, morbillis, ſuppreſſis lochiis, menſtruis, hæmorrhoidibus, ulceribus, u-

rina,

rina, perſpirabili, alvi excrementis, aut meconio, vel quavis alia evacuatione ſuppreſſa, vel in oberrante materia febrili, purulenta, acutorum, acrimonia, aſode, ardentium, catarrho, chronica, materia continuarum, intermittentium, remittentium, melancholica, phthiſica, ſcorbutica, ſi feratur materia ad ventriculum, conducit reducere & evacuare humores per debita loca, & compeſcere vomitum anodynis ſtomachicis.

VIII. Conſentiens ventriculus cum partibus contiguis, uti cum œſophago, faucibus, diaphragmate, liene, hepate, ciſte, meſenterio, inteſtinis, ut in dyſenteria, alvi fluxu, cholera, colica, volvulo, vel cum pancreate, peritonæo, vomitum faciens, magis exigit curam illorum morborum, quam ipſius vomitus.

IX. Sed cum partibus remotioribus, uti in morbis encephali, cerebri, capitis, colli, nervorum, dentitione, cephalalgia, vertigine, ſopore, animi pathemate, convulſione, delirio, hydrocephalo, hernia, procidentia, nephritide, calculo, menſtruatione, partu, abortu, gravidis, anxietate, renum, & uteri morbis, hyſteria, mobilitate, motu inconſueto, navigatione, conſentiens, ſi in vomitum concitetur, conducit ſtomachicis anodynis eum compeſcere.

X. Denique ventriculus ipſe ab inflammatione, eryſipelate, ulcere vel alio morbo adfectus, difficilem vomitum parit, ut in aſode febre, in qua omnia ſunt agenda, quæ in generalibus iſtis morbis præcipiuntur: ſed omnia parce ingerenda, quamvis morbus alias majorem copiam indicaret.

XI. Deſumuntur futura ex vomitu. 1. Ex iis, quæ vomitu redduntur. 2. Diminutione totius maſſæ. 3. Quæ valido motu vomendi fiunt. 4. Prout fiat in vario morbo vel ſtatu corporis.

XII. Niſi quædam materia aliena vel morboſa vomitu reddatur, expedit, quia eſt motus inverſus, & non naturalis evacuatio, compeſcere vomitum medicamentis ſtomachicis anodynis, habita ſemper ratione cauſæ excitantis.

366. VOMITU REJECTA.

I. Ut alvi excrementa diſtinguuntur ab alvi fluxu, ita materia Vomitu rejecta ab ipſa vomendi actione diſtinguenda.

II. Qui alimenta, potulenta, aut medicamenta, neque nauſeoſa neque nimia copia adſumta, vomitu reddit, morbo ventriculi aut contenti humoris laborat, qui perſcrutandus antequam medela adhibetur.

III. In Volvulo, perſeverante motu inverſo inteſtinorum, non ſolum bilis, ſuccus pancreaticus, & contenta tenuium inteſtinorum vomitu rejecta fuere, ſed teſtantur auctores, alvi excrementa, imo clyſmata injecta, & ſuppoſitoria indita, vomitu emiſſa fuiſſe, cujus curatio ex volvulo eſt deducenda.

IV. Vermes ſæpe, interdum ranæ, bufones, lacertæ, aliaque inſecta, vel prius deglutita, vel in ventriculo nata, vomitu reddita, ulterius exoneranda ingeſto potu multo aquoſo pingui, cum leni emetico addito.

V. Bilis vomitus varia præſagia præbet 1. Bilis abundans aliquomodo aliena, aut pinguedo rancida, bilis nomine veniens, in ventriculo collecta cum levamine per vomitum redditur, cujus evacuatio promovenda potu ſaponaceo aceſcente. 2. Eadem autem æruginoſa, nigra, terram fermentans, fœtens, dentibus ſtuporem inferens, fauces adurens, ſpumans, meraca, periculum portendit. 3. Quod augetur ſi ſigna hujus bilis corruptæ anteceſſerint per corpus & maxime in capite. 4. Bilis vomitus ex conſenſu in capitis læſione vel morbo, incrementum morbi denuntiat, anodynis & gratis ſtomachicis compeſcendus.

VI. Pituitæ, muci, grumi, & ex variis miſtis humoribus Vomitus, levare ſolet, atque ingeſto potu diluente reſolvente promovendus.

VII. Quicumque humor corruptus, fœtens, putridus, inſtar vini ſecundarii, vomi-

vomitu rejectus, malum præſagium portendit. Conducit magis in eo vomitum promovere multo potu, quam retinere corruptum in corpore.

367. VOMITUS CRUENTUS

I. Qui cum conatu vomendi per os reddit ſanguinem plerumque ſubnigrum, interdum grumoſum, contentis ventriculi miſtum, Vomitu cruento laborat, quo diſtinguitur ab hæmoptyſi & ſputo cruento.

II. Sanguis ſtillans ex naribus, ſinubus frontalibus, maxillaribus, ore, palato, faucibus, pharynge & œſophago deglutitus, primo indicia, præſagia & curationem hæmorrhagiæ illarum partium præbet, ſed in ventriculo ſtagnans, concretus, nauſeam, faſtidium & ſimilia exhibet, donec vomitu fuerit ſublatus.

III. Fundi poteſt in ventriculi cavitatem ſanguis, etiamſi non reddatur vomitu, quando generat nauſeam, anxietatem, faſtidium, cardialgiam.

IV. Vulnera, contuſiones, corroſio, vomitoria, quævis acria adſumta, hirudines deglutitæ, vermes in ventriculo nati corrodentes, vomituſque vehemens, ſi deſtruant vas cruentum, poſt effuſum ſanguinem tandem generant ut plurimum vomitum cruentum, qui diluentibus ingeſtis eſt adjuvandus, donec acria ingeſta, & grumoſus ſanguis ſit ejectus: dein anodynis leniter adſtringentibus aquoſis compeſcendus motus, abſtinendum tunc ab omni ingeſtione, quantum fieri poteſt, ut modo ſufficiat ad vitam ſuſtentandam, quo contrahetur ventriculus.

V. Si nobis conſtat ex pulſatione, anxietate, caliditate hypochondriorum, febre, eryſipelate, putredine, vertigine, cephalalgia, ætate juvenili acuto laborante, humore acri calido, deſtructas arterias gaſtricas evomuiſſe ſanguinem, ſtatim adſtringentibus, refrigerantibus cohibendus impetus, cum tenuiſſima diæta: inflammatorium ſi adſit, ſimul vena ſecanda.

VI. Si vero ſanguis abundat, uti in hæmorrhoidibus, hæmorrhagia, menſibus & lochiis ſuppreſſis, & quibuſdam gravidis, ſæpe cum levamine emittitur; conducit, tamen leniter adſtringentibus anodynis dictis, compeſcere & quantitatem minuere phlebotomia.

VII. In ſcorbuticis, melancholicis, lienoſis, hepaticis, vel propter ſanguinis craſſitudinem, vel impeditum tranſitum per hepar, interdum reſeratis oſculis venæ gaſtricæ, funditur ſubniger vix concreſcibilis ſanguis in ventriculum, qui vomitu emittitur, ex quo plerumque moriuntur, niſi hæmorrhoidum fluxu liberentur.

VIII. Præter generalia ex hæmorrhagia & ſanguinis defectu provenientia, generantur anxietas, anorexia, faſtidium, inquietudo, ventriculi ulcus, alvi excrementa nigra, cruenta, & levantur hæmorrhoidum & menſium fluxu.

IX. In curatione adtendendum omnia aſpera, acria, copioſa, dura, evitanda eſſe, ventriculum vacuum multum conferre.

368. ERUCTATIO.

I. Ruminatio quibuſdam animalibus naturalis, in qua quædam contenta liquida, parva copia ſimul, ex ventriculo adſcendunt per œſophagum in os, ſi fiat in hominibus, Eructatio morboſa vocatur.

II. Videtur momentanea ventriculi contractio ſpaſmodica, qua ejus contenta per orificium ſuperius dilatatum extruduntur. Quæ generatur 1. Adſumtis alimentis, ut cepa, allio, raphano, putrefacto, rancido deglutito, quæ ſponte ceſſat omiſſo eorum uſu. 2. In debiliori pepſi, ſi ingeſta diutius retenta corrumpi incipiunt, generatur Eructatio acida, nidoroſa, bilioſa, amara, faſtidioſa, pro natura contentorum, cujus curatio petenda ex anorexia, ructu, & dyſpepſia. 3. In Hyſtericis, Hypochondriacis, Melancholicis, Bilioſis, ſi fiat ex ſpaſmodica contractione, nervinis ſtomachicis eſt curanda: ſed in materia me-

melancholica, bilioſa, & putrida, humores ſunt emendandi & per alvum educendi.

III. Ex quacumque cauſa fiat, numquam bonum præſagium præbet, quia ſemper malam latentem cauſam ſignificat.

369. INTESTINORUM MORBI.

I. Canalis membranaceus, longus, tortuoſe in ventre locatus, meſenterii fimbriis adnexus, fibris muſcularibus mobilis, a ventriculo incipiens, recipiens inde alimenta, ductu choledocho & pancreatico perforatus, unde & ex propriis vaſis multum humoris recipit, receptum chylum præparans, confectum dimittens per vaſa lactea & meſeraica, reliquum ad anum conducens, ut ejiciatur, variis corripitur morbis, quorum multi ad alvi egeſtionem referuntur, alii proprium obtinuere nomen. Denique quidam inteſtinorum nomen ſervant & hic traduntur.

II. Contenta in cavo inteſtinorum aliena, calculus, grumus, mucor, pituita, viſcidum, pus, cacochylia, acidum, crudum, excrementa, per anum ſunt exoneranda, quo commodius eo melius.

III. Vulnerata vel abſciſſa inteſtina futura corrugata conſuenda, vel peritonæo & muſculis nectenda. Eorum nimia compreſſio, in gravidis, alvi excrementis, tumore adjacente, & herniis tollenda ſi expedit.

IV. Inteſtinorum nimia amplitudo inducta defectu ſuſtentaculi poſt partum, hernia diu prolapſa; alvi excrementis compactis, tranſitum diu impedientibus, abdominis ſuſtentatione & eccoproticis diu adhibitis curanda. Calloſa, rigida, cartilaginea facta, vel intus rupta, omnem medelam reſpuunt. Sed contracta & anguſtata, una pars in alteram prolapſa, quando ſtatuunt nodum eſſe factum, non dilatanda globulo plumbeo vel mercurio ingeſto, ſed injecto clyſmate molli & eccoproticis diu adhibitis. Contracta autem ex convulſione, nervinis, alcali volatili & anodyno dimittuntur.

V. Eorum inflammatio, eryſipelas, chordapſum inferens, omnia purgantia vetat, ſed venæ ſectione & cataplaſmatibus ventri applicatis curanda. Abſceſſus inde vel ulcus factum latenter pus & contenta inteſtinorum in cavum abdominis deponens, poſt diriſſimum tympanitidem, mortem inferre ſolet.

VI. Motu turbato inteſtinorum varia producuntur. Deorſum tendens diarrhœam & dyſenteriam. Surſum volvulum. Deficiens in præparatione & abſorptione alvi excrementa cruda, lienteriam & cœliacam generat. Laxitas, pareſis, & deficiens ſuſtentaculum producit ventris infarctionem, interdum diarrhœam & lienteriam, cum ſenſu frigoris. Sed motus inordinatus in hyſtericis, hypochondriacis, mobilitatem, animi pathematibus, producit borborygmos, flatus, colicam paſſionem, antiſpaſmodicis curanda.

VII. Inteſtinorum hæmorrhagia infert diarrhœam cruentam, fluxum hepaticum, & ſi humor acris ſimul adeſt dyſenteriam cruentam.

VIII. Materia febrilis, putrida, podagrica, arthritica, purulenta cum morbi incremento ad inteſtina metaſtaſim facit: ſed bilioſa, cacochymica, melancholica, hac via ſimul cum levamine emitti ſolet.

370. MESENTERII MORBI.

I. Membrana ſatis firma, multis fibris motricibus inſtructa, in cujus interpoſita tela celluloſa, multæ arteriæ ex aorta provenientes, & venæ ſe in venam portarum exonerantes, multique nervi decurrunt, & glandulæ tranſmittentes lactea vaſa, locatæ ſunt, nexa lumbis, in abdomine pendula, cujus ambitui adhærent Inteſtina Tenuia, quando Meſenterium, ſed Craſſa, Meſocolon vocatur.

II.

II. Hujus inflammatio, eryſipelas, & rheumatiſmus, diriſſimam colicam & volvulum inducit, venæ ſectione & applicatione cataplaſmatum curanda. Ejus impletio aqua, pituita, cacochylia, tumor, hydrops, præter abdominis tumorem multum adgravant lumbos. Convulſio in meſenterio ad Hyſtericam vel Hypochondriacam paſſionem referri ſolet. Abſceſſus ſæpe tympanitidem producit ſi rumpitur. Actio debilior & laxitas, retardat chyli abſorptionem, & ſanguinis circulationem per venam portarum. Glandularum ſtruma, ſcirrhus, obſtructio chyli tranſitum intercipit. Humores in ejus vaſis ſubſiſtentes, febrem meſentericam, lentam inferre ſolent.

371. PANCREATIS MORBI.

I. Corpus glanduloſum ſub ventriculo hærens, ſecernens humorem ſalivoſum, quem per ductum ſpecialem in duodenum deponit, Pancreas dictum, ſi obſtruitur, tumet, aut dolet, ſtruma, ſcirrho, vel abſceſſu, magnam moleſtiam ventriculo præcipue pleno infert. Ejus autem ſuccus, cui præpoſtere multi morbi adſcribuntur, ſi vitiatus ſit, ex ſalivæ morbis facile illi deduci poſſunt.

372. OMENTI MORBI.

I. Reticulum celluloſum, multa pinguedine in obeſis impletum, ſuperius ventriculo, colo &c. nexum, inferius ſub peritonæo propendens libere ad umbilicum vel & pubem, inteſtina obtegens, arteriis, venis ſe in venam portarum exonerantibus, ſed paucis nervis & tenuiſſima celluloſa tela inſtructum, Omentum ſeu Epiploon dictum, ſequentibus adfici ſolet morbis.

II. Interdum totum fere conſumtum eſt, alias ingenti mole excreſcit. Vulneratum non multum damni infert. Ligari & amputari patitur. Concreſcit interdum cum peritonæo vel utero. In faſciculum collectum præbet interdum abdominis tumorem. Prolongatum dicitur ſterilitatis & alvi adſtrictæ cauſa eſſe. Corruptum, fundens ichorem in ventris cavitatem tympanitidem inferre poteſt. Prolapſum facile ſphaceleſcit, & in prolapſa parte præ ceteris intumeſcit. Hydrope adfectum ſpeciali modo in parte ſuperiore abdominis primo generat tumorem, qui ſenſim ad inferiora increſcit: tandem verum aſcitidem curatu difficilem infert. Ejus Hernia tam in umbilico, quando dicitur Epiplomphalos, quam inguinibus, ubi vocatur Epiplocele, haud facile reponi poteſt, quia prolapſa pars ſenſim magis tumet & adjacentibus partibus adcreſcit: quo citius ergo eo melius reponenda & ſuſtentaculo intus retinenda.

373. CHYLIFERORUM MORBI.

I. Chylus in inteſtinis confectus, oſculis minimis abſorbentibus receptus, corrivatus per Lactea primi generis ad glandulas conglobatas meſenterii, inde per lactea ſecundi generis ad Ciſternam veniens, adlata lympha magis dilutus, fertur per Ductum chyliferum in venam ſubclaviam, in qua via varios patitur morbos.

II. Chyli introitus intercipitur obturatis oſculis a muco vel pituita, quando reſolventibus, moventibus, & purgantibus viſcoſum eſt ſolvendum & educendum. Retardata abſorptio debilitata inteſtinorum actione, vel ſi abdomen ſit apertum, aut motus particularis lacteorum & meſenterii ſit languidior, augenda roborantibus, calefacientibus, ſtomachicis exhibitis, & abdomini cum ſuſtentaculo applicatis.

III. Glandulæ meſenterii aut ciſterna obſtructæ, non ſolum chyli, verum etiam lymphæ tranſitum intercipiunt, unde macies in partibus ſuperioribus; hydrops

drops in inferioribus & abdomine, cum lienteria : qui morbi curari nequeunt ſine reſolutione obſtructionis.

IV. Chylifera vaſa rupta, maxime thoracicus ductus ruptus vel vulneratus, chylum & lympham effundunt, quod nullam medelam admittit.

374. CHYLI MORBI.

I. Humor albicans ex adſumtis alimentis in ventriculo & inteſtinis confectus, per Chyli vaſa in ſanguinem vehendus, Chylus vocatur, is ſi exeat per anum Lienteriam præbet, quæ intercepto tranſitu in Chyli organis generatur. In primis viis corruptus Cacochyliam præbet.

II. Ejus defectus, nam raro laborat abundantia, ſive defectu ingeſtorum, elaborationis, vel frequentiori ejectione, ſive impedito tranſitu, producit humorum circulantium defectum, & corruptionem, parciorem ſecretionem & excretionem, maciem, phthiſin, debilitatem, quæ mala largiore ſenſim facta ingeſtione, aucta pepſi, & minuta evacuatione curantur.

III. Suſcepta fermentatione ſæpe abit in acidum, aut ſuperveniente corrupte-la producit rancorem, putrilaginem, ructum nidoroſum, ſodam, ſaporem deteſtabilem, nutriendi ineptitudinem, acrimoniam variam. Minus præparatus ſæpe grumeſcit, & cruditatem relinquit. Qui morbi curantur ejecta materia vomitu vel feceſſu, per ſtomachica, antacida, ſi acidum abundat, ſeu per ſaponacea, aceſcentia, ſi rancidum prædominat.

375. CACOCHYLIA.

I. Dum in primis viis, nempe ventriculo, inteſtinis, vaſis lacteis & meſenterio, alienus ſeu morboſus humor aut materia retinetur, ille morbus vocatur Cacochylia.

II. Producitur 1. ab ingeſtis copioſioribus quam ſubigi poſſunt, alienis, crudis, dyſpeptis. 2. Retentione eorum quæ evacuanda erant, ut in alvo adſtricta. 3. Defectu & aliena indole humorum ſalivæ, ſtomachi, pancreatis ſucci & bilis. 4. Minori actione ventriculi, & inteſtinorum, deficiente manducatione, corporis quiete, ætate puerili & ſenili, debilitate virium, quibus conceditur corruptio ſpontanea, cruditas, aciditas, rancor. 5. Interdum febris morbique chronici per metaſtaſin huc deponunt materiem.

III. Collecta cacochylia varia inducit ſymptomata, quæ ſimul latentis ſigna ſuggerunt 1. Circa Ventriculum anorexiam, dyſpepſiam, faſtidium, nauſeam, ſaporem in ore alienum, ructum, ſingultum, cardialgiam, anxietatem, hypochondriorum intumeſcentiam, gravitatem, tenſionem, vomitum. 2. Circa Inteſtina & in Ventre, colicam, flatus, borborygmos, alvi excrementa copioſa, cruda, varia, choleram, lumborum dolorem, gravitatem, a quibuſdam nephritidem dictam. 3. In reliquo corpore debilitatem, inquietudinem, inſomnia, vertiginem, ſyncopen, cephalalgiam, cachexiam, colorem morboſum, incaleſcentiam, febrem ephemeram, intermittentem & remittentem, horrorem, cruditatem, exanthemata, genuum gravitatem, laſſitudinem, ſudorem, tuſſim ſtomachalem.

IV. Statim 1. omittenda ingeſta hunc morbum inferentia, & ingerenda cupepta, minori quantitate. 2. Si abundantia collecta urget, illa expellenda vomitorio, aut purgante, ſi natura ſe ſponte non exonerat. 3. Defectus adfluentium humorum ſaponaceis ſupplendus. 4. Deficiens actio erigenda ſtomachicis, & ſi alvus ſit tardior eligenda ex his, quæ ſimul alvum laxant. Sed quando acrimonia ſimul adeſt, aut ſpaſmodica contractio, purgantia ſunt miſcenda anodynis. 5. Ex metaſtaſi nata eget reductione ad priora loca.

376. ALVI EXCREMENTA.

I. In ſanis hominibus conveniens eſt, ut reſiduum adſumtorum, & portio adfluentium humorum inutilis facta, ſemel de die per alvum reddatur, quantitate, conſiſtentia, colore, & odore naturali donata, quod emiſſum vocatur Alvi excrementum. Ab his ſi recedat, multi naſcuntur morbi.

II. Collecta enim in inteſtinis præbent Alvum adſtrictam. Effuſa ex ruptis inteſtinis in cavum ventris, mortem ſolent inferre; ſed per alienas vias extra corpus, ærumnoſam vitam producunt, quæ via aperta ſervanda donec natura naturalem commonſtret.

III. Homini ſano temperate viventi convenit quotidie reddere inter quatuor & ſex uncias, minus reddens refertur ad alvum adſtrictam, hanc copiam multum ſuperans in alvi fluxu traditur; patitur autem ſanitas ut paulo copioſiora & pauciora reddantur, & in morbis ſæpe cum levamine copioſiora egeruntur.

IV. Excrementa mollia, compacta, configurata, ſi 1. fiant liquidiora, tenuia, ſoluta ex defectu abſorptionis, vel ex colliquatione, malum, ſed ex prægreſſa humidi abundantia, bonum præſagiunt. 2. Tenacia, glutinoſa, limoſa, grumoſa, dura, ſicca, caprina, ſemper mala, quia magnum defectum, vel retentionem humidi ſignificant & difficulter exonerari poſſunt.

V. Color varius varias cauſas ſuggeret 1. Albus & pallidus ex materia chyloſa defectum abſorptionis arguit. Ex pituita & muco inteſtinorum, hujus abundantiam, defectum motus particularis, vel acrimoniam in ea latentem declarat. Ex Pure, latens in inteſtinis ulcus arguit, raro per metaſtaſin alvus reddit purulentiam. 2. Rufus, flavus, bilioſus ab adſumtis tingentibus nihil indicat; ſed in bilis abundantia circa hypochondria, & ictero, vel bile ad encephalon delata, ſalutare, ſi levamen adfert, nihil levans malum. 3. Cineritius, fuſcus, griſeus, ferrugineus ſemper humorum corruptelam indicat. 4. Æruginoſus, herbaceus, viridis, porraceus, ut plurimum a bile corrupta cum acido prædominante oritur. 5. Niger color ex meconio, & adſumtis, nihil boni vel mali indicat: ex ſanguine hæmorrhoidum ut plurimum bonum; ſed ex altioribus inteſtinis veniens, malum: ex melancholia ſæpe levamen: ſed ex materia ſphacelata mortem inſtare notat. 6. Ruber a ſanguine tingente, petit indicium ex diarrhœa, vel dyſenteria cruenta, vel ex hæmorrhoidibus fluentibus.

VI. Inodora excrementa mala niſi in infantibus; alienus odor & fœtor ab adſumtis nihil indicat; a ſtagnantibus in inteſtinis facile ſuperatur ſervata alvo laxiore; ſed ex confluentibus humoribus proveniens fœtor, corruptelam & putredinem humorum periculoſam arguit; acidum ſpirans hujus acrimoniam demonſtrat.

VII. Emitti debent cocta & miſta ſine dolore; ſed acria, calida, frigida, cruda, corrupta, putrida, colliquata, ichoroſa, torminoſa, lævia, ſplendentia, ſpumoſa, varia, & mera, omnia mala ſunt.

VIII. Interdum cum vel ſine excrementis emittuntur 1. flatus, 2. infecta, ſæpe vermes viventes vel mortui, quod melius; 3. calculus, carunculæ, filamentoſa, membranoſa, grumoſa, inteſtinorum morbos arguunt.

377. MECONII MORBI.

I. Specialia alvi excrementa nigra in fœtu & in infante brevi poſt partum, Meconium dicta, ſi ante nativitatem exeant, fœtus mortem præſagire ſolent. Retentum autem meconium defectu coloſtri, debilitate inteſtinorum vel abdominis, tenacitate aut craſſitudine ſua, leniſſimo eccoprotico parva copia ſimul dato, clyſmate injecto & abdominis ſuſtentatione educendum, ne inteſtina infarciat, & corruptela ſuſcepta, tormina, agrypniam, & convulſionem inferat.

378. ALVUS ADSTRICTA.

I. Longiori temporis intervallo, vel ſtercora parciora, duriora, craſſiora magiſque compacta, ejiciens, dicitur Alvo adſtricta laborare.

II. Duplex hujus parcioris evacuationis eſt pertractatio 1. In morbis & cauſis alvum adſtrictam facientibus. 2. In iis, quæ alvum non ita faciunt adſtrictam, ſed quæ ex alvo adſtricta ſuperveniente mutant prognoſin & curationem.

III. Inter cauſas alvum conſtipantes eſt parcior ingeſtio per os, ut in impedita deglutitione, inedia, maxime in potus abſtinentia & ſiti tolerata: hæc copioſiore ingeſtione facile emendatur.

IV. Hoc etiam fit parciore adfluxu ſalivæ, ſucci ſtomachici, pancreatis, inteſtinorum & bilis, quando ſaponacea diluentia copioſiora ſunt ingerenda.

V. Quæ fit in vomitu frequentiore, & poſt finitam purgantis operationem exigit ſtomachica, & continuatum uſum alvum laxantis: ſed in urinæ profluvio, aucta perſpiratione, & ſudoribus copioſioribus, videndum an expediat materiem derivare ad alvum; in ulceribus rheumaticis, ſimul ratio emendationis corrupti habenda.

VI. Retentione autem facta humidi in corpore, uti in hydrope, leucophlegmatia, aſcitide, magniſque tumoribus œdematoſis, alvus adſtricta purgantibus eſt aperta ſervanda.

VII. In febribus acutis, inflammatoriis, ardentibus, ob formatum lentorem, alvus adſtricta laxanda diluentibus, aceſcentibus, reſolventibus, refrigerantibus, leniter alvum ducentibus: ſed in morbillis, variolis, ſcarlatina, exanthematibus febrilibus, ob materiæ derivationem alienam ad inteſtina, non expedit alvum ducere.

VIII. Humores craſſi, crudi, mucoſi, viſcidi, difficilius egerendi, in multis morbis chronicis, cacochymia, cachexia, ſcorbuto, melancholia, egent moderata evacuatione per reſolventia aliquamdiu continuata.

IX. In iiſdem quoque morbis (VI, VIII) & motu inteſtinorum languidiore, laxitate, abſorptione minore, debilitate & frigiditate, ſive hoc fiat corporis quiete, ſtudiis ſeverioribus, ſomno longiore, coitu frequentiore, ſive in paralyſi, torpore, pareſi & ſoporoſis, contenta inteſtinorum non propulſa colliguntur, motu corporis, calefacientibus ſtomachicis, purgantibus alvus laxa ſervanda.

X. Si ſubito externum tollatur inteſtinorum ſuſtentaculum, ut poſt partum, abortum, menſium profluvium, paracentheſin, colliguntur ſtercora in parte minus ſuſtentata, tunc per artificioſum ſuſtentaculum propulſio adjuvanda, addito leni ſtimulo purgante.

XI. Inteſtina Compreſſa externe a tumore, ſcirrho, procidentia, hernia, in gravidis, menſium vel lochiorum retentione, exigunt ablationem cauſæ prementis, dum purgantia malum augent.

XII. Quæ naſcitur poſt vulnera, abſceſſum, ulcus, validamque inteſtini diſtentionem, arguens inteſtinum fuiſſe ruptum & feces in cavum ventris effuſas, omnem medelam renuit: ſi vero per aperturam extra ventrem deponuntur fæces, miſeram vitam diu protrahunt.

XIII. Inteſtina concreta, cartilaginea facta, anguſtata in ſuis lateribus, vix admittunt medelam, niſi per adſumta adſtringentia, auſtera, animi pathemata, frigus externum applicatum, vel convulſionem in fibris, inteſtina contracta fuerint, quando reſolventibus, anodynis, calidis applicatis vel antiſpaſmodicis laxatur alvus.

XIV. Pars inteſtini dilatata, ut in ſuſtentaculi ablatione, colico dolore diu vexatis, vel ſtercoribus diutius retentis, aut flatibus diſtentis, in ſe colligit ſtercora non potentia intrare reliquam partem anguſtiorem: in his ſervata medicamentis alvo laxiore, prævenienda eſt in parte dilatata collectio.

XV. Si craſſiora aliena fuere deglutita, ſtercus aut meconium induratum viam intercludunt, injectis chlyſmatibus diluentibus, pinguibus, facilitandus eſt exitus: mucoſum, viſcoſum & aphthoſum, ſi ſimul occupat inteſtina tenuia, leni alvi ductione eſt eliminandum.

XVI. Tandem ſi ab ani tuberculis, hæmorrhoidibus, concretione, coalitu, aliiſque hujus partis morbis, viſu & tactu detegendis, denegatur exitus, curatio ad tollendos iſtos morbos eſt dirigenda.

XVII. Alvus adſtricta in variis anni temporibus, aeris tempeſtatibus, vento, frigore, calore, ætate varia, dentientibus, gravidis, puerperis, varia præſagia præbet.

XVIII. Partium morbi, partim quia alvum conſtipant, partim quia alvo laxiore egent, diverſam prognoſin præbent & curationem exigunt: uti morbi partium adjacentium, uteri, veſicæ, perinæi, omenti, lienis, meſenterii, & maxime inteſtinorum; partium conſentientium, capitis, colli, pectoris, pulmonum, ventriculi, hepatis, renum, lumborum, nervorum, vel augentur, vel generantur alvo adſtricta.

XIX. Tandem quia in alvo conſtipata ſiſtitur naturalis excretio, multi morbi cum alvo conſtipata intenduntur: nimis autem copioſum eſſet omnes recenſere.

XX. Ex alvo conſtipata generatur inteſtinorum impletio, ſtagnantis induratio, corruptio, ambientium compreſſio, irritatio, totius tandem corporis infectio.

XXI. Hujus curatio petenda ex variis cauſis allegatis.

379. DIARRHŒA.

I. Frequentior & copioſior excrementorum per anum depoſitio ſine dolore a cauſa interna morboſa, Diarrhœa vocatur.

II. Differt ergo ab Hypercatharſi medicamento purgante concitata; abſentia doloris a Dyſenteria; excrementis exeuntibus a Diarrhœa, & Dyſenteria cruenta; alimenta cruda exeunt in Lienteria; flatus emittuntur in Diarrhœa & Dyſenteria ſicca, chylus cum excrementis in Cœliaca deponitur; liquor inſtar loturæ carnis exoneratur in Fluxu hepatico.

III Tres ſtatuuntur ſpecies. Prima ſi emittuntur ſine torminibus varia excrementa. 2. Si deponitur ſanguis quando vocatur Cruenta. 3. Si multi flatus loco excrementorum emittuntur quando Sicca dicitur. Faciunt quoque Criticam & Symptomaticam Diarrhœam auctores.

IV. Ut omnes copioſiores Evacuationes (168, 111) ex variis naſcuntur cauſis, ita etiam Diarrhœa, quæ ſpeciali methodo curandæ ſunt.

V. Collecti humores alieni in ventriculo & inteſtinis, poſt copioſiorem ingeſtionem, vel diuturniorem retentionem, in apepſia, dyſpepſia, nauſea, faſtidio, anorexia, cruditate, criticam Diarrhœam inferre ſolent brevi ceſſantem, & non ſiſtendam, niſi evacuato alieno: manens autem diutius, compeſcendus eſt motus inordinatus anodynis.

VI. Nimius Motus inteſtinorum, in animi pathematibus, hyſterica paſſione, convulſione, aut conſenſu in nephritide, dentitione, gravidis, puerperis, vulneratis perſeverantem Diarrhœam inferens, quia nihil morboſi evacuat, anodynis nervinis compeſcendus.

VIII. Si autem bilis aliena, aut ſuccus pancreaticus, vel humor melancholicus in inteſtina confluens, alvi fluxum concitat, horum humorum evacuatio promovenda eccoproticis, ſed poſt evacuationem alvus ſiſtenda anodynis leniter adſtringentibus.

VIII. In morbis vero malignis, colliquativis, hectica, phthiſi, pure, putredine, corruptione, contagioſis, malum ſignum præbet, neque ſiſtenda, neque augenda, ſed curatis iſtis morbis minuenda.

IX.

IX. Ex humorum Metaſtaſi bona eſt in ophtalmia, ſopore, delirio, apoplexia, cephalalgia, capitis & colli morbis: ſed interdum bona interdum mala in febribus continuis, acutis, hydrope, podagra, arthritide & morbis cutaneis. In his bonam metaſtaſin faciens, eccoproticis promovenda; ſed in reliquis perpendendum an promovenda vel ſiſtenda ſit.

X. Perſeverans alvi fluxus 1. Solidorum inducit laxitatem, inanitionem inteſtinorum & ani morbos varios. 2. Humores nimis minuuntur quantitate, unde macies, atrophia: ſimulque corrumpuntur, ut fiat cachexia, corruptio, phthiſis: interdum hydrops, leucophlegmatia, pedum œdema. 3. Vires multum minuuntur, frequentes ſpaſmodicæ adfectiones, palpitationes, anxietates, ſingultus & multa alia mala fiunt.

XI. Ob diſtinctum emiſſum humorem, ſpecialem curationem, & quia confunditur cum dyſenteria cruenta, cui ſemper adeſt ſimul dolor, cum hepatico fluxu, qui emittit humorem inſtar loturæ carnis, & cum hæmorrhoidibus fluentibus, quæ ſanguinem per anum præmittunt vel obvolventem excrementa, Diarrhœa cruenta, quæ quoque Inteſtinorum Hæmorrhagia vocari poteſt, ſpeciali loco exponenda eſt. Emittitur in hac merus ſanguis vel excrementis intime miſtus per anum, ſine dolore, ſed cum frequenti dejectione. Hæc evacuatio potius anodynis & abdominis ſuſtentatione minuenda, quam purgantibus expurgare, aut adſtringentibus coagulare, quæ vas apertum non adtingunt. Hæc ſi fiat a majore impetu ad inteſtina venæ ſectione compeſcenda; ſed ex ſanguinis tenuitate aut colliquatione, potius antiſeptica leniter adſtringentia adhibenda.

XII. Si vero loco humorum ſine dolore emittitur fere continuo aer, talis egeſtio Diarrhœa ſicca vocanda ex borborygmi & crepitus cauſis intelligitur & curatur.

380. DYSENTERIA.

I. Copioſa & frequens alvi dejectio cum ventris torminibus Dyſenteria dicitur: ſi ſanguinem deponat tunc alvus, Cruentam; ſed ſi emittat loco excrementorum multos flatus, Siccam vocant. Quandoque mera Sanguinis dejectio ſine multo dolore Dyſenteria vocatur, dum potius Diarrhœa cruenta ſit vocanda.

II. Cauſa ergo eſt acre irritans in Inteſtinis dolorem & motum majorem movens, quo ad inteſtina confluunt humores, qui dein propelluntur ad anum & emittuntur: quod irritans relinquitur aut ſcaturiginem habet. Manente cauſa ſanguis majore impetu ad inteſtina fertur, dilatat vaſa, vel oſcula corrodit & ita ſtillat ſanguis in cavum inteſtinorum, qui dein deponitur.

III. Si in plethoricis, hæmorrhagiis, menſibus, & ut quidam dicunt, lochiis ſuppreſſis, ſanguis ſimul acrior factus cum impetu ad inteſtina fertur, & ita cum dolore depoſitus, propriam ſuam medelam adfert: niſi quod leniter adſtringentibus mucilaginoſis anodynis nimius impetus & roſio ſunt temperanda.

IV. Si ex pinguium abuſu, tempeſtate & temperamento calido & ſicco, nauſea, faſtidio, anorexia, cardialgia, colica, vomendi conatu, vomitu, & dejectione bilioſa, flava viridive conſtet Dyſenteriam naſci ex bile acri, hæc alte hærens vomitorio & diluente ſaponaceo aceſcente eſt ejicienda, ſi autem in inteſtina delata fuit materia, ſtatim repetita alvi ductione cum intermiſto anodyno evacuanda. Bibat interim æger potum aceſcentem leniter adſtringentem.

V. In lienoſis, catarrhoſis, prohibita perſpiratione, hydropicis, tempeſtate frigida & humida, pituitoſis, ſcorbuticis, leucophlegmaticis, œdematoſis, Dyſenteria notat lympham ſuſcepiſſe corruptelam: ſi præceſſerit lymphæ abundantia, ſolummodo moderandus eſt fluxus roborantibus antiſepticis: ſed ſine abundantia prægreſſa conducit cum iiſdem humorem derivare ad cutim diaphoreticis.

VI. Materia melancholica in vena portarum, meſenterio, hepate, liene, diu deten-

detenta, corrupta, ad inteſtina depoſita, nigris ſplendentibus excrementis prodeuns, periculoſiſſimam dyſenteriam inducit, quando blanda alvi ductione per ſaponacea aceſcentia, materia eliminanda, cum interpoſito anodyno, ne nimis ruat.

VII. Poſt frequentem & copioſam ingeſtionem, ventris oppletionem, gravitatem, dyſpepſiam, anorexiam, crepitum & murmura atque flatus cacochylia nata ſenſim acrior facta ſi Dyſenteriam faciat, ſe ipſam curare ſolet, vel egeſtione promota per alvum laxans, cum anodyno inſuper dato facile curatur.

VIII. Mucus inteſtinorum naturalis acre recipiens pertinaciſſimam & periculoſiſſimam dyſenteriam inducit, cum ventris validiſſimis torminibus, os ſæpe aphthis obſeſſum eſt, & ægri deponunt membranoſa, mucoſa, tandem purulenta: niſi eliminetur purgantibus ille mucus, & dein compeſcatur tumultus anodynis, ſæpe repetitis, plerumque mortem adfert. Conducit his, purgantibus quoque admiſcere anodyna.

IX. Si Contagium volatile, ut interdum in principio conſtitutionis epidemicæ, ventris dolorem infert cum multorum flatuum emiſſione, quando vocatur Dyſenteria ſicca, diluentia aceſcentia copioſe ingerenda & iniicienda, dein anodyno diaphoretico ad cutim determinanda materia.

X. Quæ generatur ex colliquatione humorum, in phthiſicis, hecticis, purulentis, putridis, ſphacelatis, omnem medelam reſpuit.

XI. Materia bilioſa acris delirium, phrenitidem, cephalalgiam, anginam, colli pulſationem & febrem producens, ad inteſtina delata, cum levamine emittitur. Sed podagrica, arthritica, rheumatica & puſtuloſa materia, ſudor, ſalivatio aut ulcus ſuppreſſum, minus bonam metaſtaſin præbet, quia per alvum non ſatis commode hæc materia emittitur.

XII. Gravidis, puerperis, lactantibus, damnoſa, & ociſſime curanda, ne nimis detrahat materiem nutritioni & lactationi deſtinatam, aut fœtum extrudat.

XIII. Quo 1. copioſiora, magis nigra, fœtida, ſplendentia, cruenta, mucoſa redduntur excrementa, eo pejus. 2. Inducens agrypniam, debilitatem, febrem hecticam, faciei pallorem, maciem, oculos cavos, pulſum debilem, ſyncopen, ſitim intolerabilem, vertiginem, periculum auget. 3. Si ſimul fiat vomitus, ſingultus, reſpiratio difficilis, linguæ inflammatio, aphthæ, nauſea, anorexia, delirium, deglutitio difficilis, angina, dyſuria, cardialgia, ob conſenſum vel metaſtaſin interimit. 4. Inde anodynia, adipſia, frigus extremarum, horror ſine ſubſequente calore, flatuum pedendo exitus cum magno fœtore, quæ ſphacelum indicant, mortem inſtare ſignificat. 5. Diu durans exulcerat inteſtina, generat ani procidentiam, lienteriam, atrophiam & in teneſmum deſinit; ſæpe alios eodem contagio inficit.

XIV. Optima prophylaxis in epidemicis eſt evitare contagium, in aliis ſervare alvum laxam, modico ſemper uti cibo, cavere exhalationis excrementorum inſpirationem.

XV. Ut hic ab aliis diſtinguatur morbus, ſciendum eſt Diarrhœam non præbere ventris dolorem. Lienteriam deponere chyloſa excrementa. Choleram materiam bilioſam ſurſum & deorſum emittere. Hæmorrhoidum fluxum egerere ſanguinem ex ſolis ani vaſis ſine ventris dolore. Hypercatharſin ab adſumto medicamento inductam eſſe. Volvulum non reddere per anum ſed per os. Colicam non emittere excrementa.

381. HEPATICUS FLUXUS.

I. Hepaticum fluxum ſine dolore diſtinguunt ab aliis alvi profluviis Auctores, egeſtione copioſiore humoris ſeroſi inſtar loturæ carnis, qui magis nigricans ad Hepaticum fluxum ſpurium reducitur.

II. Hunc fluxum producere ſolent 1. Morbi acuti, ardentes, febriles, in colliqua-

liquationem tranſeuntes. 2. Morbi chronici ſuperveniente corruptela ſpontanea omnem fere cohærendi potentiam exſtinguente. 3. Actio hepatis debilior materiem bilioſam imperfecte præparatam copioſius per coledochum in duodenum deponens. 4. Sanguis venæ portarum liquatus per vaſa cruenta meſenterii relaxata in cavum inteſtinorum ſtillans.

III. Ratione copioſioris evacuationis omnia fiunt, quæ in humorum defectu tradita ſunt. Quæ quoque ex remanente humore colliquato oriuntur, facile ex generali cognitione Colliquationis intelliguntur. Actio hepatis particularis in ventre producit frigiditatem, & gravitatem. Corpus totum pallet, friget, emaciatur; generatur inappetentia, faſtidium, & apepſia.

IV. Morbus curatu eſt difficilis. Interne longo tempore adhibenda roborantia, antiſeptica, ſtomachica; ne effuſa retineantur aliquid rhabarbari his admiſcendum. Abdomini applicanda roborantia ſtomachica.

382. LIENTERIA.

I. Copioſa, frequens, alimentorum vix mutatorum per alvum egeſtio, vocatur Lienteria.

II. Adeſſe debet in hoc morbo adſumtio alimentorum, ſed deficiens tranſitus per lactea, cum valente actione propellente ad anum, ſed exſtincta pepſi.

III. Dum mucus inteſtinorum copioſior vel viſcidum, crudum, putrefactum tenax, bilis viſcoſa vel deficiens obturat oſcula lacteorum, confectus chylus devolvitur ad anum, quod in aphthis ſæpe obſervatur. Hoc ex linguæ & faucium inſpectione, ventris intumeſcentia, & excrementis viſcoſis, conjicimus. Quando purgante reſolvente ſaponaceo, amaro, oſcula ſunt aperienda.

IV. Sed via intercipitur per lactea vaſa ſi glandulæ meſenterii ſtrumoſæ aut ſcirrhoſæ ſint. Difficile cognoſcitur & curatur: grumoſa, reſinoſa reſolventia ingerenda & ventri applicanda cum frictione ad curationem.

V. Ventris intumeſcentia cum frigoris ſenſu arguit actionem inteſtinorum abſorbentem exſtinctam eſſe, quando per roborantia ſtomachica vires inteſtinorum ſunt augendæ.

VI. Continuata illa evacuatione corpus privatur ſuo pabulo, unde debilitas, pallor, atrophia, macies, vertigo, ſyncope, reſpiratio difficilis, ſitis. Accedente corruptione ex defectu generantur dolores, cachexia, maculæ, puſtulæ, oris ulcera, dyſenteria, excrementa fœtentia, nigra. In inteſtinis ſæpe generantur vermes, multique flatus, & tormina. Flatus poſt dejectionem emiſſus juvat, ut & ructus acidus, qui antea non adfuit. Tandem conſumitur corpus phthiſi, vel extremæ partes & articuli tument.

383. CŒLIACA.

I. Frequentior & copioſior alvi egeſtio, in qua excrementa aliquomodo præparata cum chylo ſimul deponuntur, Cœliaca vocatur.

II. In ea ventriculi & inteſtinorum coctio aliquomodo valet, ſed interceptus eſt tranſitus præparati in vaſa lactea.

III. Eadem fiunt, quæ in Lienteria proponuntur.

IV. Tota curatio conſiſtit in aperiendis vaſis lacteis obſtructis, unde in principio eccoprotico reſolvente inteſtina expurganda, dein reſolventibus ingeſtis & ventri applicatis, atque frequenti abdominis frictione obſtructa lactea reſeranda.

384. VOLVULUS.

I. Vehemens abdominis dolor circa locum inteſtini ilii, in quo generatur vomitus omnium contentorum, manente alvo conſtipata, vocatur Volvulus, Iliaca

ca paſſio, Tormentum, Chordapſus, & Miſerere mei. Conjunctis his facile diſtinguitur a Vomitu, Alvo adſtricta, & Colica.

II. Omnes cauſæ validum dolorem inteſtinis tenuibus vel meſenterio inferentes, quæ ſimul concitat inteſtinorum & ventriculi inverſum motum, hunc morbum inferre poſſunt.

III. Alvi excrementa compacta ſubſiſtentia, aliena duriora deglutita, concreta, cacochylia, vermes, venena aut acrimonia quævis, tranſitum per inteſtina impedientia, clyſmate molli ſunt eluenda, & abdomen fovendum cataplaſmate calido: poſt ejectionem anodyno compeſcendus motus inordinatus. Corruptus humor in inteſtinis genitus vel eo depoſitus, bilis acris, & melancholia Volvulum inferens potu copioſo antiſeptico prius eluendus, dein motus anodynis compeſcendus.

IV. Hernia quævis cum exitu inteſtini, niſi mature reponatur certiſſimam mortem infert.

V. Inteſtinorum vel & meſenterii inflammatio, eryſipelas vel rheumatiſmus, tranſitum intercipiens excrementorum periculoſiſſimum Chordapſum infert fotu & clyſmate antiphlogiſtico, atque phlebotomia curandum. Eadem autem conſtrictio a convulſione, vel per conſenſum, in iſchuria, ſtranguria, dyſuriâ, gravidis, parturientibus, vomentibus, colicis, atque in diarrhœa & dyſenteria, anodynis antiſpaſmodicis eſt curanda.

VI. Morbi autem acuti, febriles, materiem ad inteſtina deponentes anodynis diaphoreticis ad cutim determinandi.

VII. Omnia ventriculi & inteſtinorum contenta, humoreſque in has partes confluentes, atque quædam aliena vomitu reddi poſſunt; unde ſtercora, clyſmata, ſuppoſitoria, vermes, bilis, melancholia, pus, ichor, vomitu ejecta fuere.

VIII. Vomitus & ventris dolor ſemper adſunt cum alvo adſtricta. Flatus, borborygmi, ructus, ſæpe generantur motu inordinato. Si crepitus fœtens pedendo exit moriuntur. Stipatur anxietate, inquietudine, ani contractione, abdominis intumeſcentia, faſtidio, febre, debilitate. Doloris ceſſatio, ſyncope, frigus extremorum, convulſio, alvi excrementa fœtida exeuntia, & ſudor frigidus, inſtantem mortem denuntiant. Singultum, ſtranguriam, iſchuriam, dyſpnœam, delirium per metaſtaſin vel propagationem inferens, periculum auget: parotides autem ſæpe juvant.

IX. Varietas cauſarum non admittit generalem curationem, quare globulus plumbeus, exhibitio mercurii, inflatio aeris vel fumi nicotianæ, vomitorium, acre clyſma, ſummo cum periculo adhibentur.

385. CHOLERA.

I. Vehemens & copioſa materiæ acris, plerumque bilioſæ rejectio per os & anum, quæ raro ultra 24. horas vel duos dies extenditur, dicitur Cholera. Interdum multi flatus cum violentia eodem modo emittuntur, quando dicitur Sicca.

II. Violens & perturbatus ventriculi & inteſtinorum motus, quo contenta harum partium, & quæ per ductum choledochum, pancreaticum, & vaſa meſeraica, influere poſſunt, ejiciuntur, Choleram cauſat.

III. Ingeſta copioſiora, maxime pinguia, & dyſpepta, in cavo ventriculi & inteſtinorum retenta, cacochyliam rancidam producentia; hunc morbum ſæpe generant, qui poſt ejectam materiem & ſedato tumultu, ſine multo periculo ceſſat: conducit adjuvare potu tenui ſaponaceo aceſcente evacuationem, & dein narcotico ſtomachico acido ſedare concitatum motum.

IV. Interdum vero ſine prægreſſa illa cauſa, generatur materia Bilioſa corrupta copioſior, producens leipyriam, cum multa anxietate & ardore, in organo bilioſo & vena portarum, quæ erumpens in cavum ventriculi & inteſtinorum, diriſſi-

diriſſimum hunc morbum infert: hic in principio, ut præcedens ſpecies curandus, ſed ſi diu vomuit; ſtatim anodynis, ſed parva doſi ſæpe repetita in parvo vehiculo, curatio abſolvenda.

V. Interdum vero ſine materia viſibili in dentitione, dolore, graviditate, concitatur in his partibus tumultus, quo loco ejectionis materiæ bilioſæ, multi emittuntur flatus. Cavendum tunc a vomitorio & purgante, ſed anodynis, nervinis, ſtomachicis ſedandus eſt motus.

VI. Menſe Auguſto ut plurimum generatur in aere quædam malignitas, quæ periculoſiſſimam & brevi necantem Choleram infert. Experientia conſtat frequentiore & majore doſi opii hunc morbum ſedari poſſe.

VII. Quæ per vomitum & alvum ejiciuntur, ſunt copioſa, plerumque bilioſa, pinguia, rancida, acria, inferentia nauſeam, tormina, anxietatem, dolorem lumborum, ventriculi & ventris intumeſcentiam aut convulſionem: dein in reliquo corpore, ardorem, inquietudinem, febrem, debilitatem. Si inde fiant extremorum convulſio, aut frigus, ſudor frigidus, oculi excavati, facies cadaveroſa, ſyncope, ſingultus, urinæ ſuppreſſio, vocis defectus, pulſus debilis vacillans, brevi tempore moriuntur ægri.

386. HYPERCATHARSIS.

I. Poſt datum medicamentum purgans major alvi egeſtio concitata, quam quæ ſanitati aut morbo convenit, Hypercatharſis vocatur.

II. Generatur hoc malum a medicamento purgante fortiore, vel majore doſi dato, vel adhærente plicis inteſtinorum: aut quando doſis prior ingeſta non ſoluta, a ſequente ſimul ſolvitur. In hoc caſu danda potio largior & acidula, dein tumultus compeſcendus anodyno.

III. Ætas tenella, puerpera, gravida, convulſioni ex mobilitate obnoxii, ex minima interdum doſi in Hypercatharſin incidunt, & multa alia mala: his ſi purgans dandum eſt, iſtud anodyno permiſcendum, & parva copia ſæpe repetita exhibendum: ipſa hypercatharſis nata anodyno nervino compeſcenda.

IV In cholera, melancholia, dyſenteria, bile acri, purulentis, phthiſicis, hecticis, putridis, colliquativis, aliave tenuitate laborantibus, doſis mediocris purgantis, facta derivatione ad alvum, tantam non raro concitat hypercatharſin, quæ nullis auxiliis auſcultat. Hoc in caſu ſtatim danda iteratis vicibus anodyna, calefacientia, refrigerantia, roborantia, antiſeptica pro natura humoris peccantis.

387. TENESMUS.

I. Frequens & irritus conatus egerendi alvum, non exonerans alvi excrementa, ſed ſæpe aliquid ſanguinei vel mucoſi, dicitur Teneſmus.

II. Multæ cauſæ ob diverſam curationem ad ſequentia genera referri poſſunt.

III. Omne irritans in ano relictum, ut aliena deglutita hic ſubſiſtentia, calculus hic natus aſperior, vermes vellicantes, ſuppoſitoria acria indita, & purgantia acriora exhibita pariunt Teneſmum brevi poſt horum ablationem ceſſantem.

IV. Sed morbi ipſius ani, inflammatio, eryſipelas, fiſſura, fiſtula, ulcus, hæmorrhoides, topicis applicatis his morbis aptis curandi, ſi Teneſmum inferunt.

V. Curatu autem & cognitu eſt difficilior natus ex materia catarrhoſa, pituitoſa, acri, bilioſa, melancholica, eryſipelatoſa, febrili, putrida, cruda, acri, rheumatica, ad anum depoſita, quia hujus materiæ variam emendationem, evacuationem, & derivationem exigit.

VI. Si vero Mucus abraſus fuerit in alvi fluxu & maxime in dyſenteria, aut tranſitu ſtercoris durioris, indita mollia ſanant, quibus admiſcenda antiſeptica, ſi remanens mucus ſimul ſit acrior.

VII. Denique Anus ex conſenſu teneſmum infert in morbis inteſtinorum reliquorum, hypochondriorum, veſicæ, urethræ, perinæi, proſtatarum, vaginæ, uteri, in iſchuria, ſtranguria, gravidis, abortientibus, parturientibus, fœtu mortuo, puerperis, menſtruantibus, lochiorum & menſium ſuppreſſione, qui curatur generali curatione conſenſus, & ſublatis morbis conſenſum facientibus.

VIII. Continuus ille egerendi conatus ſæpe generat abortum, procidentiam, hæmorrhagiam: & ex materia irritante exſpectamus ani ulcus, fiſtulam, condyloma, hæmorrhoides: atque ſtercora, bilioſa, purulenta, ichoroſa, mucoſa, varia reddit: ſæpeque infert ſtranguriam ex conſenſu.

388. COLICA.

I. Colica paſſio ex inteſtini coli dolore nomen habet, ſed his temporibus perperam omnem ventris dolorem exprimit, modo non ſit in partibus externis.

II. Proprie enim a dolente inteſtino colo nomen habere debet, quia a meſenterio & renibus inteſtinis dolentibus, Paſſio Iliaca vocatur. Dolores ventriculi, hepatis, lienis, renum, veſicæ, & uteri, ad dictarum partium morbos referuntur: & qui occupant integumenta & partes ambientes, a colica diſtinguuntur.

III. Ad eruendas cauſas & formandam prognoſin obſervant an ſit fixa, vaga, locum mutans, conſtans, periodica, intermittens, pertinax, palpitans, elevata, propagans, metaſtaſin faciens: huc pertinet Chordapſus & Colica pictonienſis.

IV. Cauſæ multæ reduci poſſunt 1. Ad materiem in cavo inteſtinorum hærentem. 2. Aliunde natam ad inteſtina delatam. 3. Ad conſenſum ex nervis adfectis. 4. Ad morbos inteſtinis & meſenterio proprios qui dolores inferunt.

V. Ingeſta, aliena, acria, ſpirituoſa, aromatica, ſtimulantia, vomitoria, purgantia, ut & venena, ſi tenuia ſunt ſtatim vomitu reddenda, alias per alvum eliminanda, aut actione corporis ſubigenda. Duriora & inſolubiliora, ingeſtis oleoſis, pinguibus, promovenda. Acria in inteſtinis nata purgantibus eliminanda, & nova generatio prævenienda.

VI. Senſim vero introducta cacochylia, bilioſa, pinguis, rancida, putrefacta, non ſolum eductione eget, ſed & temperanda acidis, ſaponaceis, cum abſtinentia a pinguibus & abundantia.

VII. Aer copioſior in inteſtinis motu turbato, putredine, vel fermentatione natus, & ſenſim auctus, diſtendendo dolorem infert, qui anodynis, antiſpaſmodicis, carminantibus, compeſcitur.

VIII. Humores acres vel in toto corpore, vel quadam parte geniti, ad inteſtina delati, pro natura materiæ & morbi varia præbent ſigna & curationes. Uti in podagra, arthritide, catarrho, cachexia, cacochymia, cruditate, ſcorbuto, materia melancholica, evacuatione ſuppreſſa, ſudoris, perſpirationis, urinæ, ſalivationis, alvi, ulceris, hæmorrhoidum; In acutis febribus, ardentibus, epidemicis, contagioſis.

IX. Condolent ſæpe inteſtina ab aliis adfectis partibus. Ut cum utero, in gravidis, abortientibus, parturientibus, puerperis, menſtruantibus, catameniis vel lochiis ſuppreſſis, aliiſque uteri morbis. Vel cum renibus in calculo, diaphragmate, hepate, pedibus. Denique morbi nervorum & eorum ſucci, frequentiſſime colicam inferunt, quæ ut morbi conſenſus & nervorum eſt curanda.

X. Omnes denique morbi dolorem inferentes occupantes Inteſtina vel Meſenterium, ut hernia, paralyſis, inflammatio, eryſipelas, convulſio, mobilitas, hyſteria, animi pathemata, rheumatiſmus, pro natura cauſæ variam curationem exigunt.

XI. Ægri hoc dolore preſſi fiunt inquieti, anxii, vigilantes, ſæpe decumbunt in ventrem, audiuntur murmura, flatus; hi, ſi per ructum vel maxime per crepitum

pitum exeunt, levant. Ventriculum in conſenſum trahens, ut fiat vomitus, nauſea, faſtidium, cardialgia valde malum. Ut & convulſio, cephalalgia, epilepſia, delirium, ſyncope. Aut alvus conſtipata, vel ſtercora caprina emittens, urinam ſupprimens, auget malum. Periculoſum eſt ſi generetur extremarum paralyſis, aut frigus. Sæpe producit tympanitidem, aſcitidem, hydropem, interdum ſuppurationem, icterum, & multa alia mala, ex diverſa cauſa colicam inducente.

XII. Quoniam curatio ſequi debet cauſam, ea varia eſt, ut plurimum tamen ex incerta cauſa nata compeſcitur, anodynis, carminantibus, actu calidis ad ventrem applicatis, clyſmatibus, purgantibus, & emollientibus, interdum antacidis abſorbentibus.

389. BORBORYGMOS.

I. Sonus in inteſtinis concitatus ab aeris involuntaria commotione, vocatur Borborygmos, quibuſdam Murmur & Rugitus.

II. Materia eſt aer vel naturalis, vel productus fermentatione, putredine, corruptione, effervescentia, aut motu inteſtinorum inordinato.

III. Inde 1. Farinoſa, olera, leguminoſa, fructus, dulcia, mellita, ſaccharata, cereviſia recens, muſtum, aliaque facile fermentantia, Borborygmum concitant: quæ ergo in his evitanda, & fermentatio compeſcenda ſpirituoſis, aromaticis, carminantibus. 2. Dyſpepta, pinguia, cruda, ipſaque cacochylia & bilis aliique humores, ſi corrumpendo vel putreſcendo Borborygmos faciunt, condienda acidis ſaponaceis, & leni alvi ductione evacuanda. 3. Ventriculi, & inteſtinorum actio debilior, aut impletio muco vel pituita, impediens adſumtorum pepſin, ſed permittens ſpontaneam corruptionem, ſtomachicis, amaris, ſaponaceis, & roborantibus curanda.

IV. Inteſtina 1. Aere impleta agitata, mobilitate, hyſterica & hypochondriaca paſſione, animi pathematibus aut convulſione, ſi borborygmos faciant, anodynis nervinis compeſcenda. 2. Quod etiam faciendum in ictericis, nephriticis, menſtruantibus, gravidis, puerperis, arthriticis, podagricis, melancholicis, lumborum vel coxæ dolore laborantibus, aut a pedibus refrigeratis, ſi inteſtina per conſenſum inordinate moveantur. 3. Sed inteſtina irritata, purgante, vomitorio, veneno, ablatione eorum, & dein adhibito anodyno ſunt compeſcenda. Hernia reponenda, alvus adſtricta reſeranda, dyſenteria, volvulus, colyca, cardialgia, borborygmos producentia, ſolito auxilio eorum morborum curanda. 4. Si humores acres, in ſcorbuto, catarrho, prohibita perſpiratione, vel ſudore ſuppreſſo, podagra, arthritide, febre, rheumatiſmo, ad inteſtina per metaſtaſim fecerunt Borborygmos, acre iſtud ad ſolita loca derivandum, & præcipue ad cutim.

V. Borborygmi nihil boni præſtant, ſed in cacochylia, bile aliena, & melancholia, ſæpe alvi egeſtionem præſagiunt.

VI. Quia tot variis naſcuntur cauſis borborygmi, nulla generalia eſſe poſſunt Carminantia, niſi ſint Anodyna, quæ minuendo motum & ſenſum ex quacumque cauſa concitatum, inordinatum motum inteſtinorum compeſcunt.

390. CREPITUS.

I. Aer ſeu Flatus in colo vel recto inteſtino collectus, cum ſono, vel pedendo, emiſſus per anum, Crepitus a medicis vocatur.

II. Colligitur & generatur hic ut reliqui flatus. In diarrhœa & lienteria cum ſtrepitu emitti bonum. Colicis ſummum levamen adfert. In Dyſenteria frequens emiſſio, quando vocatur dyſenteria ſicca, epidemicis, hyſtericis, & mobilitate laborantibus plerumque nullum levamen adfert.

III. Cum ſono exire vires pellentes arguunt: pedendo emiſſi debilitatem; fœtidi corruptionem aut ſphacelum indicant: retenti malum augent.

IV. Curatio ex generali flatuum curatione petenda.

391. VERMES INTESTINORUM.

I. Tres ſpecies vermium in inteſtinis deteguntur. 1. Minutiſſimi, quos Aſcarides vocant, in inteſtino recto præcipue hærentes, pruritum ani inducentes, & cum excrementis ſatis copioſe exeuntes. 2. Teretes, totum tractum inteſtini & interdum ventriculum occupantes, craſſitudinem ſtraminis & longitudinem pedis interdum ſuperantes. 3. Tæniæ ſeu Lati & Plani, quaſi ex multis inter ſe nexis, incredibilis interdum longitudinis, minus autem quam præcedentes, frequentes.

II. Alimenta adſumta, vel humores in cavo inteſtinorum ſubſiſtentes, donec ova vermium excludantur, præbent vermibus nidum & pabulum: unde cacochylia, infarctio ventris, ventriculi & inteſtinorum debilior actio, atque deficiens ſaponacitas & efficacia confluentium humorum in inteſtina, toties in pueris & debilibus hominibus, Lumbricos inteſtinorum producunt.

III. A vermibus hic hærentibus duo genera ſymptomatum, uti videtur, concitantur. 1. Morbi inteſtinorum concedentes vermium generationem ſua propria producunt inſuper ſymptomata, quæ vermibus adſcribuntur. 2. Vermes ipſi ſuo motu inferunt tormina, nauſeam, faſtidium, inſolitum inteſtinorum motum, convulſionem, pavores, conſumptione chyli, & pepſis perturbatione multa alia mala inferunt, ut detectu ſit difficile an adſint ſi non ſimul exeant: ſed Aſcarides exeuntes pruritum & teneſmum inducentes facilius deteguntur.

IV. Nidus vermium eſt deſtruendus amaris, ſaponaceis, ſalibus lixivioſis, quæ pituitæ vel muci tenacitatem ſolvunt. Solutum eccoproticis eſt ejiciendum. Actio ventriculi & inteſtinorum eſt adaugenda ſtomachicis, roborantibus, ut impediatur novorum generatio. Si Aſcarides adſint, indito parvo ſuppoſitorio ex terebinthina cocta ad duritiem, in ano, quoties exonerata eſt alvus, prævenitur eorum generatio. Quæ dicuntur de Mercurio & Antimonio, aliiſque vermes necantibus, infida ſunt & periculo non carent.

TITULUS III.

CHOLEPOIESIS MORBOSA.

Organa remota bilis confectioni inſervientia, ſunt Omentum (372) *Lien & Portarum vaſa; proxima vero Hepar & Cyſtis fellea, quæ partes variis morbis corripiuntur, inter quos Hepatitis ſpeciale nomen obtinuit. In his confecta Bilis morboſa ejuſque Calculus hoc titulo exponitur, ſed Icterus* (117) *& Melancholia* (132) *deſcripta ſunt.*

392. LIENIS MORBI.

I. Viſcus in hypochondrio ſiniſtro hærens, pendulum a diaphragmate, ſanguine multo minus concreſcibili in cellulis ſuis turgens, emunctorio ſpeciali carens, motu particulari donatum, Lien ſeu Splen dictum, varios patitur morbos.

II. Ejus Ablatio, & Defectus, quando hepatis moles ut plurimum invenitur major, demonſtrat ejus actionem ad vitam non admodum requiri. Locus alienus incurabilis alios mentitur tumores.

III. Vulnera magna Lienis, mortem inferre ſolent; ejus Contuſio & Compreſſio ſæpe indurationem parit non facile ſolvendam.

IV.

IV. Qui Lienis Tumore laborant Lienoſi dicuntur, qui morbus ſæpe cum ſcorbuto, melancholia, colo, vel parte hepatis ſiniſtra tumente confunditur: ſæpe autem tumet ex hydrope, hydatidibus, vel laborat laxitate & frigiditate; hi liberari ſolent alvi fluxu ſuperveniente, niſi ille producatur compreſſione ciſternæ lumbaris. Hujuſmodi tumores ob varias cauſas non facile admittunt curationem, niſi quæ ex cauſa tumorem producente deducta ſit: Lienis tumor durus, ſcirrhoſus, ſtrumoſus, interna & externa topica reſolventia cum leni frictione exigit.

V. Eodem quoque modo curatur Lienis Obſtructio: ſed ejus Inflammatio, quibuſdam Splenitis dicta, Dolor, Abſceſſus, Ulcus, & Corruptio a generalibus non recedit, niſi quod ſedulo lapſus humoris in cavum ventris ſit præveniendus. Dolor Coli, qui alvi ductione curatur facile, non raro Lieni adſcribitur. Dolor autem ex valido curſu curatur ſponte ſubſequente quiete.

393. PORTARUM MORBI.

I. Vas circulatorium in ventre hærens, partim venoſum, partim arterioſum, cum intermedio trunco, ſanguinem recipiens ex organis chylopoieticis, conducens per hepar in venam cavam, humorem bilis ſecretioni ſuppeditans, Portarum vena dictum, æque quam alia organa corripitur morbis, licet raro deſcribuntur.

II. Quia actione cordis & arteriarum ſanguis venis portarum receptus duci nequit in venam cavam per hepar, ſed juvatur ſpeciali actione hujus vaſis & capſulæ gliſſonii, illa actio debilitata vel ob ablatum ſuſtentaculum minus juvata, aut per rigiditatem aut laxitatem impedita, ſanguinem in toto hoc vaſe colligit, iſtud tumere facit, anxietatem, gravitatem, & contenti corruptionem inducit, qui tunc ſanguis corruptus Melancholia (132) vocatur. In hujus principio artificiali frictione, concuſſione, corporis exercitio, & ingeſtione atque applicatione roborantium, actio illa eſt adjuvanda: diutius ſi duravit ut melancholia curandus morbus.

III. Niſi accedente ſanguine Lienis minueretur cohærendi potentia ſanguinis contenti in ſinu portarum, frequentiſſima fieret Obſtructio; ea autem ſi facta fuit, ſanguine grumoſo, externa compreſſione, vel hepatis aliquo morbo, generat ſanguinis quoque nimiam adcumulationem, & bilis defectum, quæ mala curanda reſolventibus longo tempore adhibitis. Sanguis ille materia bilioſa dives, minus motus & diutius ſtagnans in atram bilem convertitur.

IV. Sanguis in his vaſis ſenſim majore copia collectus, poſt intumeſcentiam & anxietatem hypochondriorum & multa alia mala, ſibi ſæpe pandit viam motu retrogrado per vaſa brevia in ventriculum, meſenterica in inteſtina, hæmorrhoidalia ex ano vel hæmorrhoidibus, cum vel ſine levamine pro natura ſanguinis melancholici evacuati, & relictis partibus adfectis. Horum curatio in melancholia (132) tradita eſt.

394. HEPATIS MORBI.

I. Viſcus in ventre maximum, a diaphragmate pendulum, præcipue in dextro hypochondrio locatum, intus ſolidum, cujus vaſa non collabuntur inanita, arteria parva generali, ſed majore ex vena portarum veniente, nervis & ductu choledocho, donatum, bilem ex adlato ſanguine conficiens & ſecernens, Hepar dictum, ob duplicem receptum ſanguinem, ſpecialem actionem & humorem, multos patitur morbos.

II. Ejus Contuſio, Vulnus, Compreſſio, ob intricatam friabilem ejus fabricam, ingentem copiam vaſorum, effuſionem ſanguinis in cavum ventris, uſum præſtantiſſimum in bilis ſecretione, & facile ſupprimendam circulationem, pejo-

pejora inferunt, quam in partibus reliquis, ſed tamen ſolito modo curanda.

III. Hepar præ aliis partibus facile obſtruitur a ſanguine ferendo per arteriam portarum, vel concreta bile in ductu choledocho, unde toties naſcitur Durities, Tumor, Scirrhus, qui morbi intercipiendo liberam circulationem colligunt ſanguinem in vena portarum, & bilis exitum intercludunt, medicamentis reſolventibus hepaticis curandi.

IV. Hepatis Dolor præcipue in ejus parte ligamentoſa, diaphragma, & pleuram non raro in Conſenſum trahit, unde ſæpe tuſſis, difficilis reſpiratio, pleuritis, quæ ſuperveniente alvi fluxu curantur. Ille dolor cum ardore & pulſatione ad Hepatitidem refertur. Actio ejus debilior inducit hypochondriorum frigiditatem, gravitatem, intumeſcentiam & non raro hydropem.

V. Ejus Corruptio, Colliquatio, Abſceſſus & Ulcus, mortem inferunt, niſi per aperturam in abdomine factam, natura corpus ab alieno illo humore liberet. Calculus & Vermes, non niſi poſt mortem in cadaveribus deteguntur.

395. HEPATITIS.

I. Si invenitur in dextro præcipue hypochondrio tumor ad adtactum dolens, ſine rubedine externa, ſed cum magna anxietate, febre continua, colore icterico per totum corpus, & calore urente, ille morbus vocatur Hepatitis ſeu Icterus ex hepatis inflammatione.

II. Præter generales inflammationis cauſas producitur Hepatitis. 1. Contuſione vel cucurbitulis ad hepar applicatis. 2. Validiore Circulatione, per motum corporis febrilem, vel acria, aromatica, calefacientia, ſpirituoſa aut vomitoria ingeſta. 3. Frigore coagulante, præcipue ſi corpus prius incaleſcat, uti in frigidæ ingurgitatione, natatione, expoſitione aeri frigidiori. 4. Abſtinentia a potu, aut ſiti diutius tolerata. 5. Materia bilioſa, melancholica, purulenta, ichoroſa, in hepate collecta, vel per metaſtaſin ad id delata. 6. Denique aliis hepatis morbis inflammationem concitantibus, ut a ſcirrho, atheromate, ſtruma, vermibus, obſtructione.

III. Ita Hepar inflammatione obſeſſum producit varia ſymptomata. Nam 1. intumeſcens & dolens obtuſe, producit hypochondriorum dolorem, qui ſæpe ad jugulum extenditur, pulſationem, tumorem. 2. Intercipiens bilis tranſitum generat icterum, ſtercora albicantia, alvum conſtipatam, urinam icteritiam. 3. Ex impedito ſanguinis tranſitu per hepar generatur ventris gravitas, anxietas, decubitus impoſſibilis, alvi fluxus, hydrops. 4. Ex Conſentiente vel magis adfecto Ventriculo, producitur cardialgia, cibus torquet ventrem, anorexia, vomitus, nauſea, ſyncope. 5. Sed magis adficiens Diaphragma, parit difficilem reſpirationem, tuſſim, ſingultum, ſputum copioſius, ſuffocationem, pectoriſque ſymptomata. 6. In toto Corpore, colorem icteritium, horrorem, febrim, pulſum debilem, rigorem, puſtulas, vocis raucedinem.

IV. Ita nata in hepate Inflammatio varium exitum habet. 1. In Sanitatem ſi ſenſim cum inflammatione reliqua minuuntur ſymptomata, alvi excrementa magis tincta prodire incipiunt, & urina minus colorata. 2. In Indurationem diu permanentem. 3. In Abſceſſum, ſuppurationem vel ulcus. 4. Corruptelam, phthiſin, hecticam, dyſenteriam. 5. Mortem. In quibus omnibus varia accedunt hepatitidi ſymptomata.

V. Nata inflammatio antequam in alium morbum abierit, ſtatim reſolvenda ſanguinis miſſione, exhibitis diluentibus reſolventibus, ſaponaceis, antiphlogiſticis, antiſepticis; applicatis iiſdem ad hepatis regionem; injectis clyſmatibus mollibus antiphlogiſticis, quæ alvum laxant; bilioſæ materiæ eliminatio promovenda per blanda & refrigerantia alvum ducentia.

396. CYSTIS MORBI.

I. Receptaculum bilis hepati adhærens, confectam bilem in ſe recipiens, conſervans in opportunum tempus, amaritudinem & flavedinem ei concilians, dein emittens per ductum cyſticum in communem & ita in duodenum, præter morbos Bilis, quoſdam ſpeciales morbos patitur.

II. Ejus Compreſſio a tumefacto hepate vel ventriculo, non permittit bilis collectionem. Vulnerata vel rupta Cyſtis fundit bilem in ventris cavitatem. Obſtructa a calculo aut bile nimis tenaci, ultra modum tumet cum anxietate præcordiorum & colore icteritio; cavendum ne pertundatur. Inflammata contrahitur, bilem neque admittit, neque emittit. Convulſa, icterum abeuntem & redeuntem producit antiſpaſmodicis curandum.

398. BILIS MORBOSA.

I. Vera bilis hepatica & veſicaria quantitate peccans, degenerata, alieno loco detenta, Bilis dicitur morboſa. Ob ſimilitudinem humor quivis morboſus tenuis acer, calorem inferens, maxime ſi flaveſcat, dicitur etiam Bilis morboſa, quamvis ſit Pinguedo liquata, acris, rancida.

II. Bona bilis raro abundat, niſi poſt longum jejunium, vel quando ejus exitu eſt denegatus, uti in ictero: ſed morboſa infert multa mala, ut infra conſtabit. Abundans ſponte reddi ſolet vomitu vel alvi fluxu, & adjuvatur vomitoriis & purgantibus.

III. Hepar ſcirrhoſum, obſtructum, intercipiens bilis ſecretionem & depoſitionem, cum tumore hypochondrii; aut ductus choledochus obſtructus, intercipiens bilis exitum, parit icterum, cum albis alvi excrementis, non curandum niſi conceſſa via bili.

IV. Flavus color bili naturalis, in veſica fellea hærenti præcipue communicatus, forſan ab adlato ſanguine per arteriam hepaticam productus, ab acidis mineralibus in viridem; ab alcalicis in intenſiorem flavedinem convertitur; corruptione & inſpiſſatione ad nigredinem vergit: multa in morbis ſuggerit indicia, dum ejicitur bilis per os vel alvum, vel miſcetur ſanguini in ictericis. Nam Pallidior fit bilis in chloroſi, debilitate, cruditate, & alia imperfecta præparatione: quæ curanda amaris calefacientibus, roborantibus. Flavum nimis colorem & vitelli conſiſtentiam adquirit in infantibus poſt ejectum meconium, quam bilem coloſtro, vel leni eccoprotico, commode ejicimus; hæc autem retenta, accedente aciditate adſumtorum, facile viridem colorem induit. Sed Liqueſcens circulantibus miſta, corpus colore icteritio tingit. Cum prædominante acido in primis viis convertitur in colorem Cœruleum, ſeu Viridem, quem Æruginoſum, Porraceum, Glaſteum, vel Iſatodem vocant: qualis bilis per alvum præcipue eſt exoneranda, ejuſque aciditas alcalicis & alcaleſcentibus eſt extinguenda. Nigra autem bilis ex corruptione vel admiſtu ſanguinis venæ portarum in Melancholia (132) exponitur. Iidem colores inducti ex mutata pinguedine, adſumtis pinguibus, abſtinentiam, & uſum ſaponaceorum, cum ſtomachicis exigunt.

V. Bilis cohærendi potentia oleo tenui comparanda ſi major fiat, in Tenacitate, Viſciditate, & Vitellina, vel concreta Grumoſa, aut Amurcoſa, reſolventibus amaris, alcalicis eſt minuenda & educenda. Calculos autem formans ſpeciali titulo exponi ſolet.

VI. Bilis ut alii humores Corrupta, varios induit colores & conſiſtentiam cum vehementi acrimonia, quæ exſtingui vix poteſt, ſola leni alvi ductione eliminanda, acidiſque ſaponaceis infringenda.

VII. Ejus Fluxus & depoſitio impedita, & ita ſanguini miſta, Icterum (117) pro-

producit: ſed ex rupto organo fuſa bilis in cavum ventris incurabilem Tympanitidem (342) generat.

VIII. Morboſa bilis multa & varia inducit ſymptomata. 1. Ex abundantia, defectu, colore, conſiſtentia & corruptione. 2. In primis ſolis viis hærens vel per totum corpus diſperſa, aut ruptis repagulis effuſa. 3. Retenta vel ſimul excreta. 4. Ceſſante ejus naturali functione in chili præparatione. 5. Parte varia quam ſanguini miſta præcipue adgreditur. Hæc omnia inter ſe compoſita infinita fere ſymptomata producunt.

398. CALCULUS IN BILIS ORGANIS.

I. Corpus alienum, concretum, raro lapideum in organis bilis natum, vocatur tamen Calculus (237.)

II. Numerus, figura, & magnitudo calculorum ſunt incerta, & ad cognitionem & curationem vix quidquam præſtant.

III. Quidam flammam alunt, alii non ardent; ſupernatant vel ſubſident; flavum, lividum, viridem, nigrumve colorem habent; alii facile in lixivio ſolvuntur, alii difficilius, quod nimis ſero detegitur.

IV. Frequentiſſima materia eſt pars Bilis oleoſa, lenteſcens, concreta, quæ ſanguini venæ portarum miſta varium præbet colorem, & odorem ſi comburitur: interdum Mucus lacunarum ductus choledochi vel cyſtis, non inflammabilis, magnum numerum calculorum præbet.

V. Frequentiſſimus locus eſt in cyſte exitum bilis intercipiens cum anxietate, cardialgia, & ictero; eodem etiam modo in ductu communi hærens reddere facit alvi excrementa albicantia cum cyſte turgida, & interdum rupta. In radicibus felleis hærens cyſtem fere vacuam relinquit. Depoſiti calculi in inteſtina non raro liberant, & cum excrementis emittuntur.

VI. Optima curatio conſiſtit in ſalibus alcalinis cum leni alvi ductione, quibus materia pinguedinoſa & mucoſa concreta ſolvitur & expellitur. Pertuſio veſicæ fellis ut quidam præcipiunt, non caret periculo, & fiſtulam relinqueret.

TITULUS IV.

DIURESIS MORBOSA.

Diureſis tria genera morborum complectitur, quorum primum refertur ad Urinam ipſam in morbis humorum generalibus (189) deſcriptam. Alterum pertinet ad Organum, Renibus, Ureteribus, Veſica & Urethra conſtans. Tertium continet varios morbos Secretioni & Excretioni urinæ adſcriptos. Nephritidem (347) ad lumborum morbos retulimus.

399. URINÆ ORGANI MORBI.

I. Partes omnes ſimul ſumtæ, quæ urinam ſecernunt, deferunt, retinent per aliquod tempus & dein emittunt, Urinæ Organum conſtituunt, quibus præter motum vitalem quædam actio particularis conceſſa eſt, qua hunc ſpecialem motum efficiunt.

II. Morbi renibus, ureteribus, veſicæ & urethræ proprii, & qui pertinent ad ſpecialem ſecretionem, fluxum & evacuationem urinæ pertinent, propriis in titulis proponuntur. Conſenſus autem & metaſtaſis huc referuntur.

III. Inter urinæ vias, pulmones, pleuram & pectus maximus viget Conſenſus. Inter has vias, vaginam & uterum in feminis, atque cum inteſtino recto & te-

& teſtibus in viris, nexu vel adtactu exercetur Conſenſus. Interdum quoque obſervatur inter has & inteſtina. Hic Conſenſus in praxi obſervandus eſt.

IV. A Pectore, Lumbis & Coxa commode fieri ſolet Metaſtaſis ad vias urinæ: inde vero ad Pectus vel Caput, mala producitur metaſtaſis.

400. RENUM MORBI.

I. Corpora duo fabæ romanæ figuræ; intus lumbis incumbentia; arteria & vena majore, pluribuſque nervis ditata, quam eorum magnitudo requireret; actione particulari donata; ſecernentia ab adlato humore urinam, quam in ejus pelvim colligunt, & ureteres deponunt, Renes vocata, varios generales & ſpeciales patiuntur morbos.

II. Inter frequentiſſimos morbos eſt Calculus (237) qui a quibuſdam vera Nephritis (347) vocatur. Ille in renum pelvi hærens ſua Mole implens introitum ureteris parit obſtructionem, gravitatem, iſchuriam. Ejus Duritie infert dolorem lumborum, anxietatem, hæmorrhagiam ſeu mictum cruentum, renum exulcerationem, abraſionem muci, urinam multo muco, arenulis, aut ſabulone refertam; eadem duritie & frequenti generatione morbi longitudinem præſagit. Alias partes in Conſenſum trahens generat crurum ſtuporem, teſtis retractionem, colicam paſſionem, alvum conſtipatam, cardialgiam, nauſeam, vomitum, anorexiam, icterum, dyſpnœam, abortum, convulſionem. Ex urina ſimul retenta & perturbatis actionibus ſupervenire ſolent agrypnia, debilitas, cachexia, atrophia, febris, tremor, ſyncope, delirium, ſopor. Quæ ſymptomata ſimul latentis calculi præbent ſigna. Curatio a generali non differt: ſed mala ex conſenſu nata anodynis ſunt ſimul cohibenda, alvuſque laxa ſervanda.

III. Reliqua in renibus Aliena, grumus, vermes, viſcidum, pus, obſtructionem producentia, generant iſchuriam, cum ſignis circa lumbos, veſica vacua, atque aliis malis ex retenta urina per totum corpus diſperſis: quæ abigi nequeunt niſi cognitæ tollantur cauſæ.

IV. Renum Dolor ſpeciem Nephritidis præbet, in ejus ſola pelvi perceptus, ex acrimonia, inflammatione, eryſipelate, catarrho, rheumatiſmo, metaſtaſi, calculo, natus, ſemper aliquam moleſtam diureſin inferens, ex conjunctis ſignis diſtinguendus, & ex inventa cauſa curatio inſtituenda.

V. Vaſcula cruenta in renibus relaxata cum tranſeunte urina ſanguinem tranſmittentia, præbent urinam ſanguineam ſedimentum cruentum deponentem, ſine lumborum dolore aut pulſatione, ſed potius frigiditate, roborantibus curandam. Vaſcula autem ex impetu majore rupta, poſt lumborum ardorem & pulſationem, producunt mictum cruentum phlebotomia & refrigerantibus curandum. Vaſcula vero corroſa aut calculo deſtructa, mictum cruentum producentia, oleoſis, mucilaginoſis, & mollibus ingeſtis, conſolidanda.

VI. Ut aliis in partibus ex Convulſione cohibetur actio, ſic in mobilitate, hyſterica paſſione, conſenſu, & animi pathemate, renes contracti, non raro urinæ ſuppreſſionem inferunt, antiſpaſmodicis curandam.

VII. Debilitata renum Actio, vel non ſecernit, vel utiles ſimul humores tranſmittit, qui morbi roborantibus ingeſtis & applicatis ad lumbos ſunt curandi.

VIII. Renes Suppurati vel Exulcerati ex urina purulenta cum ſignis circa lumbos cognoſcuntur, & exigunt balſamica conſolidantia.

401. URETERUM MORBI.

I. Canalis membranaceus ex utroque rene unus, a pelvi incipiens, ſenſilis, ubique non æque capax, intus muco lubricus, facta flexura veſicam intrans, ibidemque receptam urinam deponens, vocatur Ureter.

II. Hic vel ille a calculo, pure, muco, ad introitum veſicæ obſtructus, ad

magnam capacitatem extenditur, & urinæ tranſitum intercipit; ad finem hærens calculus, cathetere tangi nequit, ſed facta apertura in perinæo evacuatus fuit. Si mucus acrior vel calculus, qui ſæpe in medio remoratur per ureteres tranſit, doloris ſentitur deſcenſus a lumbis ad inguina ad pubem. Ruptus vel vulneratus Ureter fundit urinam adlatam in cavum abdominis, vel telam celluloſam. Urinam ſupprimens relinquit veſicam vacuam.

402. VESICÆ MORBI.

I. Saccus membranaceus, admodum dilatabilis & contractilis, in inferiore & anteriore parte ventris hærens, in viris inteſtino recto, in feminis vaginæ vel utero incumbens, ſecretam urinam ex ureteribus recipiens, per urethram emittens, ſenſu acuto præditus, intus muco obductus, vaſis cruentis & nervis inſtructus, Veſica vocatus, ex loco, fabrica, & contenta urina, varios patitur morbos.

II. Veſica ex ſua ſede prolapſa in ſcrotum, urinæ ſuppreſſionem inferens, manu reponenda, & ſuſtentaculo conſervanda; ſi autem ex latere ſaccum formavit, ut fiat quaſi gemina, raro cognoſcitur, niſi poſt mortem.

III. Craſſa aut Calloſa facta, vel Indurata, poſt longe geſtatum calculum, micturitionem inferens, medelam reſpuit. Sed extenſa, relaxata, poſt nimiam urinæ retentionem, reddere non poteſt urinam, quando immiſſo cathetere vacua aliquamdiu ſervanda. Ejus inflammatio urinam ſupprimens horrenda, ſolitis antiphlogiſticis applicatis ſananda. Rupta, vulnerata, vel in lithotomia perfecta, fundens urinam in cavum ventris, vel per fiſtulam extra corpus, non conſolidatur, niſi adjacentibus partibus adcreſcat. Intus exaſperata explorationem calculi ſæpe fallit. Scabioſa vel Herpetica, emittere ſolet urinam furfuraceam cum micturitione, injectione balſamici, antiſeptici, curanda. Sed Excoriata doloroſam urinæ retentionem inferens, potu molli, & injectione mucilaginoſi curanda.

IV. Veſicæ Dolor ſi fiat a calculo, muco acriore, vel deficiente, metaſtaſi, inflammatione, ulcere, quod puris evacuatione detegitur, ſemper malum præſagium præbet, ex detecta cauſa curatio dirigenda. Hæmorrhagia interdum producit mictum cruentum, ſed ſanguis in grumum concretus urinæ exitum intercipit, diluente ſaponaceo ſolvendus, & cathetere emittendus.

V. Sphincteris ſphacelus vel paralyſis urinæ incontinentiam inferens, periculoſiſſimus eſt morbus: ſed ejus convulſio urinam ſupprimens, antiſpaſmodicis curanda.

VI. Mucus internam veſicæ ſuperficiem tegens tenacior, filamenta, ſedimentum mucoſum in urina præbet, vel obſtipat urinæ exitum. Ejus acrimonia & defectus, doloroſam urinæ retentionem parit, atque micturitionem. Materiem quoque præbet in qua calculus formari poteſt.

VII. Frequentiſſime in veſica generatur Calculus, cujus principium ſæpe habetur in renibus, dein per ureteres in veſicam delatus, accedente incruſtatione mole fit major, interdum etiam in veſica incipit. Ejus generatio communi curatione calculi (237) eſt prævenienda; parvus natus diureticis mucilaginoſis & pinguibus educendus; major ſi lithontriptico ſolvi non poteſt, lithotomia eſt auferendus. Remanens enim continuum infert dolorem; ſæpe ſupprimit urinam; & ærumnoſam vitam relinquit.

VIII. Veſica in gravidis, alvo adſtricta vel tumore adjacente, compreſſa curatur ſublatione illorum morborum & ſubſequente partu.

403. URETHRÆ MORBI.

I. Canalis membranaceus admodum ſenſilis, a collo veſicæ incipiens, in utro-

que

que ſexu urinam tranſmittens, atque in viris etiam ſemen, intus muco lubricatus, Urethra dictus, variis corripitur morbis.

II. Hæc enim Obſtructa vel Anguſtata a muco vel grumo, injecto abſtergente eſt aperienda, cathetere immiſſo aperta ſervanda, ne ſupprimatur urinæ exitus. Sed Calculus (Ch. 1559.) artificioſe educendus, non reprimendus. Caruncula, Tuberculum, aut Ulcus, ſiſtens, vel difficilem faciens, urinæ evacuationem, immiſſa turunda balſamica eſt minuenda & curanda. Mucus deficiens vel acrior, injectione balſamici & mucilaginoſi curandus. Paralyſis impediens ejectionem, aut urinæ ſtillicidium faciens, applicatis roborantibus ad perinæum ſananda: quibus etiam nimia dilatatio in feminis incontinentiam urinæ faciens poſt calculi eductionem, eſt minuenda. Sed Hæmorrhagia applicationem adſtringentium exigit.

III. Urethra adfecta in viris Inteſtinum rectum, ſed in feminis Vaginam in conſenſum trahere ſolet. Pro differenti morbo infert mictum cruentum, ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam, & incontinentiam, multoſque morbos in generatione tradendos.

404. INCONTINENTIA URINÆ.

I. Qui homines ad ſolitam veſicæ impletionem urinam retinere nequeunt, vel involuntarie urinam emittunt, ejus Incontinentia laborant.

II. Hujus involuntariæ evacuationis cauſæ diſtinguendæ ſunt ad formandam prognoſin & curationem. 1. Quæ fit ex animi pathemate, inſomniis, riſu, tuſſi, vomitu, potu copioſiore, periculo caret: in gravidis, parturientibus, alvi egeſtione, ex veſicæ compreſſione nata, ſponte ceſſat. 2. Sed ex conſenſu in teneſmo, ani, inteſtini recti, vaginæ vel uteri morbis, prognoſin & curationem eorum morborum præbet. 3. In ſopore, ſyncope, apoplexia, delirio, convulſione, epilepſia, hyſteria, relaxationem ſphincteris, vel ſpaſmodicam contractionem arguit, & ut tales morbi curanda. 4. In ſenibus, paralyticis, poſt lithotomiam, tranſitum vel eductionem calculi majoris per urethram, arguit atoniam ſphincteris, quæ roborantibus applicatis eſt curanda. 5. In acutis febribus, remittentibus, & intermittentibus, & debilibus, nunquam bonum præſagium præbet. 6. Ex veſicæ interna excoriatione, herpete, ulcere, acrimonia vel defectu muci, aut urina acriore, & ex abuſu diureticorum, nata, injectione emollientium, & conſolidantium, atque potu largiore hydrogalactis curari debet.

III. Ipſum Stillicidium perpetuum in toto corpore nihil mali inducit, ſed mala quæ ſequuntur ex adſignatis cauſis ſunt deducenda.

405. DIABETES.

I. Dum ſine abundantiori ingeſtione, vel prægreſſa humidi collectione in corpore, homo multo majorem copiam urinæ reddit, quam in ſanis fieri ſolet, is Urinæ profluvio ſeu Diabete laborare ſtatuitur.

II. Iſtud profluvium ſi fiat propter morboſam humorum ſolutionem, in putridis, colliquativis, corruptis humoribus, chronicis, hecticis, hyſtericis, hypochondriacis, contagioſis, non eſt ſiſtendum adſtringentibus, ſed antiſepticis corruptio eſt cohibenda.

III. Si naſcatur abuſu Diureticorum, Cantharidum, Terebinthinæ & ſimilium, ſponte ceſſat omiſſo abuſu eorum, vel diluentibus, emollientibus, mucilaginoſis, obvolventibus, oleoſis, cum narcoticis, compeſcitur, lac dulce in hac cauſa excellit.

IV. Si motus particularis renum auctus, nimis magnam urinæ copiam emittit, ille eſt compeſcendus applicatis epithematibus ad lumbos, ingeſtione adſtringentium, anodynorum: vel facta derivatione ad cutim per ſudorifera. Hoc etiam in caſu inſtitui potuiſſet phlebotomia, aut alvi ductio per Rhabarbarum.

406. MICTUS CRUENTUS.

I. Sanguinis evacuatio ex urethra, cum vel ſine admiſta urina, vocatur Mictus cruentus.

II. Profluere poteſt ſanguis ex vaſis nimis dilatatis, quando intime urinæ eſt miſtus, vix ab urina cruenta diſtinguendus: ſed vaſis ruptis, ſanguis urinæ minus miſtus eſt: ita etiam ex ureteribus & veſica: ſed ex urethra vel corporibus ſpongioſis veniens, interdum ſtillat ſine emiſſa urina.

III. Si ſanguinis abundantia, uti in juvenibus, mutilato membro, hæmorrhagia, hæmorrhoidibus, lochiis vel menſibus ſuppreſſis, mictum cruentum producit, plerumque ſalubris eſt, & ad coercendum ſufficit phlebotomia.

IV. Sed natus ex inſtigato motu renum particulari, abuſu diureticorum, emmenagogorum, damnoſus eſt, & exigit diluentia, mucilaginoſa, oleoſa, largiori copia ingeſta.

V. Major autem generalis circulatio per exercitia, equitationem, elevationem ponderis, febrem acutam, ardentem, calefacientium, ſpirituoſorum, aromatum abuſum, aliaque acria ingeſta, iram, aliudve animi pathema, nata producens mictum ſanguineum, exigit refrigerantia anodyna.

VI. Sanguis autem tenuior vix coarcibilis in chronicis, catarrho, ſcorbuto, acrimonia, aliiſque colliquationibus humorum cum ſolidorum laxitate, incraſſandus roborantibus ſpeciali acrimoniæ dicatis.

VII. Sed in malignis, putridis, petechiis, vel peſte, aut dum variolæ, morbilli, pleuritis, eryſipelas, aut inflammatio, abierint in corruptelam, veniens, periculoſiſſimus eſt, antiſepticis incraſſantius temperandus.

VIII Calculus in renibus vel veſica hærens, aſperitate lædens vas, vetat omnia diuretica, ſed potu molli oleoſo, mucilaginoſo, anodyno adjuvandus calculi exitus, quo excluſo ſponte ceſſare ſolet, vel his adjectis quibuſdam conſolidantibus, compeſcitur.

IX. Denique qui ſequitur vulnera, contuſiones, & corroſiones harum partium, ejus curatio ex dictis morbis petenda.

X. Præter generalia ex omni hæmorrhagia, concretus ſanguis interdum ſiſtit urinæ exitum, relinquit ſæpe ulcus dictarum partium, & præbet dein urinam purulentam.

407. DYSURIA.

I. Cum difficultate, ardore, aut dolore, reddens urinam, laborat Dyſuria.

II. Quæ producitur, renum, ureterum, veſicæ, urethræ, pudendorum, proſtatarum, perinæi, ani, inteſtini recti, penis, veſicularum ſeminalium, vaginæ aut uteri inflammatione, abſceſſu, ulcere, tumore, ſcirrho, contuſione, calculo, earumque partium ſucci defectu & acrimonia: ſæpe poſt gonorrhœam, fluorem album, hæmorrhoides, teneſmum, in quibus omnibus curatio eſt dirigenda ad morbi naturam has partes adficientis.

III. Aut humores morboſi aliunde, vel toto corpore nati, ad urinæ organa delati, dyſuriam inferunt; uti in acutis febribus, arthritide, podagra, rheumatiſmo, catarrho, cachexia, ſcorbuto, putredine, corruptela, pure, ichore, abſceſſu, ſuppuratione, empyemate, bile acri, lympha hydropicorum corrupta, & perſpirabili retento, ſemper periculum auget, quia morboſi ſiſtit evacuationem, & ſpeciali curationi non obtemperat. Sed poſt tuſſim aut diſpnœam, levare ſolet, poſt cephalalgiam, dyſenteriam, volvulum, & tympanitidem, malum auget.

IV. Si vero ab acribus adſumtis, cereviſia varia, cantharidibus, acidis, rancidis, producatur, potu copioſiore, lactis, atque mucilaginoſis & reſinoſis conſtante

ſtante lenitur: ſed ab aere, vento, & tempeſtate varia proveniens, melius lenitur diaphoreticis & ſudoriferis.

V. Quæ oritur ex nephritide, calculo, aut muci defectu vel acrimonia, vel & urina acriori, emulſionibus, oleoſis, evolventibus, anodynis, ovi albumine, ſpermate ceti, amygdalis, & balſamici eſt curanda.

VI. In gravidis, parturientibus, menſtruantibus, puerperis, mobilitate, hyſtericis & morbis convulſivis, antiſpaſmodicis curatur: ſed in ſenibus difficillime tollitur.

VII. Quia talis æger non reddit debitam urinæ quantitatem, inde fiunt deinceps morbi ex cauſa dyſuriam inducente, vel ex retenta urina, maxime cachexia, anxietas, febris, aſthma ſeu dyſpnœa.

408. STRANGURIA.

I. Frequens reddendæ urinæ conamen, quæ urina exeuns ſtatim in evacuatione ſupprimitur, ut guttatim emittatur, cum vel ſine dolore aut ardore vocatur Stranguria.

II. Hujus cauſa eſt irritamentum veſicæ vel urethræ, quo inſtigatur ad reddendam urinam, quæ urethram tangens, eam ſtatim contrahere facit.

III. Cauſæ irritantes variæ ſunt. 1. Muſtum, cereviſia recens, fermentans, liquores varii miſti adſumti, huc tandem delati, mucum urethræ ſolventes, abſtergentes, ſi ſtranguriam inferant, abſtinentia ab iis, potu hydrogalactis, mucilaginoſorum & blandis pinguibus curatur. 2. Defectus etiam muci in his partibus poſt calculi vel humoris acris tranſitum, iiſdem lenitur. 3. Sed muci acrimonia, adfluxus humoris acris ex proſtatis, aut veſiculis ſeminalibus in gonorrhœa & fluore albo, vel ſarcoma in hac parte, præter generalem horum morborum curationem, exigit immiſſionem per urethram ad locum adfectum turundæ balſamicæ, quoties urina emiſſa fuit. 4. Materia cruda, catarrhoſa, acris, in ſenibus, autumnali tempore, ſtranguriam inferens, aromaticis & diaphoreticis curatur: in hydropicis malum eſt ſignum. 5. A morbis veſicæ, urethræ, proſtatarum, & calculo hic hærente proveniens, eorum morborum curationem exigit. 6. Sed ex conſenſu inteſtini recti, ani, perinæi, vaginæ, uteri, in dyſenteria, teneſmo, volvulo, gravidis, parturientibus, puerperis, abortientibus & menſtruantibus, præter generalem eorum morborum curationem, ingerenda, & applicanda anodyna, balſamica, nervina.

IV. Mala ex ſtranguria deducenda vel intelliguntur ex urinæ paucitate (189. x.) vel ex cauſis ſtranguriam inducentibus.

V. Multitudo cauſarum unicam generalem curationem non admittit.

409. ISCHURIA.

I. Poſtquam urina a ſanguine per renes fuerit ſeparata, ducitur per varia organa extra corpus: ſi non ſecernitur vel ſecreta impeditur evacuari, homo Iſchuria laborare dicitur.

II. Cauſæ referri poſſunt ad organa vel ad morbos.

III. Renes, ureteres, veſica, urethra, perinæum, proſtata, penis, variis morbis poſſunt adfici urinam ſupprimentibus, qui ſi veſica altiores ſunt, & ita veſicam relinquunt vacuam, Pſeudo-Iſchuriam vocant.

IV. Inter morboſas cauſas quædam ſunt ſecretionem impedientes, aliæ transitum denegantes.

V. Secretio interdum cum magno periculo impeditur in febribus, acutis, inflammatoriis, paroxyſmo intermittentium, phrenitide, pleuritide, peripneumonia, ardentibus, rheumatiſmo, quando lentor, vel motus major renes obruit;

pro-

protinus vena ſecanda, alvus ducenda, applicanda ad lumbos laxantia refrigerantia, ſimiliaque ingerenda.

VI. Si ex Conſenſu, convulſione, hyſterica & hypochondriaca paſſione, dolore vehementi ventris, capitis, lumborum, inteſtinorum, coxæ, uteri, mobilitate, menſtruatione, dentitione, fiſtitur urinæ ſecretio antiſpaſmodicis anodynis referabitur.

VII. Materia podagrica, arthritica, rheumatica, catarrhoſa, ſcorbutica, varioloſa, acrimonia ſucci nervoſi, & ſimiles humores ad renes delati, ſi ſiſtant ſecretionem, revocandi ad conſueta loca.

VIII. Secretæ urinæ exitum impediunt omnes cauſæ, quæ in renibus, ureteribus, veſica, & urethra, 1. Faciunt obſtructionem. 2. Intumeſcentiam laterum. 3. Compreſſionem.

IX. Calculus hærens in pelvi renum, uretere, collo veſicæ, & meatu urinario, ejus adjuvanda eſt evacuatio, antinephriticis dictis, aut major in veſica per lithotomia, ſed in urethra per artificioſam olei injectionem.

X. Sanguis effuſus, concretus, glutinoſum, viſcoſum, purulentum, mucoſum in viis ſubſiſtens, reſolventibus diureticis eſt auferendum. In veſica hærens injectio facienda. His non procedentibus per catheterem immiſſum urina emittenda.

XI. Viarum urinæ intumeſcentiæ, œdemata, inflammationes, ſarcomata, Iſchuriam producentes, contractio vel contuſio Iſchuriam induentia, illa ex dictarum partium morbis eſt cognoſcenda & curanda.

XII. Ita in gravidis, hydrope & ſcirrho uteri, vaginæ, perinæi, proſtatarum, inteſtinorum aliarumque partium adjacentium tumoribus, vias urinæ comprimentibus, nata, cognitio & curatio ex dictarum partium morbis eſt petenda.

XIII. Interdum non ſecernitur deficiente actione ſecretoria, in apoplexia, ſopore, paralyſi, debilitate, pareſi, catoche, frigore, laxitate.

XIV. Humores craſſiores in cruditate, pituita, chronicis, leucophlegmatia, hydrope, cachexia, urinam ſupprimentes ſunt reſolvendi.

XV. Evacuatione alia, potius vel tenuis defectu, perſpiratione aucta, ſudore, alvi fluxu, copioſiore ingeſtione, vel minuta evacuatione curatur.

XVI. Ruptio vel vulnus collectam urinam ex veſica in ventrem, vel cellulo-ſam telam, effundens medelam vix admittit.

LIBER V.

MORBI GENERATIONIS.

Generationis morbi ad tres titulos commode referri possunt . 1. Qui pertinent ad Genitalia virorum . 2. Ad Genitalia feminarum . 3. Ad Embryologiam .

TITULUS I.

GENITALIUM VIRORUM MORBI.

Morbi genitalium in viris referuntur , 1. ad Partes , 2. Liquorem , 3. Speciales actiones .

410. PENIS MORBI.

I. DUo corpora cavernosa , oblonga , septo medio lateraliter juncta , in quorum sulco inferiore conjunctionis locata est urethra , quæ ad finem format glandem magis tumentem , incipientia a pube , motu suo speciali sanguine arterioso , turgentia & rigentia , Penem constituunt , qui communibus externis integumentis , ad finem prolongatis in Præputium , tegitur .

II. Variis morbis huic parti propriis corripitur . 1. Minuta vel extincta Actio huic parti specialis ex senectute naturalis est : sed ex debilitate totius corporis veniens sensim restauratur . At vero hæc actio in matura ætate exstincta speciem Impotentiæ præbet , nervinis perinæo & lumbis applicatis , sananda . 2. Actio hæc nimis implens spongiosa corpora in genere Tentigo vocatur : hæc ex seminis nimio irritamento Satyriasin producit , medicamentis antaphrodisiacis curandam ; sed ex calculo aliave morbosa causa irritante producens Priapismum , secundum inventam causam curari debet . 3. Male formatus , intortus , curvatus ; in Chorda , Hipospadiæo , si fiat ex hydrope , discutientibus restituitur ; ex gonorrhœa plerumque remanet ; sed ex nativitate incurabilem impotentiam relinquit . 4. Glans ipsa vel ejus corona sarcomate obsessa , præbet condylomata , cristas , phymata , verrucas : ulcera & pustulas in hac parte Chancres vocant ; hydatides obsidentes Bullas crystallinas vocant ; qui omnes morbi ut plurimum ex gonorrhœa maligna vel lue venerea nascuntur , & ejus curationem exigunt .

III. Præputium circumcisione , ut quibusdam gentibus , ablatum , Apellam facit . Tumens autem , & simul glandem tegens , generat Phimosin , quod ex nativitate concretum , sectione est aperiendum ; sed ex inflammatione contractum , laxantibus est dilatandum ; a pustulis autem venereis obsessum , quædam simul mercurialia mitia sunt applicanda . Tumens retro coronam tractum , Paraphimosin producens , in curatione vix differt .

IV. Reliqui morbi generales hanc partem infestantes , in signis & curationibus ab iis vix differunt . Sæpe pariunt autem dysuriam , & impotentiam : vulnera periculosiorem hæmorrhagiam inferunt .

V. Pollutio , gonorrhœa , dysuria , & impotentia ex hac parte nata propriis titulis traduntur .

411. PROSTATARUM MORBI.

I. Corpus glanduloſum, urethræ circa veſicæ collum adhærens; confectum humorem compreſſione muſculi compreſſoris in cavum urethræ emittens per varios ductus, vocatur Proſtatæ.

II. Hujus tumor, contuſio & induratio, in perinæo præbet tumorem & dolorem, qui ſæpe dyſuriam & ſtranguriam infert, ut in aliis locis curandum. Hujus laxitas producens liquoris ſtillicidium, quod gonorrhœam benignam vocant, longo tempore ſine multa debilitate ferendam, potius externis roborantibus & balſamicis curatur, quam internis diureticis. Sed ex venerea lue infectum, gonorrhœam virulentam producit, iiſdem atque ſolitis ſimul antivenereis curandam.

412. SCROTI MORBI.

I. Burſa laxa ex communibus integumentis facta, a perinæo, inguinibus & pene pendula, ſepto in duos loculos diſtincta, teſtes tegens, Scrotum dicta, variis corripitur morbis, ad onerandam ſcientiam nominibus ut plurimum diſtinctis.

II. Ejus Contuſio, vulnus, niſi quod minus hiat, eryſipelas, inflammatio, ulcus, excoriatio, pruritus, facile cognoſcuntur, & ut iſti morbi curantur: ejus laxitas ſuſtentaculo eget.

III. Humor autem aquoſus aut pituitoſus occupans integumenta; vel collectus in uno vel altero aut utroque cavo; vel etiam in peritonæi ſacco prolongato, quando in ventrem refundi poteſt, & locus ſubligaculo ſuſtentandus, Hydrocele vocatur, quæ ſuſtentatione totius ſcroti ſine preſſione ad funiculum ſpermaticum, & applicatione diſcutientium eſt curanda: vel apertura facta collectus humor educendus, dum ſimul iiſdem auxiliis prævenitur recidiva.

IV. Reliquas herniarum ſpecies, quæ ad Oſcheocelen referuntur, ſi aerem contineant, vel in ſacco formato peritonæi vel in prolapſo inteſtino, Pneumatocelen vocant, hæ in ventrem refundendæ, & ſubligaculo retinendæ.

V. Tumores autem in teſte, aut corpore pyramidali, varicoſi & carnoſi, quos Varicocelen, Cirſocelen, & Sarcocelen vocant, cognoſci & curari debent ſecundum iſtos morbos generales, quorum amplior deſcriptio in ſequente titulo.

413. TESTIUM MORBI.

I. Corpora duo olivaris figuræ, inſtar glandularum multis vaſis congregatis conſtantia, tunica vaginali & albuginea tecta, muſculo cremaſtere ſuſtentata, extra abdomen in viris pendula, ſcroto inſuper tecta, ſpeciali actione ſemen conficientia, quod per epididymides & vaſa deferentia in veſiculas ſeminales deferunt, Teſtes vocantur, qui numero abundantes promittunt ſalacitatem; unicus autem non infert ſterilitatem: ſed deficientes, niſi latitent in corpore, certam ſterilitatem inferunt, nam in alieno hærentes loco funguntur tamen ſuo munere. Obſervandum in his ne tumor Epididymidis, aut corporis pyramidalis, aut hernia, vel bubo, pro Teſte habeatur.

II. In matura ætate & ſalacioribus incrementum magnitudinis non pertinet ad morbos: neque decrementum aut exareſcentia in ſenibus & longa abſtinentia, morboſa cenſetur.

III. Variis morbis, qui etiam ſpeciales curationes exigunt, tument teſtes, qui tactu facile dignoſcuntur.

IV. In ſalacioribus, juvenili ætate, & tempore vernali, teſtes nimis tumen-

mentes, qualis morbus Spermatocele vocatur, curandi refrigerantibus.

V. Humor autem viſcoſus vel & aquoſus, frigidus, indolens, in vaginali tunica, vel ſubſtantia teſtis hærens, Hydrocelen producens, diſcutiendus, cum ſuſtentatione externa.

VI. Venæ corporis pyramidalis varicoſæ, vel vermium inſtar tumentes Varicocelen generant: ſi ita fiant ſine compreſſione ſupra funiculum ſpermaticum, diſcutientibus adſtringentibus cum ſuſtentatione minuendæ.

VII. Tumor autem ſolidior in Teſte, vel & corpore pyramidali, carnis ſubſtantiam exhibens, Sarcocele dictus, ſine infectione venerea, reſolventibus abigendus.

VIII. Tumor durus, aſper, indolens, ſcirrhoſus non irritandus, ſed promte reſolvendus: nam Cancroſus magis dolens & tumens, per funiculum ſpermaticum propagans, promte amputandus, ſi enim in abdomine mala intulerit ſymptomata, incurabilis eſt.

IX. Tumor autem ſtrumoſus, frigidus, durus, in ſola teſtis ſubſtantia, calefacientibus reſolventibus abigendus.

X. Sed ex recenti prægreſſa Contuſione, ut ſæpe fit in equitatione, natus tumor, laxantibus, reſolventibus eſt curandus.

XI. Tumor autem dolens, pulſans, ſcrotum ſæpe rubedine ſimul ſuffundens, & febrem excitans, antiphlogiſticis applicatis curandus.

XII. Dum poſt diu toleratam venereamluem, & maxime ſuppreſſam gonorrhœam virulentam, teſtis tumet, mercurialibus prudenter applicatis curandus.

XIII. Dolor Teſtium ſine tumore & ſine manifeſta cauſa anodynis applicatis eſt mitigandus.

XIV. Teſtes Relaxati, & nimis penduli, ut ſæpe in infantibus, corporis debilitatem indicantes, ſuſtentandi, & applicatis roborantibus adcurtandi.

XV. Humores morboſos aliunde, ſæpe in morbis pectoris, recipientes, ut plurimum malam Metaſtaſin præbent, qui ad propria loca & minus periculoſa ſunt reducendi.

414. VESICULARUM SEMINALIUM MORBI.

I. Veſiculæ duæ, cervici veſicæ urinariæ poſterius adhærentes, ex vaſis deferentibus confectum ſemen recipientes, & preſſione facta emittentes in uretram, ubi orificium tegitur quadam caruncula, quam Caput gallinaceum vocant, Veſiculæ ſeminales dicuntur.

II. Hæ frequentiſſimam Luis venereæ ſedem præbent, quando generant gonorrhœam virulentam. Harum autem caruncula tumens iſchuriam, dyſuriam, & ſtranguriam infert, immiſſa turunda balſamica ope candelæ ceraceæ, quoties reddita fuit urina, curandam. Orificium emunctorii relaxatum, vel caruncula corroſa, aut conſumta, generat gonorrhœam valde debilitantem, injectionem conſolidantis & immiſſione turundæ balſamicæ curandam, externe ſimul applicatis roborantibus.

415. SEMINIS MORBI.

I. Liquor præſtantiſſimus, ſpeciali actione Teſtium ex adlatis humoribus confectus, in epididymidibus, vaſiſque deferentibus magis elaboratus, in Veſiculis collectus, opportuno tempore in uretram effundendus, & dein emittendus, Semen dictus, variis corripitur morbis.

II. Ejus Abundantia generatur in flore ætatis, vita lauta, abuſu ſpermatopoieticorum: inde nata nimia ſalacitas, & ſatyriaſis, curatur refrigerantibus, nitroſis, & acidis; alii camphoram laudant.

III. Ante maturam ætatem & in ſumma ſenectute deficiens, utpote natura-

le, non eget curatione. In caſtratis vel abſciſſo organo in lithotomia aut celetomia omnem medelam reſpuit. Sed obſtructione teſtium aut reliquorum organorum deficiens, eorum morborum exigit curationem. Proveniens ex parciore diæta, laboribus durioribus, corporis debilitate; vel nimia ſeminis profuſione, ſponte ſanatur, omiſſis vel curatis cauſis. Sed ex debilitata particulari actione ſi deficiat, applicatis & ingeſtis iſtis, quæ ſpermatopoietica dicuntur, curari ſolet.

IV. Redditur ſpiſſius & maturius in longa abſtinentia; Tenuis in frequentiore evacuatione & debilitate; Corruptum, fœtens, virulentum, ichoroſum, præcipue in gonorrhœa & lue venerea.

V. Ejus evacuatio copioſior, in venere frequentiore, mutatis moribus obtemperat. Sed in Pollutione, & Gonorrhœa benigna, applicatis roborantibus temperanda eſt evacuatio. In gonorrhœa venerea ſimul morbi ratio eſt habenda.

VI. Nam illa nimia excretio generabit in ventriculo cardialgiam, anxietatem, inappetentiam; lumborum laſſitudinem, ſurditatem, amauroſin, vertiginem, tabem dorſalem: in toto corpore frigiditatem, laxitatem, cruditatem, maciem, pallorem, debilitatem, convulſionem, mobilitatem, & pulſum languidiorem, atque tandem impotentiam.

VII. Ejus autem parcior, ſed non morboſa evacuatio, raro morbum infert: quando a morbo impeditur debito modo evacuari, hoc in Impotentia traditur.

416. GONORRHŒA.

I. Muci vel Seminis boni aut corrupti morboſa frequens & copioſa evacuatio, plerumque ſine tentigine, & ſine voluptate per uretram, vocatur Gonorrhœa.

II. Vera, 1. Eſt quando funditur liquor ſeminalis in teſtibus elaboratus. 2. Spuria autem dum exſtillat quivis alius humor ex proſtatis, glandulis Covvperi, Littrii vel cryptis uretræ: aut liquor ſtillans ex glandulis olidis pone coronam glandis. 3. Virulenta, quæ provenit ex infectione venerea, a reliquis cauſis vocatur benigna. 4. Habitualis, quæ non ex parte læſa, ſed ex toto corpore ducit originem. 5. Chordata, dum ſimul tenditur & incurvatur membrum. 6. Sicca, ex omnibus ſymptomatibus perceptis poſt impurum coitum, ut in gonorrhœa, ſine liquoris ſtillicidio.

III. Quintuplex humor ſeorſim vel conjunctim effluere poteſt. 1. Ex veſiculis ſeminalibus, 2. Proſtatis, 3. Glandulis Covvperi, 4. Glandulis Littrii, 5. Lacunis uretræ.

IV. Quæ oritur abuſu cantharidum, diureticorum, equitatione, venere frequentiore, laxitate orificiorum, dicitur Benigna.

V. Sed virus venereum ſtatim ab his humoribus receptum, vel denique ex corpore ad hos humores depoſitum, producit malignam.

VI. Malignam expectamus ſi paucos poſt dies ab impuro coitu exſtillat ſerum acre cum aliqua voluptate, ſtranguria, rubedineque ad exitum uretræ, qui liquor ſenſim glutinoſior parti adhæret.

VII. Stillant dein quædam guttulæ liquoris viſcoſi ſeminalis, frequentior fit tentigo cum dolore, dyſuria, ſtranguria cum morſionis & caloris ſenſu in uretra: increſcente malo exſtillat liquor varii coloris, magiſque fœtens, tumet, calet, & dolet perinæum, incurvatur ſæpe membrum. Tandem miteſcit roſio, ſed effluit ſeminalis liquor copioſius, donec emiſſis quibuſdam filamentis, ſenſim ſponte ſubſiſtat, niſi fuerit habitualis.

VIII. Si liquor ſeminalis ſimul evacuetur, generatur debilitas, phthiſis, atrophia, febris hectica, cachexia, anorexia, pallor, hypochondriorum oppreſſio, frigus & imbecillitas lumborum, viſus debilitas, animi deliquium. Adgrediens uretram inducit ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam. Pergens ad alias partes, pa-

rit

rit perinæi tumorem, proſtatarum & veſicularum ſeminalium exulcerationem. Ad glandem & præputium phimoſin, paraphimoſin, puſtulas, ulcera, ſarcomata. In corporibus ſpongioſis deformitatem. In glandulis inguinalibus Bubones. Ad teſtes & funiculum ſpermaticum prorepens, illa in tumorem durum elevat. Denique circulantibus communicatum virus, perfectam luem veneream generat. In feminis coinquinat vulvam, vaginam, uterum, & ovaria.

IX. Prævenitur abſtinentia: ſed ſi virulentum applicatum fuit, pars tacta ſedulo & ſæpe abluenda.

X. Gonorrhœa venerea recens facile curatur purgante mercuriali cum exhibitis balſamicis, dein leniter adſtringentibus, quæque recipiunt ſaccharum ſaturni.

XI. Si autem ita recepta Gonorrhœa diu duraverit, vel habitualis fuerit facta, non facile cedet ſine mercurialibus adſumtis vel applicatis, donec præludia ſalivationis conſpiciantur, quando purgantibus & diminutione ſalivantium, impetus determinandus ad alvum: interim in uſu ſalivantium continuandum, ut levis maneat ptyaliſmus per tres ſeptimanas, ſimulque adhibenda balſamica, dein leniter adſtringentia ut in præcedente.

XII. Si benigna oritur ex abuſu diureticorum, poſt omiſſionem eorum adhibenda diluentia mollia.

XIII. Si autem orificia emunctoriorum fuere relaxata, adhibenda roborantia externa applicata & per uretram indita.

417. IMPOTENTIA.

I. Qui vir maturæ ætatis rem veneream exercere non poteſt cum effectu Impotens dicitur.

II. Vitium hoc quærendum 1. In organis, 2. Liquore, 3. Actione, 4. Partibus adjacentibus. 5. Toto corpore.

III. Organa ad hoc opus concurrentia in viris ſunt teſtes, funiculus ſpermaticus, veſiculæ ſeminales, uretra, proſtatæ, penis.

IV. Teſtes deficientes, ablati, contuſi, indurati, ſtrumoſi, ſcirrhoſi, tumentes, hydropici, obſtructi, exareſcentes, exulcerati, vulnerati, eorumque actio extincta, ſemen non ſuppeditant: idem in funiculo ſpermatico & corpore pyramidali. Quo refertur hydrocele, ſarcocele, ſpermatocele.

V. Veſiculæ ſeminales ruptæ aliunde fundentes ſemen: obſtructæ vel compreſſæ: non potentes fundere paralyſi in muſculo compreſſore ſemen in uretram.

VI. Uretra contracta, obſtructa, in media via, vel non ad finem penis aperta.

VII. Proſtatæ tumentes, ſcirrhoſæ, ſtrumoſæ, corroſæ, vel obſtructæ, non ſolum impediunt exitum ſui ſucci, ſed etiam interdum intercipiunt exitum ſeminis.

VIII. Penis eſt manifeſtiſſima & frequens impotentiæ cauſa, dum retrotractus, incurvatus, contortus, deformis, in glande clauſus, phimoſi obtectus, aut deficiens, invenitur; paralyſi aut deficiente erectione laborans.

IX. Quia ſolum ſemen maſculinum eſt prolificum, hoc ergo deficiens, corruptum, crudum, in tranſitu infectum, nimis evacuatum, perpetuo ſtillans, alieno loco emiſſum, parit impotentiam.

X. Ad elaborandum & ejaculandum ſemen requiritur actio, quæ ante ætatem & in ſenibus ſine medela deficit: ſed in maturis minuitur aut exſtinguitur, cura, mœrore, timore, triſtitia, mercurialibus, nitroſis, frequenti ebrietate: quibus etiam cauſis penis erectio adimitur, maxime ex odio, & pudore, vel paralyſi; & ſeminis ejectio ſiſtitur, deficiente actione muſculi, qui veſiculas comprimit. Deficiens hæc actio vocatur Frigiditas. Multi addunt per magiam & veneficia hanc actionem quoque exſtingui.

XI. Interdum perinæi, inteſtinorum, aliarumque partium organis genitalibus adjacentium tumores, ulcera, indurationes, vulnera, calculus, contuſio, equitatio, confectionem aut ejaculationem intercipiunt, qui morbi conſueto modo ſunt curandi.

XII. Tandem in debilitate, longa valetudine, cachexia, hydrope, evacuatione copioſiore, hæmorrhagia, &, ut ferunt, phlebotomia pone aures, cum reliquo corpore debilitato exſtinguitur ſeminis generandi & ejaculandi potentia, qualis Impotentia recuperatis viribus evaneſcit.

TITULUS II.

GENITALIUM FEMINARUM MORBI.

Morbi genitalium in feminis referuntur 1. *ad Partes*, 2. *Actiones*, 3. *Morbos ſpeciales in his.*

418. MULIEBRIA.

I. Partes genitales feminarum externæ Muliebria dictæ, conſtantes Pube, Labiis, Hymene, Monticulo, Frenulo, Nymphis, & Clitoride, variis corripiuntur morbis.

II. Horum Clauſura vel Concretio ſola ſectione aperiri poteſt. Contuſio & laceratio, facilius in putrilaginem convertitur: Eſchara inde facta perpetuam valetudinem relinquit. Intumeſcentia nimia, œdemata, hydatides, diſcutientibus applicatis abigenda. Ulcera curatu ſunt difficillima ob humiditatem partis, & confluxum excrementitiorum. Sarcomata applicatis reſinoſis & antiſepticis curanda, ne cancroſa maligna fiant. Varii morbi ex lue venerea generalem curationem iſtius morbi exigunt.

III. Sæpe morbi fiunt ex abortu, partu, lochiis atque menſtruis ſuppreſſis. In Gravidis ante parturiendi tempus ſunt curandi ne partui obſint: ſed in Puerperis tumentia fotu molli ſunt minuenda.

419. VAGINÆ MORBI.

I. Canalis membranaceus, utcumque ſpongioſus, intus rugoſus, multis lacunis liquorem fundentibus inſtructus, anguſtiore principio a pudendis mulierum incipiens, & in uteri ſubſtantiam deſinens, Vagina vocatur, omnino ab uteri cervice diſtinguenda. Tria genera morborum patitur. 1. Qui morbi referuntur ad ſubſtantiam ſeu fabricam, 2. Ad Humores, 3. Ad Actionem.

II. Morbi ſubſtantiæ complectuntur Amplitudinem majorem, ut poſt partum & in venere abutentibus; Anguſtiam ante maturitatem & vietis, qui morbi vix egent medela; ſed Clauſura, ut in atretis, ſectione aperienda; Coaleſcentia ex nativitate aut poſt excoriationem, exulcerationem vel ſimilia, vix capit medelam; Plicarum vel totius procidentia, poſt ablutionem cum antiſeptico, refundenda eſt, atque pudenda externe potius ſuſtentanda, quam immiſſo globulo vel annulo intus retinenda pars prolapſa.

III. Vagina a cauſa mechanica vulnerata, contuſa, vel rupta, difficiliorem curationem promittit, quia pars corporis inferior, multam humiditatem recipit, & inteſtinum rectum atque veſicam adjectam habet.

IV. Fiſſura, inflammatio, ulcus, fiſtula, hydrops, puſtulæ, excoriatio, varices, ſarcomata, verrucæ, tubercula, carunculæ, ſcirrhus, cancer, ſphacelus, hæmorrhagia, generali methodo curantur, niſi quod appropriata ſunt adhibenda to-

topica, quæ magis ſiccantia eſſe debent & mitiora ob humiditatem, adfluxum humoris & ſenſum exquiſitiorem partis.

V. Frequentiſſimi vaginæ morbi fiunt in gravidis, abortu, partu, puerperis, ſecundinis vel lochiis ſuppreſſis, menſium lochiorumve profluvio, gonorrhœa & lue venerea laborantibus, quando dictorum ſimul ratio habenda eſt.

420. UTERI MORBI.

I. Pars organica, ſoli ſexui femineo conceſſa, in pelvi oſſea hærens, inter veſicam & inteſtinum rectum, Uterus dicta, in recens natis vix drachmam pendens; circa pubertatem & in vietis unciam circiter; in maturis & ſalacioribus ultra duas uncias; hujus latitudo in his ad fundum duorum pollicum, ad cervicem unius fere pollicis; craſſitudo perpendicularis ad corpus fere ſeſquipollicis, longitudo ab orificio ad fundum trium pollicum; laterum craſſitudo fere digiti tranſverſi. Cavitas autem in meditullio vix fructum amygdalæ ſuperat: hujus orificium vix ſtylum admittit, quod in conceptu & menſtruatione aliquantulum, ſed in partu & abortu multum dilatatur.

II. Uterus mole in Gravidis non ſolum ita augetur ut fœtum cum ſecundinis contineat, ſed & ejus latera ſimul craſſiora fiunt: vaſa cruenta elongantur & ampliantur; ſpongioſa ſubſtantia ſanguine turget; cui parti placenta adhæret, in ea deteguntur oſcula ampliſſima; fibræ antea pellucidæ, nunc rubræ & carnei coloris inveniuntur; fundus præ partibus reliquis extenſus eſt; os toto geſtationis tempore naturaliter clauſum; ſed inſtante partu & abortu ſenſim fit mollius & latius. Intra ſexdecim dies a partu in puerperis ad naturalem magnitudinem redit.

III. Uteri morbi referuntur 1. Ad ejus varias Partes, Vaginam, Tubas, Ovaria, & Uteri corpus ipſum, qui ſoli hic traduntur. 2. Ad morbos functionis, Menſtruationis, Conceptus, Graviditatis, Abortus, Partus, Lochiorum & Puerperii, qui ſpecialibus nominibus exponi ſolent.

IV. Morbi autem utero proprii referuntur 1. Ad contenta in ejus cavitate, 2. ejus orificium, 3. locum, 4. figuram, 5. morbos a cauſis externis inductos, 6. totius ſubſtantiæ, 7. in mole aucta, 8. minuta, 9. actionis, 10. evacuationis.

V. In uteri cavo. 1. Humor laterum uteri & cervicis, confluens ex ovariis & tubis: atque 2. ſanguis menſtruus vel lochiorum, hic ſubſiſtens, orificio clauſo, languidiore motu fibrarum uteri, ſtagnando, mole auctus, & dein corruptus: aut 3. natura aliena hic depoſitus humor, multa infert primo in utero ſymptomata, dein abſorptus in corpore toto, quæ curari nequeunt, niſi orificium contractum aperiatur, & pars interna depuretur. 4. Aliena in uterum truſa plerumque cruſta calculoſa obducuntur: vel in eo genita, vermes, aer, grumus, placenta, dilatando orificium, & interdum datis emmenagogis ſunt educenda. 5. Sarcoma uteri cavum implens, per ejus orificium menſtruationis tempore maxime tumens, extrahi nequit, neque corrodi, ſed ſuſtentatione externa, & applicato antiſeptico ejus incrementum debet impediri.

I. Uteri Orificium tempore menſtruationis, partus, & lochiorum evacuationis, clauſum vel nimis contractum ab inflammatione, tumore, aut tetano, exitum impediens, pro ratione cauſarum per topica & interna medicamenta aperiendum: ſi autem coaluit, vel membrana obductum, incurabilem ſterilitatem, & menſium ſuppreſſionem inducit. Sed hians perpetuo, quod immiſſo digito explorari poteſt, inferre ſolet leucorrhœam, menſium profluvium, abortum frequentem, quando fumo reſinoſo, balſamico applicato, & lavamento adſtringente curari debet.

VII. Uterus in non gravidis in pelvi hærens, vagina & ligamentis nexus ſurſum adſcendere nequit: ſed in gravidis tumens removet meſenterium & inteſti-

na,

na, ſurſum procedit directe, vel ad hoc vel illud latus magis inclinat, aut ſupra os pubis nimis propendet, qui ſitus mutatus Dyſtociam producit, niſi ſitu corporis, ſuſtentatione, aut prudente manu obſtetricis, præveniatur. Deſcendens autem comprimendo nervos, arterias vel venas iliacas, non raro infert torporem, varices aut tumorem pedum; comprimendo autem inteſtinum rectum vel veſicam difficilem alvi egeſtionem & diureſin infert; qui morbi mutato ſitu, & poſt partum evaneſcunt; in pedibus præveniuntur ſuſtentaculo artificiali. Os uteri inſtante partu ad muliebria nimis deſcendens, dyſtociam parit, quæ levari nequit niſi manu retrudente & ſitu puerperæ decliviore. Prolabitur interdum in non gravidis, poſt leucorrhœam, profluvium menſium, frequentem partum vel abortum, a ſaltu, tuſſi, vomitu, teneſmo, elevatione ponderis, quando in medio tumoris detegitur os uteri, ſubito magnus generatur tumor, qui ſtatim refundendus, ſed ſi diu prolapſus fuit uterus, prius fovendus & abluendus, repoſitus retinendus ſuſtentaculo & decubitu, pars tunc interna eluenda & conſolidantibus inditis curanda. Invertitur quandoque uterus in partu difficiliore imprudenti eductione placentæ, quando tumor annulo duro cinctus invenitur: ſtatim tunc refundendus eſt, ſi autem diu duravit, ut procidentia tractandus, ne ſphacelum contrahat, & femina moriatur.

VIII. Quandoque uteri figura deformis invenitur, per herniam in latere ejus, vel cauſam externam prementem, aut cicatricem relictam, qui morbi ablatione prementis & apto ſuſtentaculo ſunt curandi.

IX. Uterus Vulneratus in non gravidis nihil ſpeciale habet, ſed in gravidis mortis & abortus periculum infert. Idem fere ſentiendum de Contuſione, quæ quoque in ſolis gravidis fieri poteſt. In obeſis compreſſus ſterilitatis eſt cauſa; ſed a tumore externo interdum obliquum ſitum, vel deformem figuram adquirit: quæ ſublatione cauſarum prementium ſunt emendanda. Ejus extenſio a congeſtis morboſis humoribus vel tumoribus (v) ſuperius tradita eſt. In non gravidis non exſtant exempla uterum fuiſſe ruptum, ſed in gravidis ſi fœtus validiore motu rumpat uterum, effundaturque in cavum ventris, ſola ſectio abdominis, matris & fœtus vitam ſervare poteſt; prævenitur autem artificiali ſuſtentatione. Ejus laceratio frequentior fit imprudenti pertractione obſtetricis, vel avulſione placentæ, quando injectione mollis balſamici curatio eſt tentanda, applicato ſimul cataplaſmate ſuſtentante ad abdomen.

X. Uteri nimia Laxitas inducta, frequentiore partu vel abortu, extenſione a morboſis contentis humoribus, menſium lochiorumve profluvio & leucorrhœa, ſi habetur in ejus orificio parit abortum vel ſterilitatem, conceditque in partu uteri inverſionem: illa autem in uteri fibris promittit dyſtociam & placentæ retentionem; exhibet gravitatis ſenſum; frequentius infert uteri hæmorrhagiam: qui morbi præveniuntur & curantur applicatione roborantis ad abdomen cum modica ſuſtentatione. Ejus orificii rigiditas in primiparis & ſenioribus feminis difficilem partum præſagit, qui fit facilior inunctione linimenti mollis & fotu: illa autem ſi fiat a convulſione, antiſpaſmodica ſunt adhibenda. Orificii nimia durities tactu detegenda, calloſa & cartilaginea curationem reſpuit; ſed contracta aut inflammata ut rigiditas curatur. Uterus humidior ad adtactum eſt mollior & frigidior; multumque humoris per pudenda emittit, menſeſque ſunt albicantes, & ſæpe ſterilitatem infert: curari debet calefacientibus roborantibus cum modica ſuſtentatione ad abdomen applicatis, non facile acria, ut veteres, pudendis indenda ſunt. Siccior autem in corpore manens ex inflammatione vel eryſipelate, ut iſti morbi curandus: ſed prolapſus & ita exſiccatus, ante repoſitionem fotu molli humido & ſubpingui, humectandus. Calidior ex morbis inflammatoriis aut eryſipelatoſis, vel humore acri bilioſo, ſpecialem non exigit curationem: ſed modica affectio curatur refrigerantibus applicatis & ingeſtis. Frigidior autem ex languidiore motu vitali & particulari, menſes parciores & minus coloratos emittit, ſæpe patiuntur feminæ leucorrhœam, facile abortiunt, appli-

applicatione calefacientium & roborantium hic morbus curandus. Uteri debilior actio ex contractilitate, motu vitali generali vel particulari, consueto modo cognoscitur & curatur, nisi quod addenda sit simul uterina medicamenta. Dolor in utero ex quacumque causa anxietatem infert, vesicam & alvum sæpe in consensum trahit, secundum inventam causam curandus, si tolli non potest exhibenda anodyna uterina. Uteri Gravitas ex retentis humoribus, vel fœtu mortuo, quando circa locum uteri simul observatur tumor, curari debet contentorum evacuatione: sed si fiat sine tumore ex debiliori actione, ut debilitas curatur.

XI. Uterus 1. Tumens ex contentis in ejus cavitate, si fiat ex graviditate naturalis est, a retentis humoribus superius exposuimus (v), ex mola, vel relicta placenta, sanguine menstruo vel lochiorum suppresso speciali titulo traditur. Sed ejus Intumescentia ab Aere corruptione contentorum nato fieri nequit sine valida orificii constrictione, quod dilatatum aerem emittit, locus dein depurandus, & nova generatio antisepticis prævenienda. Lympha autem in cavo collecta, vel hydatidibus recepta, simili modo emittitur, sustentato simul abdomine. 2. Sed tumens a Sanguine in vasis contento, post mensium lochiorumve suppressionem, difficilius curatur sine subsequente febre putrida, cujus curatio tunc adhibenda, cum fotu & sustentatione abdominis. Tumens ex Hydrope vel œdemate præter sustentationem & applicationem discutientium interna diuretica, uterina exigit. Uterus ex inflammatione tumens inducit ardorem, siccitatem, dolorem vehementem & anxietatem in infimo ventre & ad perinæum, sæpe fiunt stranguriæ, tenesmus, coxæ & inguinum dolor, vomitus, caligo, suffocatio, sincipitis dolor, colica & multa alia ex consensu: curari debet ut aliæ inflammationes. Ejus Erysipelas ab inflammatione signis vix distingui potest, nisi quod calor sit magis mordax, urina flavescens flammea, pulsus velox minus durus. Hi autem morbi vel & alii si in Abscessum vel Suppurationem transeunt, pus dilatato uteri orificio educendum, & ut sinus purulentus relictum ulcus curandum. Uteri Sphacelus ex dictis aliisque causis natus, conjicitur, ex doloris cessatione sine ratione, pulsu debili vacillante, sudore copioso frigido, facie cadaverosa, effluxu fœtentis ichorosi humoris: si intus fiat raro emergunt: sed in utero prolapso, interdum post amputationem servatæ sunt mulieres. Ejus Scirrhus & Cancer sensim & lente increscit præcipue in vietis, generat primo pondus in infimo ventre, quod corporis inversione de loco in locum devolvitur, cum mammis flaccidis & sæpe scirrhosis; tandem sua mole in adjacentibus multa symptomata infert, & suscepta acrimonia, & concitato consensu varia anomala symptomata producit: statim in principio resinosis, resolventibus & uterinis tentanda curatio, quæ postea impossibilis fit. Tubercula, sarcomata, verrucæ, condylomata uteri orificio adhærentia, ut iidem morbi vaginæ, cognoscenda & curanda.

XII. Uterus ex morbo consumtus, sectione sublatus, vel ex nativitate deficiens incurabilem sterilitatem infert. Minor autem moles in vietis & ante pubertatem, naturalis est. Exulceratus ex quacumque causa ad contactum dolet, febris putrida vexat, fundit pus, ichorem, sanguinem, urinam crassam fœtidam; hoc ulcus ut fistula vel sinus purulentus curandum. Corrumpens in ventre generat circa pudenda morsus horribiles, pecten, inguines, & lumbi dolent, dolet caput ac sinciput, oculi caligant, & sæpe sopor profundus, sensus reliqui stupidi, extremæ partes refrigerantur, tremunt, fastidiunt, nauseant, & vomunt, vociferant, exiliunt, & anxii sunt, sudant circa frontem, atque cito moriuntur; localia antiseptica sunt applicanda & injicienda, & talia danda interna, quæ in corruptione traduntur. Ex dictis morbis sæpe relinquitur Cicatrix nulla arte delenda, inhibens debitam in gravidis extensionem, unde parit abortum vel sterilitatem.

XIII. Uteri actio debilior sæpe sanguinem menstruum & lochiorum in suis vasis adcumulat; in partu & abortu non satis fœtum extrudit; qui

defe-

defectus ſupplendus ſtimulantibus uterinis. Verum oſcula vaſorum & uteri orificium minus contracta generant menſium & lochiorum profluvium, & leucorrhœam, applicatis & exhibitis roborantibus uterinis cum modica ſuſtentatione ſanandum. Convulſio tonica vel clonica, variam directionem faciens, fundum aut orificium adficiens in uteri fibris, producit menſium, lochiorumve ſuppreſſionem vel profluvium, dyſtociam vel abortum, qui morbi ſibi quaſi invicem oppoſiti medicamentis anodynis antiſpaſmodicis uterinis curantur. Uterus adfectus nexu & ſitu partium adjacentium, communi origine arteriarum venarum & nervorum, ſimilitudine ſecreti humoris, conſpirante actione, cum mammis mirabilem Conſenſum exercet: unde ex eo adfecto naſcitur alvus conſtipata, teneſmus; Iſchuria, ſtranguria; anorexia, faſtidium, pica, malacia, vomitus; lumborum gravitas & dolor; reſpiratio ſuffocata, epilepſia hyſterica; ſincipitis & cervicis dolor; maxime mammarum intumeſcentia, detumeſcentia, dolor & multa alia mala, quæ ſponte ceſſant ſanato morbo conſenſum faciente, aut ſi fieri non poſſit ſublato, compeſcuntur anodynis nervinis, & uterinis.

XIV. Menſium & lochiorum nimia evacuatio vel ſuppreſſio, leucorrhœa, vel gonorrhœa propriis locis exponuntur: ſed Hæmorrhagia in gravidis ſæpe abortum præſagit, qui tunc præveniri nequit ſine abdominis ſuſtentatione, qua modice clauduntur vaſa.

421. TUBARUM MORBI.

I. Ex utroque latere fundi uteri naſcitur canalis Tuba dictus exiguo orificio, qui ſenſim fit amplior, ad finem dein arctior, ſubſtantiæ ſpongioſæ, cavernoſæ, figuram tubæ habens, in ea extremitate in fimbriam deſinens, quorum ope utraque tuba nectitur ſuo adjacenti ovario, ex quo recipit ovula, quæ per internam rugoſam ſuperficiem ad uterum deducit.

II. Inveniuntur non raro hydropicæ, hydatidibus obſeſſæ, vel calculum, ſanguinem, concretum humorem, pus continent, aut in cavum abdominis deponunt, in menſtruis vel lochiis ſuppreſſis; interdum quoque clauſæ fimbriiſque deſtitutæ. Hi omnes morbi poſt mortem inventi ad cognitionem & curationem in viventibus nihil boni præbuere, niſi quod inter ſterilitatis cauſas recenſeri poſſint: fœtus in tuba natus ſine ſectione cæſarea in lucem vivens venire nequit.

422. OVARIORUM MORBI.

I. Corpuſcula olivaria organica interveniente tuba lateribus uteri nexa, majora in matura ætate, quando etiam ovula generant, quam aliis temporibus, eodem genere vaſorum ſpermaticorum, ut teſtes in viris, inſtructa, dicuntur Ovaria, quorum ſubſtantiam Lutea corpora vocant, & corpuſcula in iis nata Ovula feminarum.

II. Horum defectus, ſcirrhus, abſceſſus, tumores folliculoſi, obſtructio, induratio, hydatides, hydrops, aut a calculo vel aliis rebus alienis impletio, inventa ſunt in cadaveribus feminarum, quæ antea ſteriles fuere, quorum morborum vix ulla antea erat cognitio, & forſan fruſtra ſuſcepta fuiſſet curatio.

423. MENSTRUA PURGATIO.

I. Sanguinis ex pudendis mulieris ſanæ, maturæ ætatis, neque lactantis, neque gravidæ, ſingulis menſibus ut plurimum recurrens fluxus, Menſes & Menſtrua purgatio dicitur.

II. Circa decimum quartum ætatis annum in his regionibus incipere ſolent; ſed in calidioribus, præmatura venere, & in caſibus rarioribus prius viſuntur:

deſi-

desinunt ut plurimum 49 ætatis anno, vel & prius in calidioribus regionibus: raro post 50 annum perseverant sine labe morbosa.

III. Paroxysmus generalis ex minoribus compositus triduum durare solet, genio indulgentibus, otiosis, & plethoricis protrahitur; strigosis, macilentis, duriter viventibus breviori tempore absolvitur.

IV. Omni die 28 vel 30 redire solet paroxysmus: minori autem intervallo in eadem femina per victum copiosiorem, corporis quietem, veneris abusum: sed protrahitur post partum, evacuationes copiosiores & morbum validum. In plethoricis & mollioribus citius redeunt periodi; sed in strigosis & viraginibus rarius redeunt. In variis feminis, variis temporibus observatur periodus.

V. In eadem femina circa principium periodi, increscente adhuc corpore, & circa finem, minor copia funditur quam in constante ætate. Lautiore diæta & vita otiosa augetur quantitas; sed victus parcior & vita laboriosa detrahit copiam. Corpora molliora & succulenta plusquam sexdecim uncias interdum fundunt; strigosa autem interdum ne quinque uncias fundunt. Sanguis linteis receptus certæ quantitatis pondus non exhibet. Illa quantitas est proportionata, quæ vires relevat, & facit corpus levius ad sensum & alacrius, nullamque debilitatem infert.

VI. Femina sana sanguinem jamjam ex aorta venientem emittit, neque in gravidis vel lactantibus retentus corrumpitur. Alias vero in matura ætate retentus stagnando corrumpitur; aut corruptus exit in chlorosi, cachecticis, melancholicis & scorbuticis; vel inquinatur admistis humoribus morbosis ex partibus genitalibus vel urinæ profluentibus.

VII. Abundantia tradita incremento fœtus in Gravidis, vel detracta in Lactantibus per mammas, salubriter cessare facit catamenia; interdum vero in magna abundantia continuantur sed minori copia. In vietis autem ob vires præparantes debiliores sensim cessare incipiunt. Si citius subsistunt, venæ sectione tollenda abundantia, nisi femina pinguescat: sed continuata evacuatio ultra solitum terminum ad mensium profluvium refertur.

VIII. Signa 1. Abundantiæ generalis sunt languor, lassitudo, palpitationes per totum corpus, corporis oppletio & gravitas, caloris frigorisque vicissitudo, anhelitus ad minimum motum. 2. Collectionis circa uterum, dolor, pulsatio, gravitas, æstus, circa lumbos & coxas, pudendorum gravitas, ventris inflatio. 3. Motus instigati in utero, micturitio, tenesmus, frequens conatus egerendi, insolita in infimo ventre agitatio. 4. Consensus cum mammis, earum major intumescentia; cum ventriculo, nausea, fastidium; affectiones hystericæ, suffocationes, animi deliquium, vertigo, cephalalgia, aurium tinnitus. Multa horum in femina matura non gravida fluxum instare monent, vel fluxum concomitantur; at in gravidis abortum sæpe promittunt.

IX. Qui perpendit 1. corpora feminarum delicatiora, molliora, laxiora, succulentiora, minus perspirare, incipere menses cessante corporis incremento, desinere cum ætate provectiore, minui post evacuationes copiosiores, augeri cum lautiore vita, cessare in gravidis & lactantibus: 2. pelvim ossium multo ampliorem esse solum uterum continentem, uterum hærere in parte corporis infima, ejus structuram cavernosam esse, venas valvulis carere, vasa admodum intorta, nudissima, multis anastomosibus unita, desinere in cryptas mucum fundentes admodum dilatabiles, is concludet feminarum corpora proniora esse ad generandam plethoram, eamque circa uterum colligendam, quam corpora virorum.

X. Illa abundantia sanguinis nata, in uteri vasis præcipue collecta, uteri particularem actionem instigat ad exonerandum. Catamenia fluentia sine prægressa abundantia, vel subsistentia cum ad morbos referuntur.

424. MENSIUM PROFLUVIUM.

I. Major ſanguinis menſtrui copia evacuata in femina matura non gravida, ſive quia periodus diutius duret, ſive frequentius redeat, ſive non demittat, ſive ſtato tempore nimis ejiciat, quam tali feminæ conveniat, Menſium profluvium dicitur: ſic etiam fluxus continuatus in vietis. Sed ante ætatem fluentia catamenia dicuntur præmatura. In gravidis autem vel uteri læſione, hæc ſanguinis morboſa evacuatio ad Hæmorrhagiam uteri refertur.

II. Quæ menſtruatio fit ex plethora aut circulatione majore, uti in acutis, febribus ardentibus, phrenitide aliiſque morbis inflammatoriis, & in eorum principio, quoniam ſanguinem ad naturalem quantitatem redigit, & motum nimium temperat, ſalutaris eſt, niſi nimis diu continuetur.

III. Sed in multis epidemicis, eryſipelatoſis, putridis, colliquativis, circa finem variolarum, morbillorum, in ſcarlatina, petechiis, aphthis, morbis bilioſis, tenuitate, calore majore, ſcorbuto & ſimilibus morbum auget, quando refrigerantibus leniter adſtringentibus fluxus compeſcendus.

IV. Si vero ab acribus diureticis, emmenagogis, ecbolicis, calefacientibus, aromaticis, ſtimulantibus, ſpirituoſis, veneris abuſu, vel immiſſis peſſariis menſes profluant, dictæ cauſæ ſunt omittendæ, pudenda abluenda ſi applicatio fuerit facta; ſi fluant ab acribus ingeſtis, id acre temperandum refrigerantibus, & adſtringentibus. Sed ex animi pathemate vel paſſione hyſterica veniens fluxus ſponte iterum ceſſat, vel anodynis compeſcitur.

V. Femina ſæpe & laborioſe parturiens vel abortiens, laxiores has adquirit partes, ut ſanguis in vaſis circa uterum collectus, ſuo pondere & mole facile oſcula in cavum uteri hiantia continuo ſervet aperta, quod promovetur arctiore conſtrictione facta ad hypochondria, quæ ex inferioribus partibus difficilior fit ſanguinis reditus. In quibus caſibus abſtinendum ab adſtringentibus refrigerantibus; ſed ingerenda & applicanda roborantia, cum artificioſa abdominis a pube ad umbilicum ſuſtentatione, ſoluto vinculo ad hypochondria.

VI. Quæcumque in cavo uteri remanent, ut portio placentæ, mola, grumus, ut & alia integram uteri contractionem impedientia, ſanguinis ſtillicidium perſeverare faciunt, donec illa fuerint ſublata, quod ex uteri morbis peti debet.

VII. Reliqui morbi, ut laceratio, contuſio, vulnus, ulcus, ruptio, omniſque uteri læſio ſanguinem fundentes ad uteri hæmorrhagiam referuntur.

VIII. Ut in omni hæmorrhagia, ita in menſium profluvio, ex minuta ſanguinis quantitate naſcuntur debilitas, frigiditas, horror, convulſio, pallor, cachexia, cruditas, atrophia, macies, ſuffocatio, ſyncope, hydrops, œdema, tumor extremorum, corruptio ſpontanea, aciditas, anxietas, mobilitas, leucophlegmatia, phthiſis, vertigo, hectica, faciei pallor, animi pathemata & interdum delirium, ſæpe reſpiratio difficilis.

IX. Magis autem ſpeciales effectus ſunt morbi uteri, vaginæ, ſterilitas, fluor albus; atque per conſenſum fiunt morbi mammarum, & ventriculi, ut nauſea, anorexia, faſtidium, dyſpepſia, lumborum & dorſi dolor, hyſterica paſſio, & alvus adſtricta.

X. Ex quacumque cauſa nimis fluunt menſes, ſtatim ſecundum inventam cauſam non omnis ſiſtendus fluxus; ſed ſenſim temperandus; neque effluens ſanguis cohibendus clauſis pudendis. Poſt peractam diminutionem, ſuis periodis permittendus fluxus, in feminis maturis non gravidis vel lactantibus: ſed in aliena ætate & gravidis nata abundantia educenda phlebotomia.

425. MENSTRUA SUPPRESSA.

I. Sanguinis naturalis evacuatio ex pudendis feminæ maturæ ætatis, neque gravidæ, neque lactantis, si subsistat, parcior fiat, vel longiori intervallo redeat, ad hunc titulum pertinet.

II. Non conspiciuntur regulariter ante XIV, & post XXXIX ætatis annum, atque in gravidis & lactantibus. Si autem fluunt in his, ad morbos refertur hæc alias naturalis evacuatio.

III. Ex Ætate & Lactantibus subsistere facile innotescit: sed in Gravidis detegere majoris est momenti. His non solent accedere symptomata infra recensenda, aut si accesserint sensim iterum evanescunt, manente suppressione, mammæ & venter intumescunt, & tandem fœtus in utero agitationem sentiunt gravidæ.

IV. Ut omnes evacuationes naturales, ita etiam catamenia variis generibus causarum subsistunt, quæ ad prognosin & curationem sunt rimandæ.

V. In feminis maturæ ætatis post partum, magnas hæmorrhagias, venæ sectionem, magnos morbos, una alterave vice intercalantur menses sine damno; hoc tempore quando ab incautis exhibentur emmenagoga, præposteræ curationis luet pœnam ægra, expellitur enim sanguis, qui conservandus erat.

VI. Aliorum quoque humorum abundantiore evacuatione, per alvum, vesicam, cutim, os, ulcus, abscessum, fistulam, & collectionem in hydropicis, defectus humorum natus, supprimit, vel minuit, vel retardat menstruationem: ut & convalescentibus aut morbo chronico diu pressis, subsistunt menses sine multo damno.

VII. Frequentissima supprimens & retardans causa est humorum Crassitudo & Viscositas, victu humido, glutinoso, incrassante, motu animali languidiore, vita otiosa adquisita: pulsu languido, raro, debili, somnolentia, pigritia, pituitosorum excretione, colore pallido, corporis frigiditate, similibusque signis cognoscenda. Hæc suppressio resolventibus, stimulantibus, frictionibus, corporis exercitatione curanda: dein emmenagogis menses provocandi. Purgantia resolventia in hoc genere multi sunt usus. Sanguinis autem missio nihil boni, nisi ad ingressum medicamentorum, præstat.

VIII. Ingesta alimenta in primis viis & organo circulatorio non satis præparata, vel accedente spontanea corruptela in corruptum crudum commutata, ut in cachecticis, cacochymicis, scorbuticis, retardant hunc lunarem fluxum, qui redit sponte his curatis morbis. In hoc genere alvus laxa servanda, & si tunc sponte non prodeunt, emmenagogis provocanda catamenia.

IX. Partes firmæ laxiores, languidioreque motu vitali, propellentes sanguinem ad uteri vasa, quam ad eorum dilatationem requiritur, simulque generantes viscositatem in humoribus, ut & in uteri vasis deficiens actio particularis propellens, sive hæc animi pathematibus, & cura, sive abusu refrigerantium, & laxantium, malaque diæta, sive morbis acutis vel chronicis, nata sint, generant suppressionem, roborantibus, stimulantibus & uterinis curandam.

X. Viragines, siccæ, robustæ, multis laboribus vitaque duriore exercitatæ, carnem duram habentes, non solum parciora catamenia habent, sed & facilius ferunt mensium suppressionem: his mensium emansione laborantibus non sunt danda emmenagoga calefacientia, sed nitrosa laxantia & humectantia adhibenda & applicanda.

XI. Juvenculæ tenellæ, quæque nunquam pepererunt, parce admodum vel omnino non fundunt menses, ferunt diu hanc suppressionem sine multo incommodo, nisi quod valetudinariæ vivant, & chlorosi laborent. In his expectandum donec in majorem molem increverit corpus, nam præmature proritati menses, spem eludunt.

XII. Feminæ hyſtericæ, mobilitate laborantes, quæ ſine prophaſi ſpaſmodicis contractionibus, murmuribus, flatibus, lumborumque dolore corripiuntur, quæque menſtruationis tempore variis & vagis ſymptomatibus vexantur, ex animi pathemate vel & ſponte in menſium ſuppreſſionem incidunt, aut quibus ſubſiſtunt menſes in principio vel medio curſus, his ex convulſione ſupprimuntur menſtrua, quibus provocantur per talia auxilia, quæ in paroxyſmo mobilitatis traduntur cum anodynis & lenioribus emmenagogis; nam fortioribus emmenagogis non auſcultant.

XIII. Inter cauſas externas frequentiſſima eſt ſanguis in uteri vaſis coagulatus, per frigus ſubito applicatum, vel vehemens animi pathema, exſtinguens ſanguinis fluxum per uteri vaſa. Venæ ſectio, fomenta, ſuffumigia, ſemicupia, humectantia, emollientia in his adhibenda. Patiuntur hæ, ob ſanguinem ad uteri vaſa collectum, lumborum dolorem, gravitatem, calorem, ventris inflationem, caloris frigoriſque viciſſitudinem, pulſationes in lumbis & per totum corpus, hæmorrhagias per inſueta loca. Qualia etiam ſymptomata conſpiciuntur in iis, quarum uterus cicatrice obductus eſt, tumore obſeſſus, & in atretis.

XIV. Infinitis fere ſymptomatibus vexantur feminæ menſium ſuppreſſione laborantes. 1. Quæ proveniunt ex cauſis variis ſuppreſſionem inferentibus. 2. Ex mera abundantia in toto corpore vel circa uterum. 3. Ex mutata natura humorum ſuperinducta. 4. Ex utero ipſo adfecto. Quia ex his ſolitariis, vel & conjunctis multa fiunt, ſequemur in enumeratione horum, corporis humani diviſionem.

XV. Caput dolet ad ſinciput præprimis & occiput, qui veſperi intenditur cum quadam gravitate & diſtentione. Si ſinciput occupat, oculi ſimul ſolent tumere: verum in occipite ſæviens protendi ſolet ad cervicem, dorſum, ſcapulas & lumbos cum pedum tumore.

XVI. In interioribus capitis partibus apoplexiam, ſyncopen, delirium, ſoporem, convulſionem, ſomnolentiam, vertiginem, vigilias; in oculis gravitatem, tumorem, viſus obnubilationem; inter dormiendum dentium ſtridorem producunt menſtrua aliquamdiu ſuppreſſa.

XVII. In Collo frequentiſſime angina, dolor, ſuffocatio; in pectore aſthma, anxietas, dolor, palpitatio, diſpnœa, & tuſſis fiunt.

XVIII. Ventris inflationes, dolores colici, flatus, murmura, præcordiorum tumor; ſtomachi appetitus dejectus, vitiata coctio, faſtidium permanens, quod in gravidis tertio vel quarto menſe ceſſare ſolet, nauſea, vomitus & interdum cruentus, pſeudorexia; lumborum & ſpinæ gravitas, dolor & multa alia demum accedunt.

XIX. Alvus plerumque eſt adſtricta: Urina ut plurimum craſſa, cruda, ſtrangurioſa, vel & ſuppreſſa; quandoque nigra & craſſa, vel cruenta cum levamine fuit emiſſa; ſana autem invenitur in menſibus ſuppreſſis gravidarum.

XX. Ad pubem & inguines ſæpe dolor, tumor, gravitas, tenſio; uterus interdum ſcirrhum, indurationem, & cancrum contrahit; patiuntur fluorem album humoris pituitoſi, ichoroſi.

XXI. Crura & pedes ſæpe tument, ulceribus mali moris, varicibuſque tentantur; & articuli doloribus vexantur.

XXII. Corpore tument cachectico & œdematoſo tumore; vel emaciantur; pallent ut in chloroſi; phlogoſi tentantur; horrent; hyſterica paſſione vexantur; imbecillitas, & pigrities; anhelitus ad motum minimum; corpus grave, frigidum iners; febris lenta, hectica: corruptio humorum ſpontanea, cruditas, acrimonia acida, qua coralia rubra geſtata interdum exalbeſcunt; alvi excrementa viſcidiora, aliena, corrupta; pulſationes & palpitationes in variis corporis partibus, maxime circa cor & collum; hydrops, leucophlegmatia; quandoque hirſutæ fiunt, imo barbatæ, vocemque raucam virilem adquirunt.

XXIII. Sanguis emittendus retentus ex abundantia, interdum ſibi parit viam per

per inſolita loca: Hæmoptyſis hinc nata aliis minus periculoſa: Ulcera hoc tempore cruorem & alienum humorem fundunt: aut fit fluor albus. Omnes autem hæ ſuccenturiatæ evacuationes imperfectam ſanitatem relinquunt. Sed ſi in vietis ſubſiſtunt, & inde pingueſcunt, raro aliquid mali proferunt.

XXIV. Antequam ſuſcipitur curatio perpendendum; 1. An menſes ſint provocandi; 2. Ex qua cauſa ſubſiſtunt, ut ad eam dirigatur curatio; 3. Quid valeant generalia auxilia, quæ in menſibus ſuppreſſis adhiberi ſolent.

XXV. Phlebotomia minuendo ſanguinis copiam in principio ſuppreſſionis ab externa cauſa, in pede inſtituta conducit; iterata autem damnatur, aut quando aliquamdiu fuere ſuppreſſa; in ætate provectioribus in brachio eſt inſtituenda ut menſtrua ſuppreſſa maneant ſine damno.

XXVI. Cathartica autem præſtantiora, quia cacochyliam primarum viarum ſimul educunt, & magis determinant motum ad uterum: ſed in gravidis & quando ex humorum defectu ſubſiſtunt, abſtinendum ab iis.

XXVII. Anodynis egregie referantur menſtrua ſuppreſſa, ſi ex convulſione, hyſterica paſſione aut mobilitate ſubſiſtant.

XXVIII. Laxantia, mollia, humectantia, malagmatis, fotus, vaporis forma applicata, provocant cum bono effectu, ex cauſa externa, vel nimia conſtrictione ſubſiſtentia.

XXIX. Medicamenta menſes ſubſiſtentes provocantia varia ſunt. 1. Quæ tollendo cauſas agunt omni tempore, conveniunt niſi in vietis & gravidis. 2. Generalia moventia & evacuantia, cum prudentia adhibenda.

XXX. Quæ 3. ſpecifice augent uteri actionem ad exonerandum ſanguinem, ut faciunt purgantia in inteſtinis, nunquam in gravidis adhibenda, aut quando ex defectu ſanguinis ſubſiſtunt: alias danda & applicanda, eo tempore, quando menſtrua fluere ſolebant, vel ſigna menſtruationis obſervantur, præmiſſis reſolventibus, ſtomachicis, uterinis: atque incipiendum a leniſſimis, qualia ex catalogo emmenagogorum poſſunt peti.

XXXI. Dum internis medicamentis major fit determinatio fluxus ad uterum, in iis, quibus menſtrua ſunt ducenda, & non ſubſequuntur, conducit ſuffumigiis, fomentis, peſſariis has partes irritare, cavendum ne fiat nimis acribus, ne partes inflammentur: his nuptiæ legitimæ ſunt ſuadendæ.

426. LEUCORRHŒA.

I. Liquoris ſeroſi, glutinoſi, mitis, qui poſtea ſæpe fit acris, fœtens, virulentus, & varii coloris, ſtillicidium, vel perpetuum, vel interpolatis vicibus, ſine voluptatis perceptione, ex pudendis mulierum cujuſvis ætatis, etiam in gravidis & lactantibus, vocatur Fluor Albus, & Leucorrhœa.

II. Differt a congeneribus morbis. 1. A gonorrhœa benigna, quæ etiam fluentibus menſibus diſtinctum præbet liquorem ex ſolo meatu urinario deſtillantem. 2. Pollutione, quæ facit ſtillicidium breve tempus durans, cum voluptatis perceptione, & cum cogitationibus venereis. 3. Menſtruis diſcoloratis, quæ periodum aliquam ſervare ſolent. 4. Puris evacuatione, quæ ſemper conjunctum dolorem, vel exulcerationem pudendorum habet, vel pus cum urina exit.

III. Poteſt hic humor ſtillare, 1. Ex ipſa Vagina, quando etiam in gravidis, orificio uteri clauſo, perſeverat. 2. Vel ex Meatu urinario, quando potius vocatur gonorrhœa. 3. Ex Uteri cavitate tranſpluens venit ex cervice uteri, ſeu ovario novo, ex uteri lateribus, Tubis fallopianis & forſan ex ovario per tubas in cavum uteri. Ex omnibus his partibus ſtillans, ſubſiſtit in gravidis, cum os uteri ſit clauſum.

IV. Tria genera vaſorum hunc humorem ſuppeditare poſſunt. 1. Lacunæ & glandulæ naturalem mucum copioſius fundentes. 2. Extremitates arteriarum lympha-

phaticarum dilatatæ. 3. Extremitates nervorum ſuccum exonerantes. Forſan ex Ovario quoque liquor ad formationem ovulorum deſtinatus vitioſe exoneratur. Simili quoque modo ex utero & tubis, atque ovariis per vaſa ſpermatica redditur ſuccus nutrititius bonus cum corporis detrimento.

V. Omnes naturales in his partibus ſecreti humores ſunt blandi, albi & aliquomodo glutinoſi: qui ex Lacunis ſtillat eſt inſtar muci: ex extremitatibus Arteriarum lymphaticarum & nervorum eſt tenuior & magis ſeroſus. Poteſt etiam mucus copioſius ſecretus in lympham acrem converſus, ut experimur in coryza, ſtillare.

VI. Hi liquores, vel quia vitioſi fiunt ſtagnando, vel aliunde huc feruntur, vel quod organa ſint corrupta, alienam induunt interdum indolem, ut fiant fœtidi, ichoroſi, virulenti, ſuppurulenti, flaveſcentes, liveſcentes, nigricantes, & acres.

VII. Cauſæ hunc fluxum concitantes in hunc ordinem poſſunt redigi. 1. Naturalis, connata, hæreditaria vaginæ vel uteri diſpoſitio ad plorandum hunc humorem. 2. Inducta laxitas, atonia, humiditas harum partium, in ſcorbuto, menſium obſtructione & profluvio, abortu, partu difficili, frequentiore coitu, applicatione frigidi vel refrigerantis, abuſu thermarum, potione nimia aquæ tepidæ. 3. Determinatio fluxus per purgantia diuretica, emmenagoga. 4. Materia catarrhoſa huc depluens, vel ex alio loco metaſtaſim faciens. Huc forſan pertinet virulentum venereum, quod, uti in membranam pituitariam, hic in lacunas vaginæ & uteri deponitur.

VIII. Ex perſeverante fluore hæc fiunt. 1. Quia non eſt naturalis excretio, detrahitur nutrititius & bonus humor, unde debilitas, languor, macies, atrophia, atque rhachitis in infante ex tali matre nato. 2. Continuo hoc fluxu, quo minus debito præparantur humores, fit cachexia, cacochymia, pallor, fœdus color, circulus lividus ſub oculis, hyſterica paſſio. 3. Aut liqueſcunt humores in corpore, ſolidaque enervantur, unde œdema partium pendentium, leucophlegmatia, intumeſcentia ſub oculis, frequens uteri & ovarii hydrops. 4. Uterus & vagina, continuato profluvio relaxata ſæpe prolabuntur. 5. Qualis fluxus præprimis a nervis ſuppeditatur, ille dolorem & frigiditatem lumborum inferre ſolet, cum nervi ex hoc loco oriantur. 6. Qui autem ex ovario, cavo uteri & tubis venit, ſterilitatem infert & abortum, cum in his uteri os eſt apertum, & humor nutriens fœtum corruptus. 7. Continuato fluxu, ſi effluens humor fiat acris, generatur excoriatio, ulcus & fœtor pudendorum: atque ab ea materia abſorpta febris hectica.

IX. Curatio ad cauſas dirigenda & ad partem adfectam. 1. Qui fit ex hæreditate vix recipit medelam, quando impuberes etiam adgredi ſolet. 2. Ex Atonia natus roborantibus, gummoſis, reſinoſis, ſiccantibus, & calefacientibus curandus internis & externis topicis. 3. Ex determinatione natus, ſiſtitur compeſcito motu anodynis & derivatione ad cutim. 4. Ex catarrho natus, requirit materiæ derivationem ad cutim per diaphoretica, ſudorifera, ex lignis, vel evacuationem per fonticulos concitatos. 5. Ex lue venerea veniens neque poteſt, neque debet ſine generali luis venereæ curatione curari. 6. Palliativa autem curatio excoriationis, pruritus, fœtoris, & doloris peti debet ex propriis iſtis morbis.

427. HYSTEROMANIA.

I. Ut fames & ſitis major ex morboſa cauſa refertur ad morbos, ita veneris nimia appetentia in feminis ex non naturali cauſa Hyſteromania vocatur.

II. Cauſa hujus irritans plerumque eſt humor acris ad eas partes confluens, interdum vermiculi latitantes, quæ cauſa optime tollitur lavamenti refrigerantis & antiſeptici frequenti ablutione. Quæ generatur ex tumente ovario non facile

facile curationem admittit, tentanda tamen refrigerantibus ingeſtis & applicatis.

428. STERILITAS.

I. Quæ femina maturæ ætatis, cum viro potenti coire nequit, vel ex coitu non concipit, Sterilis habetur.

II. Ante maturam ætatem & vieta femina non concipit: menſium ſuppreſſione laborans aut lactans raro concipit, & tamen non cenſetur ſterilis.

III. Verum morbis pudendorum, vulvæ, vaginæ, perinæi virum non admittentibus; vel uteri, tubarum, ovarii, & ovulorum, fœtum ab accepto ſemine non formantibus, generatur morboſa ſterilitas.

IV. Inde deformitas, clauſura, concretio, anguſtia, tumor, ulcus, procidentia, ſcirrhus, obſtructio, compreſſio, hians perpetuo orificium, poſt vulnera, contuſiones, abortum, partum difficilem, fluorem album, luem veneream, menſium & lochiorum profluvium, cachexiam, chloroſin, cicatricem relictam, ſterilitatem pariunt: nonnulli addunt philtra & magiam: veteres adferunt intemperiem harum partium. Quæ feminæ ſemper abortiunt ex convulſione, hyſterica paſſione, mobilitate vel alia cauſa, non cenſentur ſteriles.

V. Ipſa ſterilitas nihil producit niſi irritam prolis propagationem, ſed ex cauſis ſterilitatem inducentibus multa mala fiunt, quæ huc non debent referri.

VI. Curatio conſiſtit in cauſarum ablatione, quæ ergo ex propriis titulis petenda.

TITULUS III.

EMBRYOLOGIA.

Embryologia ad tria referri poteſt, 1. Quæ matri & fœtui accidunt ante nativitatem. 2. In partu ipſo. 3. Quæ poſt partum fiunt.

429. GRAVIDARUM MORBI.

I. Si in femina matura ovum unum vel alterum in cavo uteri delatum, a ſemine virili imprægnetur, ibidemque maneat & increſcat ad perfectionem uſque, diebus ut plurimum 280, talis femina legitime gravida eſt, ſive unum, ſive geminos, ſive trigeminos fœtus contineat: ſi autem hæc imprægnatio fiat in tubis, ovario, vel cavo abdominis, illegitime & cum periculo gravida eſt.

II. Gravida num ſit, ſcitu eſt neceſſarium. 1. Ut medici rogati oſtendant ſe peritiſſimos eſſe in ſua ſcientia. 2. Ne decepti dent ecbolica, vel aliena imperent. 3. Ut detegant feminarum fraudem. 4. Ut a magiſtratu rogati, num gravida ſit, veritatem deponere poſſint. 5. Si hæreditas ſit exſpectanda, ut graviditatem declarare valeant. 6. An infanticidium fecerit. 7. An ſuppoſitus ſit infans. 8. Ut veram a falſa graviditatem decernant.

III. Quum in Gravida ſenſim increſcat & roboretur fœtus, a principio, tam in matre, quam fœtu non manent eædem actiones & ſymptomata, quæ propterea diſtingui poſſunt in ea, quæ fiunt tribus prioribus, mediis & ultimis menſibus.

IV. In gravida femina ſi manet ſana, naturale eſt, ut toto tempore geſtationis menſes non fluant, ſed ſubſiſtant ſine labe morboſa; venter in principio non increſcat, verum ſenſim augeatur; os uteri continuo clauſum ſit, in principio manens ſolito loco, circa finem geſtationis ad pudenda deſcendat, & tandem inſtante

ſtante partu aperiatur: & ut circa quartum vel quintum menſem ſentiat motionem fœtus levem; ſenſim validiorem: ut eo circiter tempore mammæ turgere, dolere, indureſcere incipiant, & primo ſerum, poſtea lac fundere incipiant, cum intumeſcentia & elevatione papillarum.

V. Statim ac concepit femina neceſſe eſt, ut uteri os claudatur, & cervix ſenſim ſuo muco impleatur, ne excidat, aut expellatur Embryon; hic ſenſim increſcens, & uterus ſe magis movens, quædam viſibilia producunt phænomena, quæ Graviditatis ſunt ſigna. Nam propter orificii clauſuram, neque ſanguis, neque mucus ex utero effluit; ſi autem hujuſmodi humoris effluxus obſervetur, judicandum eſt ex vagina fluere, vel abortum inſtare. Ex hac ſuppreſſione non generantur ſymptomata, quæ ex menſium ſuppreſſione venire ſolent, ſed manet urina ſana poſt menſium ſuppreſſionem, qui ſubſtitere ſine alia manifeſta cauſa. Uterus motum ſuum proprium faciens feminæ inſolitum, alias partes in conſenſum trahit, unde ſæpe nauſea, faſtidium, fames aliena, vomitus, lumborum commotio, vertigo, levis dolor inter pudenda & umbilicum, exhorreſcentia, laſſitudo inſolita, urinæ & alvi difficultas, faciei pallor & interdum maculæ, nullus autem motus Embryonis ſentitur propter parvitatem ejus, & copiam majorem liquoris in quo natat. Hoc tempore ob Embryonis vires debiliores, ſanguinis abundantiam, & concitatum uteri motum, ſæpe fit abortus.

VI. Poſt tertium menſem ſenſim viribus & mole increſcens Embryon, abdomen in tumorem adtollit, ejuſque motus ſenſim magis a matre ſentiri incipit; valet tunc ſanguinem menſtruum in incrementum ſui convertere, atque femina ſenſim huic motui uteri magis adſueta, magis ſana & vegeta fieri videtur, minus vexatur ſymptomatibus ex conſenſu, & retento ſanguine menſtruo: ſed loco horum mammæ cum ventre turgere incipiunt; hæc ſi fiant manentibus menſibus ſuppreſſis, ſine ſenſu oneris in abdomine, certum ſignum tunc eſt feminam eſſe gravidam.

VII. Senſim magis magiſque increſcit abdominis tumor, manentibus menſtruis ſuppreſſis, & orificio uteri clauſo; turgent quoque magis mammæ & ſtillare incipiunt ſerum & poſtea verum lac. Circa finem autem geſtationis uteri cervix quoque dilatari incipit, ut fœtus ſolo uteri orificio clauſo retineatur, & ita magis ad pudenda deſcendat, quando putant fœtum ſe invertere, quod fieri nequit. Pudenda tumere incipiunt tumore molli. Quæ durant ad legitimum parturiendi tempus, quando uteri os laxatur, fibræ muſculares uteri contrahuntur, & muſculi abdominales convelluntur, quibus excluditur tandem fœtus vivens.

VIII. Nihil magis vexat & periculoſius in gravidis quam Vomitus; ejicit enim naturale nutrimentum, quod remanet non recte præparatur, & violenta actione non raro eliditur fœtus: ſolet vexare præcipue tribus primis menſibus, quia tunc ille ſanguis menſtruus, qui retinetur, a fœtu non conſumitur, & quia novus uteri motus ventriculum tunc magis in conſenſum trahit, quam reliquis temporibus. Interdum autem durat ad finem geſtationis, quod pejus eſt. Si tantum incipit inſtante partu, difficilem partum promittit. Compeſcendus ergo omni tempore Stomachicis & Anodynis, & quando plethora in principio geſtationis adeſt, vena ſecanda eſt. Qui autem toto tempore geſtationis infeſtat, vel circa partum inſtantem incipit, reſpuit venæ ſectionem maxime inſtante partu, quia fœtus tunc grandior valet conſumere abundantiam, & lochia ſequentia ſatis minuunt copiam ſanguinis.

IX. Etiamſi nauſea & faſtidium conſuetum ſit Gravidis ſymptoma ex conſenſu cum utero jam moto natum, non inferens vim uti Vomitus, tamen, quia pervertit præparationem alimentorum, & facit parcius ingeri quam requiritur ad nutritionem & incrementum fœtus, iiſdem medicamentis compeſcenda, quæ in vomitu tradita ſunt.

X. Primis etiam tribus menſibus Gravidæ vexari ſolent inſolita appetentia; ſi petant ea, quæ ſunt eſui, quæ antea tamen faſtidiebant, ea ſunt concedenda, ſolum-

ſolummodo curandum, ne nimis ingeratur: ſi autem eſui aliena petant, iiſdem, quæ vomitum compeſcunt & ſtomachicis, hic alienus appetitus prævenitur. Melius eſt in his gravidis aliquo modo concedere, ob vehemens tunc animi pathema, quod plus nocet, quam rigidiſſime reſiſtere. Per tertium quartumve menſem ſponte evaneſcere ſolet.

XI. Ex motu uteri inſueto, præprimis in feminis mobilitate laborantibus, vel quando copioſiorem patiuntur evacuationem, vel ſimul terrore percelluntur, interdum fit Animi deliquium aut Syncope, quæ ſi ſemel fiat, & non admodum gravis, periculo caret, ſed gravior, & ſæpe recurrens, prævenienda antihyſtericis; præſens volatilibus applicatis & naribus admotis abigenda.

XII. Mirabile, ſed tamen frequens eſt gravidarum ſymptoma, Odontalgia, quæ primis menſibus ita infeſtare ſolet, ut multi ex hac ſola indicium graviditatis petant: naturalem quietem gravidis quidem intercipit, ſed raro periculoſus eſt morbus, neque dentis evulſioni auſcultat; optime tamen compeſci ſolet fomento genis appoſito, quod ſæpe repetendum, donec grandiore facto fœtu ſponte ceſſat.

XIII. Quum gravida fœmina omnibus cauſis Tuſſim concitantibus æque obnoxia ſit, quam quævis alia, hinc Tuſſis generalem curationem quoque exigeret: ſed quia concutiendo periculum Abortus inferat, & duntaxat ex uteri gravidi conſenſu concitetur, promte curanda eſt anodynis nervinis, ſeu potius compeſcenda tam diu, donec uteri conſenſus non amplius Tuſſim faciat.

XIV. Ab utero ſeu fœtu comprimente inteſtinum rectum, præprimis circa geſtationis finem, gravida patitur Alvum adſtrictam: quæ tunc gravidæ moleſta, raro autem periculoſa. Sed quia ſuperior inteſtini pars ita impleta diu, interdum amittit deinceps ſuum tonum, conveniens eſt ſervare Alvum laxiorem leni eccoprotico, quia validius purgans gravidis obeſt.

XV. Omnis alvi fluxus, ut Diarrhœa, Dyſenteria, Lienteria, Cholera, damnoſus gravidis, ratione ablationis naturalis nutrimenti pro fœtu, & quia uterum in conſenſum trahit, & ſimul motum ad inferiora determinat, unde abortus periculum. Protinus igitur adſtringentibus anodynis ille fluxus cohibendus.

XVI. Ab uteri incremento, præprimis in prima vice gravidis, detrudente meſenterium lumbis adnexum, & utero premente hanc partem, vel quia retinetur ſanguis menſtruus, non raro generatur Lumborum dolor, qui modicus ſi ſit nihil præterea mali infert, ſed vehementior factus intercipit ſomnum, & partes reliquas in conſenſum trahens, varia damna infert. Si fiat primis menſibus in femina, quæ copioſa catamenia habere ſolet, venæ ſectio ſummum levamen adfert: ſed ab increſcente utero natus exigit nervina anodyna. Juvat quoque multum, abdomen totum ſuſtentare cingulo, quod pondus ſuſtentat abdominis, circa finem geſtationis.

XVII. Fœtus grandior factus, (nam primis geſtationis menſibus ſequens morbus non obſervatur) comprimens venas iliacas vel truncum inferiorem venæ cavæ, producit non raro pedum tumorem œdematoſum vel & varices, qui morbi non cedunt ante partum, ſed ſibi permiſſi tantam dilationem pariunt, quæ poſtea non diſparet: quare toto eo tempore pedes in horizontali ſitu locati, ſuſtentandi ſunt ligatura expulſiva, vel ocreis ex aluta factis: juvat interim ſimul adhibere fomentum roborans, quo imbuitur ligatura.

XVIII. Tandem nimia facta diſtenſione venarum, fit ſpontanea interdum ruptio, vel ex minima adliſione diffringitur varix, unde curatu difficile naſcitur Ulcus, quum vena talis aperta conſolidationem reſpuat, niſi corrodente prius tollatur venæ tunica, & pars conſolidanda paulo magis comprimatur.

XIX. Hæmorrhoides circa anum & pudenda, ex eadem cauſa, ut varices pedum generantur & curantur: ſed ſi ſimul alvo adſtricta laborant, ea eſt laxanda eccoprotico. Tempore catameniorum præcipue tumentes, venæ ſectione minuuntur.

XX. Quæ feminæ non gravidæ copioſa catamenia fundere ſolent, non raro

gravidæ factæ sanguinem etiam fundunt, sed, nisi simul ejus minuatur quantitas, vel abortum vel infantem debilem præsagit: ferunt hanc hæmorrhagiam si sanguis ex vagina sola profluat, quod cognoscimus ex sanguine fluido stillante debito menstruationis tempore. Quia naturalis ex his feminis & loco venæ sectionis venit, non eget curatione. Si autem copia satis magna, vel grumosus sanguis effunditur, in feminis non valde copiose menstruantibus, raro sine abortu ad finem graviditatis veniunt, quia semper tunc ex uteri cavitate venit. Si autem sanguis fluat ex parte uteri, cui placenta non adhæret, fœtus servari potest sed debilis; si fiat propter placentæ separationem, necesse est ut abortiat, & tunc quo citius eo melius, quum vasa aperta non claudentur manente fœtu in utero, obstetricis manu adjuvanda est fœtus exclusio. Ecbolica vero hoc tempore nimis magnam hæmorrhagiam facerent.

XXI. Non conveniens est ut gravida in aliqua parte doleat, si tamen adsit aliena, agnoscit causam, & suo effectu debilitat, atque ad abortum disponit, inde promte curandus vel sopiendus.

XXII. Reliqui morbi ex dictis vel generali cognitione morborum deducuntur.

430. FŒTUS MORBI.

I. Fœtus in utero hærens variis etiam corripitur morbis, quorum multi difficilem partum inferentes in Dystocia traduntur.

II. Membranæ secundinarum portio capiti adhærens in masculis Galea, in femellis Vitta dicta, ad vaticinandum inepta est. Maculis, variolis, morbillis, febre, excoriatione, hydrope, hydatidibus, ictero, hernia, exostosi, venerea lue laborans ante exclusionem vix detegi potest. Corruptus autem vel putrefactus ex mortis signis & effluente ichore judicatur.

III. Fœtum autem debilem esse conjicimus, lactis stillicidio ex mammis in gravidis; menstruis perseverantibus; motu fœtus languidiore; in funiculo propendente ex pulsu exiguo; parentibus valetudinariis; gravida ex gravi morbo decumbente. Hæc sæpe abortum præsagiunt, nisi dicti morbi sed mature in gravida curentur.

IV. Sed quando in grandiore fœtu 1. Nullus percipitur longo tempore motus. 2. Descensus tumoris gravidi ad pudenda. 3. Effluxus copiosus humorum ex ruptis membranis longe ante partum. 4. Depositio meconii. 5. Umbilicalis funiculus propendens, frigidus, non pulsans, corruptus, sphacelatus, ruptus. 6. Sanguinis præcipue grumosi evacuatio ante partum. 7. Devolutio molis cum corporis inversione. 8. Effluxus humoris fœtidi per pudenda. 9. Cutis fœtus facilis separatio ad adtactum. 10. Frigiditas perinæi 11. Tenesmus frequens. 12. Oris uteri laxa apertura. 13. Mammarum detumescentia & flacciditas. 14. Faciei color luridus & frequens phlogosis. 15. Oculi tristiores. 16. Insolita appetentia, nausea, fastidium. 17. Febricula cum horrore. 18. His si accedant causæ abortum facientes judicamus Embryon vel fœtum esse mortuum, & præsagiunt abortum atque partum difficilem, qui morbi suis locis traduntur.

431. PLACENTÆ MORBI.

I. Massa quasi carnea, figuræ orbiculatæ planæ, arteriis venisque umbilicalibus hic ramosis, constans, unica, nisi in gemellis, uteri plerumque fundo adhærens, interposito tenui epithelio, funiculum emittens, ubi æquali & tenaciore tegitur membrana, tota vasculosa, tela cellulosa & fibris inter se nexa, actione particulari donata, quæ instante partu extinguitur, post partum ab utero separanda & educenda, vocatur Placenta.

II. Hæc si præmature ab utero separetur, inevitabilem abortum parit, sæpeque hæmorrhagiam matri & fœtui lethalem, quando ejus eductio, si sponte non fiat,

fiat, manu eſt promovenda. Primo in partu ſi veniat, ſi fœtus prius educi nequit, ſtatim quoque educenda. Illa ſeparatio fit interdum vi externa, abundantia vel impetu ſanguinis, motu inordinato uteri, calcitratione fœtus, brevitate funiculi, aut quia præmature ejus actio extinguitur, vel imprudenti avulſione abſtrahitur.

III. Poſt fœtus excluſionem Placenta remanens utero adhærens, motu fibrarum uteri, & vi circulationis in utero remanente, detruditur, quod adjuvatur leni frictione ſupra abdomen & tractione modica per funiculum umbilicalem: ſi facile non ſequitur ſuadent immiſſa manu ſecundum funiculi ductum, placentam eſſe ſeparandam, fortior enim tractio facile uterum inverteret: ſed ſi lochia non ſequuntur potius relinquenda, donec ſponte veniat, ſuſtentato ſimul abdomine.

IV. Ex futili hypotheſi ſanguinis corrupti, ſtatim conantur manu educere placentam. Sed ſi adhæreat & adhuc vitalis ſit, exſpectandum potius, donec exſtincta placentæ actione ſponte ſeparetur. Verum portione ſeparata vel integre, aut rupta placenta, quod ex copioſioribus lochiis cognoſcitur, conducit ut manu juvetur ejus eductio. In retenta placenta ob os uteri conſtrictum, melius eſt exſpectare ceſſationem conſtrictionis, ab irritamento inductæ, & partem molli fotu fovere, atque abdomen ſuſtentare, quam vi tentare ablationem: contractis enim muſculis abdominalibus & utero excludentur placenta libera & grumi ex collecto ſanguine concreti.

432. UMBILICALIS FUNICULI MORBI.

I. Funiculus ſpiralis, ſubcartilagineus, intus celluloſus, liquore glutinoſo plenus, quatuor ut plurimum ſpithamas longus, in fœtu perfecto; ſæpe quibuſdam nodis vel tuberculis inæqualis, conſtans duabus arteriis, & una vena ampliore & forſan nervo, atque in animalibus uracho, pulſans & motu particulari donatus, in fœtu vivente; a placenta incipiens & in umbilicum fœtus definens, communem circulationem inter placentam & fœtum concedens, liberumque in utero motum, vel partum exareſcens funiculus umbilicalis dictus, ſtatim poſt partum duobus in locis ligandus, ad diſtantiam trium digitorum ab umbilico abſcindendus.

II. Hic longior ſæpe ſtringit collum fœtus, quando inde ante partum removendus. Brevior plerumque abortum inducit præmatura avulſione placentæ. In partu primo veniens dyſtociam præſagit. Propendens frigidus, non pulſans, corruptus, inter ſigna fœtus mortui habetur. Rigeſcens, induratus, motu particulari privatus, niſi ſequente partu præveniatur, mortem infert, abortum generat. Ruptus circa placentam periculoſam hæmorrhagiam infert, & difficiliorem placentæ eductionem. Circa umbilicum abruptus ſæpe læſionem viſcerum ventris in fœtu periculoſam inducit.

433. PARTUS NATURALIS.

I. Si femina maturæ ætatis a conceptu circa diem 280, excludat fœtum ſanum capite primo, facie ad dorſum matris converſa, ruptis non longe antea membranis, cum omnibus ſuis ſecundinis, ſubſequente modico lochiorum fluxu, hæc actio vocatur Partus naturalis.

II. Huic proxime accedit ſi facie aliunde converſa capite primo venit, vel pedibus utriſque, & denique natibus. Qualis ſitus in partu non eſt mutandus.

III. Multa ſequentium ſi obſervantur in femina gravida, breve exſpectamus partum. 1. Effluxus multi muci ex orificio uteri ſæpe cum ſtriis ſanguinis. 2. Os uteri tenſum planum, laxum, molle, hiare incipiens, præprimis in conatu, deſcendens, & ſe aperiens. 3. Conatus ad mingendum & teneſmus frequens. 4.

Dolor lumborum levis, ſæpe redeuns, ad pubem tendens, ſenſim auctus. 5. Facies floridior, tumidior in conatu. 6. Tremor inſolitus membrorum. 7. Pulſus acceleratus. 8. Caleſcentia corporis inſolita. 9. Tumor abdominis deſcendens ad pubem. 10. Pudendorum laxa impotentia. 11. Validior fœtus in utero commotio. 12. In dilatato uteri orificio membrana liquore tumens ſenſim major, quæ rupta fundit liquorem.

IV. Ex ſenſim minuta actione in funiculo umbilicali & placenta, atque his rigidioribus factis, minuitur & tandem intercipitur communis inter matrem & fœtus circulatio, quæ in fœtu ſolo ſine reſpiratione fieri nequit, quare fœtus anxius, ob impeditam per pulmones circulationem, ſe magis movet & ita uterum in conſenſum concitat.

V. Uteri orificium ſenſim laxius ad retinendum impotentius, fundus irritatus, non potens exonerare ſanguinem in placentæ mortuæ vaſa, contenta urget, ut excludantur, reliquas partes, ut etiam fit in alvi egeſtione & vomitu, in conſenſum trahit. Ex quibus conjunctis generantur partus inſtantis ſigna.

VI. Uteri fibræ ſenſim magis contractæ, retenta anima, qua deprimitur diaphragma, & convulſive contractis muſculis abdominalibus, ad pudenda dirigentibus actionem, uteri contenta magis urgent in laxatum uteri os, quod increſcente quantitate liquoris in membrana coarcita ſenſim dilatatur, tandem rupta membrana effunditur liquor, & ſubſequitur fœtus, deinceps placenta utero laxe cohærens, vel ſimul ſeparata, brevi poſt ſequitur, aut una excluditur: raro fœtus membranis integris in lucem venit.

VII. Ut parturiens facile excludat fœtum locanda in dorſum, capite elevatiore, femoribus aliquomodo divaricatis elevatis, cruribus modice flexis, pedibus ſuſtentatis, oſſe ſacro non compreſſo, & teneat manibus aliquid, quod molle eſt & tractione non multum removetur.

VIII. Dum femina per menſes ſolares novem, ſed lunares decem, fuit gravida, debito tempore parit Infantem: ſed ante ſextum menſem Abortus: ab hoc ad debitum tempus Partus præmaturus, ſed ſerius veniens Serotinus dicitur.

IX. In Partu naturali fœtus per uteri os, vaginam, & pudenda dilatata, excludi debet: ſi autem ex utero rupto fœtus fundatur in ventris cavum, aut abdomine etiam rupto in lucem venit, mater & fœtus ut plurimum moriuntur.

X. Dum per partus naturales vias femina gravida habita excludat aquam, ſanguinis grumum, aerem, veſiculas, ovum, molam, aut monſtra, alienus habetur partus.

XI. Regulariter unicum fœtum parit gravida femina interdum geminos, rariſſime trigeminos vel plures ſimul, aut unum longo tempore poſt alterum. Ad hunc partum referri poſſunt concreti, bicipites, vel abundantia aut defectu membrorum laborantes.

XII. Inter pariendum, vel paulo ante fœtus excluſionem, emittitur mucus tanto tempore circa uteri os collectus, ad obliniendas vias; effunditur liquor amnii ruptis membranis, ad vias lubricandas & humectandas; dein ſequitur funiculus, placenta cum ſuis membranis; effunditur tunc ſanguis nomine lochiorum veniens. Quibus omnibus evacuatis uterus ſenſim contractus redit poſt paucos dies in naturalem parvitatem, quod tempus in puerperio abſolvitur.

XIII. Obſtetricis munus tunc eſt obſervare ſigna inſtantis partus, non nimis feſtinare, aut perrumpere, aut pertundere prominentem membranam, ſed ſuſtentare digitis inguinem parturientis, egredientem fœtum recipere linteo, ne cadat. Si vero fœtus motu nimio abdomen parturientis tendat & elevet, partem prominentem altera manu modice ſuſtentare debet, ſupra abdomen, vel curare aliqua ex adſtantibus hoc faciat. Poſt excluſionem ſtatim ligare ad diſtantiam circiter trium digitorum ad umbilico, funiculum, & iterum aliam injicere ligaturam magis verſus placentam, atque dein inter has ligaturas funiculum abſcin-

dere.

dere. Dato infante alicui ex adſtantibus ſecundinæ educendæ molli tractione ad funiculum & frictione ſupra abdomen, quibus tunc facile ſequi ſolent facto conamine parturientis. Puerperæ ita liberatæ abdomen ſtatim lato ſuſtentaculo cingendum, & horizontali fere ſitu puerpera geſtata in lecto componenda, applicato molli & pingui fomento ad pudenda. Dein Infans abſterſus molliter vinciendus, atque in loco tepido ſervandus. Secundinæ inſpiciendæ an integræ ſint & dein alicubi ſepeliendæ vel comburendæ, pro moribus in iſtis locis ſuſceptis.

434. PUERPERIUM.

I. Poſt fœtus excluſionem cum ſuis ſecundinis. 1. Uteri vaſa placenta privata fundunt ſanguinem Lochiorum nomine. 2. Uterus extenſus ſuſtentaculo privatus ſenſim, ut plurimum intra duodecim dies, contrahitur ad tam parvam molem, ut erat ante conceptum. 3. Uteri vaſa ampliſſima ſanguine turgentia, minus ſuſtentata magnam ſanguinis copiam in ſe recipiunt. 4. Inteſtina ſurſum truſa in priorem locum redeunt, colon minus preſſum quam antea. 5. Muſculi abdominales laxi, & cutis rugoſa. 6. Os uteri laxum & patulum. 7. Muliebria tumida, laxa, mollia, irritata. 8. In principio uterus merum fundit ſanguinem, ſenſim pallidiorem, tandem liquorem albicantem, denique omnis ſiſtitur evacuatio in puerpera.

II. Hoc tempore varii fiunt morbi: nam lochia copioſiora, parciora ſi evacuantur, aut omnino ſupprimuntur, multos morbos inferunt iſtis locis deſcribendos.

III. Vaſa uteri ſuſtentaculo privata, ultra modum turgentia, maxime ſi cincta ſint hypochondria, multos ſæpe dolores inferunt, qui ſuſtentatione ventris præveniuntur. Sanguis in vaſis collectus grumoſus, uterum irritans, dolorem infert, qui evacuatione ſanguinis corrupti per lochia leniri ſolet. Ex contuſione, laceratione & difficili partu, aut avulſione placentæ inductus dolor leniri debet fotu molli applicato. Sed ex Conſenſu aut ſpaſmodica conſtrictione dolor natus anodynis nervinis obtemperat.

IV. Alvo adſtricta ſæpe laborant puerperæ propter colon minus ſuſtentatum, quæ purgantibus aut clyſmate non eſt movenda, ſed ſuſtentatione abdominis.

V. Mammarum dolor, tumor, durities, dum coloſtrum conficere incipiunt, curari debet leni frictione, ſuctione frequenti, aut fotu molli applicato.

VI. Sæpe poſt partum animi deliquio corripiuntur. 1. Si nimis magnam copiam ſanguinis fundunt aut in uteri cavo colligunt. 2. Diutius erectum tenent corpus. 3. Hypochondria arctius conſtringunt. Quæ omnia præveniuntur decubitu fere horizontali & abdomini ſuſtentatione.

435. LOCHIA.

I. Sanguinis naturalis evacuatio ex pudendis feminarum, ſtatim poſt partum, vel abortum, ſeparata placenta ab utero, Lochia dicitur. Sanguinis qualitas, a reliquo ſanguine non differt; ejus copia major & minor ſana reſpondet ut plurimum quantitati menſtruationis, & abundantiæ in corpore.

II. Hæc parciora & copioſiora quam requiritur in lochiorum ſuppreſſione & profluvio traduntur. Rariſſima ſunt exempla non profluxiſſe ſine detrimento ſanitatis. Per quæcumque alia loca emittuntur ſemper malum ſignum. Colore alieno, nigra, albicantia, ſi eum colorem ſtagnando non acquiſiverint, malum ſanguinis ſtatum indicant. Fœtentia, corrupta, grumoſa emiſſa, notant anteceſſiſſe ſanguinis ſtagnationem in utero, vel ejus vaſis, aut adeſt morbus in utero, vel vagina talem humorem deponens ad quos morbos magis curatio dirigenda, quam ex his lochiis deſumenda.

436. LOCHIORUM PROFLUVIUM.

I. Copioſior ſanguinis evacuatio ex pudendis mulierum, poſt partum vel abortum, vocatur Lochiorum profluvium.

II. Variæ ſunt hujus cauſæ, quæ etiam ſpecialem curationem exigunt.

III. Vaſa uteri poſt partum & abortum hiantia claudi nequeunt quamdiu grumus ſanguinis major, vel portio placentæ, vel mola, in utero remanet: quando tentanda eſt artificialis eductio ſuſtentando ſimul abdomen externe.

IV. Si autem ex utero lacerato per digitos obſtetricis vel ob avulſionem placentæ, ſanguis fluit, etiam adducendum eſt abdomen, atque fovendum laxantibus ne ſtillans ſanguis in utero concreſcat.

V. Dum vero per auctam circulationem ex quacumque cauſa interna, vel adſumtis calefacientibus, aromaticis, ſpirituoſis, vinoſis, abuſu diureticorum, emmenagogorum, nimis fluant, dicta ſunt omittenda, & exhibenda antiphlogiſtica anodyna.

VI. Si autem ex ceteris ſignis tenuitatis ſanguinis & laxitatis ſolidorum conſtat profluere ſanguinem, adhibenda roborantia.

VII. Ob deficientem ſuſtentationem abdominis, vel fortiorem conſtrictionem hypochondriorum ſi ſanguis per venas redire nequit, ſtatim ſolvendum vinculum atque abdomen inferius ſuſtentandum, applicatis ſimul roborantibus ad abdomen.

VIII. Lochia profluentia pariunt ſanguinis defectum, debilitatem, pallorem, frigiditatem, ſyncopen, vertiginem, pulſum parvum debilem frequentem, convulſionem, hyſtericam paſſionem, mobilitatem: tandem accedente ſpontanea corruptione naſcitur cachexia, hydrops, leucophlegmatia, horror, hectica febris, phthiſis, delirium, & varia animi pathemata.

IX. Sponte ceſſare debet hoc profluvium ſublata cauſa per uterum contractum: perperam claudunt pudenda ad cohibendum effluxum.

437. LOCHIORUM SUPPRESSIO.

I. Si femina poſt partum non reddat per pudenda debitam ſanguinis copiam, vel omnino nihil, Lochiorum ſuppreſſione laborat.

II. Hoc ſi fiat 1. per ſpaſmodicam conſtrictionem, ut in hyſtericis, mobilitate laborantibus, & dolore poſt partum; vel ex terrore aut alio animi pathemate, ſtatim antiſpaſmodica anodyna ſunt exhibenda. 2. Si autem a frigore ſuſcepto aut grumo in utero vel ejus vaſis concreto, ſubſiſtant, abdomen & pudenda fotu laxante actu calido fovenda. 3. Si ex virium debilitate, laxitate, vel ſuſtentaculi abdominis defectu non fluant, ſtatim artificiali cingulo venter ſuſtentandus, & epithemata roborantia ventri applicanda: interne danda Emmenagoga, niſi anteceſſerit hæmorrhagia major. 4. A partu autem laborioſo, dum uteri os, vagina, pudenda valide fuere contuſa, lacerata, inflammata, impedientia ſanguinis exitum, partes inungendæ, & fovendæ laxantibus. 5. Si vero propter hæmorrhagiam vel alvi fluxum, vel aliam copioſiorem evacuationem; lochia non fluant, illa copioſior evacuatio eſt cohibenda, & abdomen artificiali ſuſtentaculo muniendum.

III. Poſt ſuppreſſa lochia ſanguis in uteri cavo vel vaſis contentus concreſcit, accumulatur, tumet inde & dolet uterus atque venter, naſcitur anxietas, & ſiſtitur alvus & urina, ventriculus & hypochondria in conſenſum trahuntur. Stagnans ſanguis corruptus interdum præbet lochia fœtentia, exulcerantia uterum, vaginam, pudenda, vel exit per alvum aut hæmorrhoides, raro per aliam hæmorrhagiam: ita receptus a maſſa circulatoria, multa anomala inducit, febrem hecticam, putridam, tremorem, horrorem, debilitatem, delirium, cephalalgiam, nauſeam, faſtidium, anginam, cachexiam, calorem, convulſionem, hyſte-

ſteriam, ſyncopen, ſudorem colliquativum, lumborum dolorem, reſpirationem difficilem, urinam fœtentem, vertiginem.

VIII. Si præcedenti methodo ſecundum citatas cauſas ſanguis evacuari nequit, ſed abiit in corruptelam toti maſſæ traditam, inſiſtendum evacuationi per naturalia loca, & mala ſupervenientia ut morbus putridus pertractanda.

438. DYSTOCIA.

I. Partus difficilis, laborioſus aut omnino impoſſibilis Dyſtocia dictus ex variis naſcitur cauſis, quæ referuntur ad Parturientem, Fœtum, & Secundinas, aut quædam horum ſimul.

II. Femina primaria, junior vel ſenior, hyſterica, delicata, mobilitate laborans, debilis, animi pathemate agitata, laborans cephalalgia, convulſione, lumborum dolore, macie, obeſitate, plethora, frequenti ſyncope, anxietate, febre, Dyſtociam præſagit, niſi dicti morbi curentur, aut mitigentur. Veſica ab urina tumens, aut Inteſtinum colon vel rectum excrementis impletum, prius exonerandum. Pelvis oſſium anguſtia & deformitas emendari nequit: ſed Coxendicis os nimis intus vergens manu obſtetricis in parturiendi conamine deorſum premendum. Atque nimiæ feſtinationi parturientis non obtemperandum.

III. Pudenda tumentia nimis, hydropica, inflammata, excoriata, exulcerata, ſicca, difficilem partum præſagiunt, & mature curanda. Hernia, Procidentia, aut prominens Tuberculum intromittendum priuſquam fœtus hunc locum occupat. Quod etiam in Vaginæ morbis eſt obſervandum.

IV. Uterus in ventre oblique locatus, quod tactu detegi poteſt, Dyſtociam præſagit, niſi præveniatur oppoſito ſitu parturientis, ſuſtentatione ad partem prominentem, & directione orificii uteri per manum obſtetricis. Valido tetano contractus, dato nervino anodyno relaxari debet. Deformitas, atque uteri ruptio, fundens fœtum in cavum ventris, vix emendari poteſt, niſi ſectione cæſarea matura.

V. Uteri orificium clauſum vel non ſatis apertum, cum capite fœtus ad pudenda deſcendens, quem partum Paragomphoſin vocant, difficilem vel impoſſibilem partum promittit, niſi in parturiente, capite decliviore locata, obſtetricis digitis ſurſum trudatur uteri orificium, & ibidem retineatur, donec caput fœtus per orificium dilatatum deſcenderit. Orificium in conamine parturiendi ſe contrahens Dyſtociam promittit, niſi minuatur anodyno nervino dato. Nimis diu autem contractum manens, ſenſim digitis immiſſis dilatandum, & pinguedine molli malaxandum. Oblique hærens poſitione parturientis, & directione digiti immiſſi, dirigendum, ut vaginæ reſpondeat. Nimis tumens poſt partum non eſt loco placentæ prehendendum & educendum.

VI. Fœtus major, deformis, hydrocephalo laborans, debilis aut mortuus, aut gemelli ſi adſint, Dyſtociam prænunciant: ſed in ventre effuſus vel tuba natus non ſine Hyſterotomia matura fœtus & mater ſervari poſſunt.

VII. Fœtus vertice capitis primo in lucem non veniens, ſed parte quavis alia, difficilior cenſetur partus. 1. Sic venientem capite primo, obtecto orificio uteri ſuperius notavimus. Sed in naturali ſitu veniens, ſi ad collum ſubſiſtat, obſtetrix ſub fœtu immiſſis digitis, ne collum ſtringatur, curvatis ſub alis fœtus, excluſionem juvare tenetur. 2. Pedibus primo veniens, qui partus Agrippa vocatur, proxime naturali accedit. Ita veniens ad umbilicum eductus, vertendus tunc ut facies ad lumbos parturientis reſpiciat. Si ſatis amplum pro eductione ſit ſpatium, educendus ita fœtus brachiis ſurſum elevatis: ſed ſpatium anguſtius exigit prius brachiorum eductionem, immiſſa manu obſtetricis ſub pectore fœtus; ſed ſimul tunc digitus detinendus in ore fœtus, ne os uteri ſtringat collum fœtus. 3. Natibus primo veniens a præcedente vix differt. 4. Tranſverſe locatus, Facie, Humero, Dorſo, Ventre, Pectore primo veniens, directione manus obſtetri-

ſtetricis ita invertendus fœtus, ut naturali partui reſpondeat: ſi hoc ſatis commode fieri non poſſit, fœtus per pedes eſt educendus. 5. Manu una vel altera vel utraque primo veniens, difficillimum partum promittit, niſi ſtatim pars imminens intus ab obſtetrice retineatur, donec caput eum locum occupat, vel potius per pedes eductio fieri debet.

VIII. Rara ſunt exempla 1. Fœtum ſuis Membranis cinctum excluſum fuiſſe, hoc autem factum ſi ſit, membrana eſt aperienda & fœtus eximendus, ne ſuffocetur, ligandus tamen & abſcindendus eſt funiculus ut in naturali partu. Membrana autem prominens & tumens nimis diu impediens fœtus exitum, aut quando quædam alia pars fœtus in ſacco membranaceo extra muliebria ſentitur, ſaccus aperiendus ſine læſione fœtus aut matris; præmatura enim pertuſa membrana effundit liquorem, retrotrahitur, & laborioſum partum generat. 2. Umbilicalis funiculus primo veniens intromittendus, ſi collum ſtringat ab eo removendus. 3. Placenta primo veniens notans ejus ab utero ſeparationem, & ſanguinis effuſi collectionem in utero, quo citius eo melius, placenta primo & dein fœtus educendus, ne mater & fœtus hæmorrhagia pereat. 4. Muci & Liquoris effuſio partui præcedere ſolet, ut viæ reddantur lubricæ & humidæ, ejus præmatura ergo evacuatio non eſt facienda; ſi autem facta ſit, partes molli oleo ſedulo ſunt inungendæ. 5. Si ante fœtus excluſionem multum ſanguinis fluat, ſignificans placentæ ſeparationem perfectam aut imperfectam, citiorem excluſionem poſtulat, quam alias fieret.

IX. Poſt talem difficiliorem partum major cura puerperæ eſt habenda, quam in partu facili, qualia in puerperio ſunt tradita.

X. Ut obſtetrix ſciat & præſagire poſſit Dyſtociam, quædam prægredientia phænomena ſunt annumeranda. 1. Omnia viſibilia ſigna annumerata Dyſtociam producentia. 2. Acuminatus & oblongus tumor membranæ ex orificio uteri. 3. Sanguinis effluxus ante partum. 4. Præmatura liquoris effuſio. 5. Conatus parturiendi ſurſum tendens. 6. Orificii contractio tempore conatus. 7. Uteri orificium vaginæ non reſpondens.

439. ABORTUS.

I. Fœtus imperfecte formati ante debitum Partus tempus ex utero matris excluſio proprie dicitur Abortus. Illa autem ante formationem fœtus evacuatio dicitur Effuſio: atque fœtus perfecti excluſio circa partus tempus Partus præmaturus cenſetur.

II. Abortum inſtare in femina gravida conjicimus. 1. Ex ſignis Fœtus mortui, vel debilis. 2. Cauſis abortum inducentibus.

III. Multæ ſunt veluti conſpirantes cauſæ abortum facientes, quæ 1. pertinent ad fœtum ipſum, 2. ejus funiculum, placentam, liquorem & membranas, 3. ad unionem placentæ cum utero, 4. ad uterum ipſum, 5. ad matrem gravidam.

IV. Fœtus debilior, aliquo morbo correptus, ſæpe ante debitum tempus excluditur, quod roborantibus datis prævenitur: ſed mortuus, aut grandior quam ut a tenella matre contineri aut nutriri poſſit, vel gemelli ſi adſint, nulla arte Abortus præveniri poteſt.

V. Quum Funiculus ſit conductor & Placenta communicatrix inter matrem & fœtum, quæ partes motu particulari uſque ad partus tempus donatæ ſunt, harum debilior actio intercipit interdum communem circulationem, & producit ita mortem fœtus cum ſequente abortu: in quo caſu laudantur quædam Uterina roborantia. Membrana coarcens rupta permittens contenti liquoris effluxum, eſt cauſa, ut fœtus defectu humidi, in quo natare debet, moriatur, & ita ſine ulla medela abortire cogatur.

VI. Omne quod accipit fœtus incrementum, a matre per placentam præcipue acci-

accipit, atque nutritur interim communi circulatione cum matre interveniente placenta & umbilicali funiculo: facta itaque ſeparatione inter placentam & uterum, tam ex arteriis umbilicalibus, quam ex arteriis uterinis funditur ſanguis in cavum uteri, unde perit neceſſario fœtus & periclitatur mater. Quæ feminæ gravidæ non adſuetæ menſtruari patiuntur poſt tertium quartumve menſem ſanguinis ſtillicidium, & præprimis ſi grumoſum ſanguinem evacuant, talis evacuatio arguit ſeparationem placentæ, quam ſemper ſequitur Abortus, nulla arte præveniendus.

VII. Sed præveniendo cauſas ſeparationem inducentes, prævenitur etiam Abortus. Quæ feminæ igitur copioſe menſtruari ſolent, ſucculentæ ſunt & opipare viventes, tantam interdum in uteri vaſis colligunt ſanguinis copiam, quę placentam detrudit: qualis abortus repetita venæ ſectione a menſe ſecundo ad quintum vel ſextum prævenitur.

VIII. Sanguinis autem copia deficiens in gravida, ex naturali diſpoſitione in parce menſtruantibus, inedia, dyſpepſia, vel alio morbo, laborante, hæmorrhagia, vel evacuatione alia quavis aucta, ut alvi fluxu, dyſenteria, hæmoptyſi; aut venæ ſectione aliiſque auxiliis evacuantibus vexata, facile abortum parit, quia hæ cauſæ non præbent debitum pabulum fœtui, & faciunt ut placenta ſponte veluti delabatur, & ita ab utero ſecedens mortem fętus creet, cum ſequente Abortu, quod præveniendum erat analepticis & ſtomachicis roborantibus, evitata nimia ſimul evacuatione.

IX. Hoc magis efficiunt, quæ humores evacuant & ſimul depulſionem facilitant; uti artemiſia, cantharides, clyſmata, veneris frequens uſus, aconitum, ſabina, diuretica, purgantia, emmenagoga, atque vomitoria, quæ etiam concutiendo vim inferunt. Hæc ergo omnia evitanda, & ſi natura fecerit alvi fluxum vel vomitum, horum morborum curatio confirmat fętum: ſi autem facta inde ſit ſeparatio placentæ, fruſtra ſuſcipitur curatio.

X. Moventes etiam cauſæ, utero vel placentæ applicatæ, ſeparationem facere poſſunt. Uti Contuſio, Ligatio ventris, Equitatio, Saltus, Elevatio & geſtatio oneris, Vociferatio, Sternutatio, Tuſſis, Vectio, Convulſio, Singultus, Teneſmus, Febris, vehemens Animi pathema, Ira, Terror. Quæ ergo in gravidis omnino evitanda: nam poſt factam ſeparationem placentæ, nulla medela valet prævenire Abortum.

XI. Uterus etiam ipſe frequens eſt Abortus cauſa: nam 1. Copia muci interna uteri latera tegens debiliorem placentæ unionem præbens. 2. Uterus gracilior, qui fętum capere poteſt. 3. Uteri orificium laxius, uti in fluore albo laborantibus, quam ut onus fętus ſuſtentare poſſit. 4. Frequentior coitus, præprimis in gravida. 5. Uteri convulſio in hyſtericis. 6. Abortus vel partus ſępe prędreſſus. 7. Uteri inflammatio, eryſipelas, hydrops, & alii particulares morbi, uti anxietas, dolor, molam continens, pudendorum vitia, vulnus, mobilitas, abortum præſagiunt in gravidis.

XII. Ad recenſitas cauſas, niſi prius ſuis ſignis detectas, fruſtra inſtituitur curatio. Muci copia detecta ex pudendorum frigiditate, effluxu copioſiore e pudendis, atque menſtruis pallidis, exigit roborationem generalem & topicam, per epithemata, inunctiones, & fumigationem ad abdomen, lumbos & pudenda. Gracilior uterus ex ætate, lapſu temporis ſponte emendatur. Uteri orificium laxius optime exploratione digiti obſtetricis dignoſcitur, aut conjicitur ex fluore albo & frigiditatis ſenſu: præcedente etiam methodo curatur. Convulſionem uteri ex mobilitatis & hyſtericæ paſſionis phænomenis conjicimus, vel quando ſolet gravida ex animi pathemate abortire; evitando igitur animum inſtigantes cauſas & medicamentis antiſpaſmodicis uterinis talis prævenitur abortus. Morbi autem uteri particulares licet defecti vix curari poſſunt ſine abortu ſequente.

XIII. Denique corpus matris malum ſuppeditans nutrimentum fętui abortum parit: nam laborans cachexia, ictero, phthiſi, ſcorbuto, lue venerea, morbo

acuto, vel febre vehemente, hydrope, dolore, anxietate, aphthis, aſthmate, cephalalgia, nephritide, debilitate, diæta mala, ebrietate, eryſipelate, epidemica, fętore, horrore, ictero, laſſitudine, morbillis, variolis, petechiis, rigore, ſyncope, tremore, coxæ dolore, lumborum affectione, renum vel reſpirationis morbis, vel quovis alio gravi morbo, ſæpe abortit: qui abortus præveniri nequit, niſi curatis his morbis; qui ex ſuis propriis ſignis ſunt cognoſcendi, & ſua adaptata methodo curandi.

XIV. Frequens Abortus ad abortiendum diſponit uterum; exhaurit feminarum vires; grandioris fętus difficilior, quam junioris, imo quam partus legitimi, ob firmiorem placentæ adhæſionem; ex fętu mortuo in utero retento & corrupto morbi naſcuntur putridi, qui etiam diu poſt abortum fatigant.

XV. Si cauſæ abortum facientes præveniri aut tolli non poſſunt, & ſigna adſint fętum eſſe mortuum, cujus excluſio eſt promovenda manu obſtetricis, vel ecbolicis datis, modo non adſit uteri hæmorrhagia, quum illa iiſdem intenderetur: promovetur etiam excluſio cingulo ſuſtentante abdomen, quod etiam poſt excluſionem eſt retinendum, ut poſt partum legitimum.

440. MOLA.

I. Maſſa carnea, membris & oſſibus carens, poſt conceptum in utero nata, eique inſtar placentæ, utero adhærens, atque ab eo nutrimentum accipiens, plerumque quarto menſe a conceptu, interdum poſt multos menſes, ut abortus, excluſa, quando vita privata eſt, Mola vocatur.

II. His characteribus diſtinguitur a grumo, uteri hydrope, ſarcomate, ovo, embryo, & fętu in abortu excluſo, & placenta relicta a partu.

III. Videtur placenta vivens relicta poſt conceptum, mortuo & dein liquato embryo.

IV. In principio omnia ſigna graviditatis adſunt, in progreſſu vero nulla percipitur fętus commotio, tandem tempus excludendi ut plurimum ultra novem menſes protrahitur; ſi gemini adfuere, poſt partum viventis ſæpe brevi poſtea quoque excluditur.

V. Quamdiu vivens eſt ob tenaciſſimam adhæſionem & os uteri clauſum, manu extrahi nequit; ſed poſt mortem ejus, inſtar placentæ adhærentis educenda, ſi ſponte non extruditur.

441. INFANTICIDIUM.

I. Medici conſilium quia ſæpe exigit magiſtratus, ſi Infans breve poſt partum invenitur mortuus, an manu violenta ſit interfectus, vel ſponte periit, quædam ſunt congerenda ſigna quibus conjunctis judicium ferri poteſt.

II. Indicia violentiæ deſumuntur 1. Ex maculis lividis & tumentibus; quæ etiam in difficili partu generantur. 2. Membris perfectis; ſed potuit etiam paulo ante partum perire. 3. Spuma circa os; quæ etiam compreſſo pectore generari poteſt in partu. 4. Livore faciei; qui etiam fieri potuit conſtrictione funiculi umbilicalis. 5. Facie membrana tecta ut reſpirare non potuit poſt excluſionem; quod ad ignorantiam referri poteſt. 6. Diaphragmate magis compreſſo, quam in fętu inveniri ſolet: quod etiam inſpiratione fieri potuit in utero & dein ante excluſionem ſuffocatus. 7. Pulmone inflato ſupernatante non leve præbetur indicium: ſed inſpirare potuit in utero, in partu, & poſt partum, & tamen mori ſine violentia, inflari potuit pulmo & putredine adtolli. 8. Umbilicalis funiculi abruptione, cum infante omni fere ſanguine privato, quod caſu etiam fieri poteſt & in partu difficili. 9. Maxime ex inventa læſione, quæ etiam in adultis mortem intuliſſet, ferri poteſt judicium; reliqua admodum ambigua habenda.

III. Li-

III. Liberatur vero puerpera ab infanticidio, maculis non tumentibus, & læsione ſine tumore. Membris imperfectis. Pulmone autem ſubſidente non perfecte liberatur, ſed ſi putrefactus ſit. Cutis facili ſeparatione a ſubjecta carne.

IV. An partus præceſſerit his ſignis conjicimus. 1. Ventris rugoſitate & laxitate. 2. Pudendorum intumeſcentia molli & laxa. 3. Cruoris per pudenda effluxu. 4. Dilatatione vaginæ majore. 5. Lactis in mammis præſentia & mammarum inſolita intumeſcentia.

V. Liberatur autem puerpera ab infanticidio ſi ante partum ſigna fœtus mortui habuit.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX.

Characteres numerorum Titulos morborum, numeri autem Romani Paragraphos in Proœmio, significant.

ABdomen 340.
Ablactatio, Lac, 323.
Abortus, 439.
Abscessus, 63.
Absorptio deficiens, 184.
--- Major, 185.
Abundantia, 264.
---- humorum, 53.
---- solidorum, 23.
Abusus, 279.
Acescentia, Nutrimentum, 281.
Aciditas, 96.
Acrimonia, 94.
Actio in gyrum, Vectio, 262.
Acuta febris, 204.
Acutus morbus, v.
Adductio, 29.
Adipsia, Sitis, 300.
Adolescentia, Ætas, 242.
Adulti, Ætas, 242.
Ægritudo, Debilitas, 164.
Æqualis humor, 110.
Æquilibrium destruct. 52.
Æquinoctiales, Tempus anni, 271.
Aer, 270.
Æstas, Tempus Anni, 271.
Æstus, Calida, 266.
Ætas, 242.
Agrippa, Dystocia, 438.
Agrypnia, 150.
Albor, 103.
Alcali morbus, 98.
Algida febris, 214.
Alimentum, Nutrimentum, 281.
Alvi excrementa, 376.
Alvi fluxus, Diarrhœa, 379.
Alvus Astricta, 378.
Amaurosis, Cæcitas, 292.
Ambulatio, Exercitium, 245.
Amplitudo morbosa, 45.
Anamnesticum, Signum, x.
Aneurysma, 56.
Angina, 315.
Anglicus sudor, Hydropyretos, 221.
Angustia morbosa, 46.
Anhelitus, Respiratio, 329.
Animalia, Nutrimentum, 281.
Animi Actio, 243.
---- Pathemata, 244.
Anodynia, 141.
Anomalus morbus, IV, 9.
Anorexia, 356.
Ani morbi, 352.
Antiquus morbus, IV, 7.
Anxietas, 148.
Apella, Penis, 410.
Apertus morbus, IV, 8.
Apepsia, Dyspepsia, 361.
Aphonia, vocis morbi, 314.
Aphthæ, 297.
Apoplexia, 143.
Apyrexia, Intermissio, XXVII.
Aquosa, Nutrimentum, 281.
Aquosus humor, 86.
Ardens febris, 212.
Ardor, Calida, 266. Calor Corporis, 158.
Arenulæ, Calculus, 237.
Aridura, 71.
Aromata, Nutrimentum, 181.
Arthritis, 135.
Ascarides, Insecta, 239.
Ascarides, Intestinorum, 390.
Ascites, 341.
Asodes febris, 219.
Asphyxia, Pulsus, 179.
Assata, Nutrimentum, 281.
Asthma, 331.
Astra, Aer, 270.
Atrophia, 67.
Atresia, Vaginæ morbus, 411.
Attritus, 27.
Aura frigida, Aer, 270.
Austeritas, 101.
Automatica, 255.
Autumnus, Tempus anni, 271.

B

BEnignus morbus, IV, 5.
---- humor, 128.
Beriberi, Torpor, 178.
Bilioſa febris, 230.
Bilioſus humor, 130.
Bilis calculus, Calculus, 237.
Bilis morboſa, 397.
Bilioſum, Temperamentum, 251.
Bocium, Bronchocele, 316.
Borborygmus, 389.
Bradypepſia, Dyſpepſia, 361.
Branchus, Raucedo, 317.
Brevis morbus, IV, 7.
Brevitas morbi, XIX.
Bronchocele, 316.
Bubo, 351.
Buboncele, Inguinum morbi, 350.
Bulimos, Pſeudorexia, 357.

C

CAchexia, Cacochymia, 121.
Cacochylia, 375.
Cacochymia, 121.
Cacochymica febris, 229.
Cadaveroſa facies, Facies, 290.
Cæcitas, 292.
Cæſarea ſectio, Diſtocia, 438.
Calculus, 237.
Calculus bilis, 398.
Calida, 266.
Calidus humor, 90.
Calidum, Temperamentum, 251.
Callus, 41.
Calor morboſus, 158.
Canaliculares, Tempus anni, 271.
Cancroſus, IV, 4.
Capitis morbi, 285.
Caput gallinaceum, Veſiculæ, 414.
Cardialgia, 362.
Carebaria, 287.
Caro, Nutrimentum, 281.
Catamenia, Menſtruatio, 423.
Catarrhalis febris, Lymphatica, 281.
Catarrhus, 136.
Catoche, 144.
Cavernoſa corpora, Penis, 410.
Cauſa, VIII.
Cephalæa, Cephalalgia, 286.
Cephalalgia, 286.
Cereviſia, Nutrimentum, 281.
Ceruminis morbi, 305.
Chancres, Penis morbi, 410.
Characteriſticum, Signum, X.
Chloroſis, 122.
Cholera, 395.
Chorda, Penis, 410.
Chordapſus, Colica, 388.
Chorea, Convulſio, 161.
Chronica febris, 205.
Chronicus morbus, VI.
Chylus morboſus, 374.
Chilificatio, 355.
Chylifera, 373.
Chyli ductus, Chylifera, 373.
Cibus, Nutrimentum, 281.
Cicatrix, 44.
Cimices, Inſecta, 239.
Circulatio major, 180.
Circulatio minor, 181.
Circumactio, Vectio, 262.
Cirſocele, Scroti morbus, 412.
Ciſterna, Chylifera, 373.
Clamor, Exercitium, 245.
Clavus Hyſtericus, Cephalalgia, 286.
Clauſura, 48.
Clitoris, muliebria, 418.
Coagulatio, 83.
Cocta, Nutrimentum, 281.
Coctio morbi, Pepaſmus, XXIII.
Coctus humor, 126.
Cœlum, Aer.
Cœliaca, 283.
Cogitatio, Animi actio.
Cognitus morbus, IV, 8.
Colica, 388.
Colli morbi, 306.
Collectio humorum, 114.
Colliquatio, 87.
Colliquativa febris, 230.
Color morboſus, 102.
Comedones, Inſecta, 239.
Compoſitus morbus, IV, 9.
Compreſſio, 30.
Conamen, Exercitium. 245.
Concretio humorum, 80.
----- ſolidorum, 49.
Congelatio, Gelu, 10.
Connatus morbus, 241.
Conſenſus, 142.
Conſtans morbus, IV, 6.
Conſtantia morbi, XXXV.
Conſuetudo, 252.
Contagioſi morbi, 272.
Contagium, 272.
Continua febris, 194.

Continuus morbus, IV, 6.
Contractilitas, 17.
Contusio, 5.
Convalescentia, 165.
Convulsio, 161.
Cordis morbi, 325.
Corrosio, 11.
Corruptio humorum, 115.
Coryza, Gravedo, 289.
Coxæ dolor, 349.
Crassitudo humorum, 73.
---- solidorum, 37.
Crepitus, 390.
Crisis, XXIV.
Crudà, Nutrimenta, 281.
Cruditas humorum, 127.
---- morbi, XXII.
Crusta phlogistica, 82.
Crystallisatio, 260.
Cura, Animi pathema, 244.
Curatio, XIII.
Cursus, Exercitium, 245.
Cynanche, Angina, 315.
Cynicus spasmus, Facies, 290.
Cynorexia, Pseudorexia, 357.
Cystis morbi, 396.

D

DEbilitas, 164.
Decrementum morbi, XIV, 5.
Decubitus in morbis, 170.
Defectus, 265.
---- Humorum, 65.
---- Solidorum, 24.
Deformitas, 43.
Deglutitionis morbi, 313.
Delirium, 154.
Densitas solidorum, 39.
Dentitio, Ætas, 342.
Destructio, 3.
Detumescentia, 69.
Diabetes, 405.
Diaphragmatis morbi, 328.
Diaphthora, Dyspepsia, 361.
Diarrhœa, 379.
Diagnosticum, Signum, x.
Diathesis, Natura, 249.
Dies morbi, XV.
Difficilis morbus, IV, 5.
Diuresis morbosa, 399.
Dolor, 134.
Dracunculi, Insecta, 339.
Dulcia, Nutrimenta, 281.
Duplicata febris, 202.
Durities, 34.
Dyscrasia, Temperamentum, 251.
Dysenteria, 370.
Dyspepsia, 361.
Dysphoria, XXI.
Dyspnœa, 330.
Dysterica febris, 125.
Dystocia, 438.
Dysuria, 407.

E

ECchymosis, 116.
Effectus, IX.
Effervescentia, 115.
Effusio, 115.
Effusio, Abortus, 439.
Elæodes, Ichor, 88.
Elasticitas, 21.
Elevatio ponderis, 245.
Elongatio, 32.
Embryologia, 429.
Embryolomia, Dystocia, 428.
Emetica febris, 226.
Empneumatosis, 118.
Empyema, 337.
Encephali humoris morbi, 302.
Endemius, 273.
Ephemera, 192.
Epialos febris, 215.
Epidemus, 274.
Epilepsia, 162.
Epigenomenon, Signum, x.
Epiphœnomenon, Signum, x.
Epiplocele, Omentum, 372.
Epiplomphalos, Omentum, 372.
Equitatio, Vectio, 262.
Erratica febris, 203.
Error loci, 113.
Eructatio, 368.
Erysipelas, 160.
Eschara, 147.
Essentialis morbus, IV, 9.
Evacuatio morbosa, 186.
Eucrasia, Temperamentum, 251.
Euphoria, XX.
Exacerbatio, Recrudescentia, XXX.
Exanthematica febris, 207.
Excoriatio, 26.
Excrementa, Alvi excrementa, 376.
Excreta, 254.
Exercitium, 245.
---- *omissum*, Quies, 246.

Exhalatio, Aer, 270.
Exitus morbi, XII.
Expergefactus, Animi pathemata, 244.
Extenſio, 31.
Extenuatio, 70.
Externus morbus, IV, 8.
Extremus morbus, IV, 8.

F

FAciei morbi, 190.
Facilis morbus, IV, 5.
Farinoſa, Nutrimenta, 281.
Faſcinatio, Magia, 284.
Faſtidium, 359.
Faucium morbi, 307.
Febris, 191.
Fæces, Alvi excrementa, 376.
Fermentatio, 256.
Fervor, Calida, 266.
Finis morbi, XIV, 6.
Fiſſura, 13.
Fiſtula, 16.
Flatus, 238.
Flavus color, 108.
Flexibilitas, 19.
Flumina, aer, 270.
Fluor albus, Leucorrhœa, 426.
Fœtor, 112.
Fœtus morbi, 430.
Fragilitas, 1.
Frenulum, Muliebria, 418.
Frictio, Mechanica, 261.
Frigida, 267.
Frigiditas, 166.
Frigidus humor, 91.
Frigidum, Temperamentum, 251.
Fructus, Nutrimentum, 281.
Flumen, Aer, 270.
Fumus, Aer, 270.
Funiculus, umbilicalis funiculus, 432.
Fuſtigatio, Mechanica, 261.
Furor uterinus, Hyſteromania, 427.
Futurus morbus, XIV, 1.

G

GAlea, Fœtus, 430.
Gangræna, Inflammatio. 159.
Gas ſylveſtre, Aer, 270.
Gaſtroraphia, Abdominis morbi, 340.
Gaudium, Animi pathemata, 244.
Gelu, 10.
Geminus, Gravida, 429.
Genitalia feminarum, 418.
----- virorum, 418.
Glans, Penis, 410.
Glutinoſus humor, 79.
Gonorrhœa, 416.
Goſſo Bronchocele, 316.
Gravedo, 289.
Graviditas, 429.
Grumus, 81.

H

HAbitatio, Aer, 270.
Hæmoptyſis, 334.
Hæmorrhagia, 190.
Hæmorrhoides, 353.
Hectica febris, 218.
Helodes febris, 222.
Hemicrania, Cephalalgia, 286.
Hemiplegia, Paralyſis, 169.
Hemitritæos, Semitertiana, 201.
Hepatis morbi, 394.
Hepaticus fluxus, 381.
Hepatitis, 395.
Hereditarius morbus, 240.
Hernia, 50.
Hippocratica facies, Facies, 290.
Horrifica febris, Phricodes, 217.
Horror, 176.
Humida, 268.
Humiditas, 35.
Humidum, Temperamentum, 251.
Hungarica febris, 224.
Hydatides, 60.
Hydrocele, Teſtis, 413.
----- Scrotum, 412.
Hydrocephalon, 288.
Hydrophobia, 277.
Hydrothorax, 338.
Hydrops, 59.
Hydropyretos, 221.
Hyems, Tempus anni, 271.
Hymen, Muliebria, 418.
Hypercatharſis, 386.
Hypochondriaca, 174.
Hypochondriorum morbi, 344.
Hypoſpadineus, Penis morbi, 410.
Hyſteria, 175.
Hyſteromania, 427.
Hyſterotomia, Dyſtocia, 438.

I

JAmjam natus, Ætas, 242.
Ichor, 88.

Icte-

Ictерus, 177.
Idiopathicus morbus, IV, 9.
Idioſyncraſia, 250.
Iliaca paſſio, Volvulus, 384.
Illegitimus morbus, IV, 9.
Immatura, Nutrimenta, 81.
Impetus internus, Circulatio, 180.
Impetus, 180.
Impotentia, 417.
Impurus morbus, IV, 9.
Inappetentia, Anorexia, 356.
Inæqualis humor, III.
Incantatio, Magia, 284.
Inconſtans morbus, IV, 6.
Inconſtantia morbi, XXXVI.
Incognitus morbus, IV, 8.
Incontinentia urinæ, 404.
Incrementum morbi, XIV, 3.
Incubus, 149.
Inducia morbi, Intermiſſio, XXVII.
Induratio, XXXIV.
Inertia, 22.
Infantes, Ætas, 242.
Infanticidium, 441.
Inflammatio, 159.
Inguinum morbi, 350.
Inquietudo, 171.
Inſanabilis morbus, IV, 5.
Inſecta, 239.
Inſomnium, 153.
Integumenta, 280.
Intemperies, Temperamentum, 251.
Intercurrens morbus, IV, 6.
Intermiſſio morbi, XXVII.
Intermittens febris, 195.
----- morbus, IV, 5.
Internus morbus, IV, 8.
Inteſtinorum morbi, 369.
Intumeſcentia, 54.
Ira, Animi pathemata, 244.
Iſchias, Coxa, 349.
Iſchuria, 409.
Jurulenta, Nutrimentum, 281.
Juvenes, Ætas, 242.

L

Labia pudendorum, Muliebria, 478.
Labor, Exercitium, 245.
Laceratio, 8.
Lactea vaſa, Chylifera, 373.
Lactis morbi, 323.
Lactatio, Lactis morbi, 323.
Lacus, Aer, 270.
Languida febris, Chronica, 205.
Laryngis morbi, 310.
Laſſitudo, 167.
Latens morbus, IV, 8.
Laxitas, 18.
Legitimus morbus, IV, 9.
Leguminoſa, Nutrimentum, 281.
Leipyria febris, 216.
Lendes, Inſecta, 239.
Lenis morbus, IV, V.
Lenta febris, Chronica, 205.
Lenticularis, Petechialis, 210.
Lentor, 76.
Leucophlegmatia. 61.
Lethalis morbus, IV, 5.
Leuchorrhæa, 426.
Lienis morbi, 392.
Lienoſi, Lienis morbi, 392.
Lienteria, 382.
Ligatio, Compreſſio, 30.
Linguæ morbi, 298.
Lithontriptica, Calculus, 237.
Lividus humor, 107.
Lochia, 435.
Lochiorum profluvium, 436.
Lochia ſuppreſſa, 437.
Longitudo morbi, XVIII.
Longus morbus, IV, 7.
Lumbago, 346.
Lumborum morbi, 345.
Lumbrici, Vermes, 390.
Luna, Aer, 270.
Lutea corpora, Ovarium, 422.
Lux, Aer, 270.
Lymphaticus, 89.
Lymphatica febris, 231.

M

MAceratio, 259.
Macies, 66.
Magnitudo, morbus, IV, 5.
Magia, 284.
Malacia, Pſeudorexia, 357.
Maligna febris, 235.
Malignus humor, 129.
----- morbus, IV, 5.
Mammarum morbi, 322.
Manducationis morbi, 299.
Manifeſtus, morbus, IV, 8.
Maraſmus, Hectica, 218.
Mare, Aer, 270.
Marinum ſal, Nutrimentum, 281.

Matura, Nutrimenta, 281.
Mechanica, 261.
Meconium, 377.
Mediaſtini morbi, 327.
Medicamenta, 282.
Meditatio, Animi actio, 243.
Melancholia, 132.
Melancholicum, Temperamentum, 251.
Melitera, Ichor, 88.
Mellita, Nutrimentum, 281.
Menſtruatio, 423.
Menſes corrupti, Menſtruatio, 423.
Menſium profluvium, 424.
----- Suppreſſio, 425.
Meſenterii morbi, 372.
Meſenterica febris, Cacochymica, 229.
Metamorphoſis, 120.
Metaſtaſis, 119.
Meteora, Aer, 270.
Mictus cruentus, 406.
Miliaris, Scarlatina, 209.
Miſerere mei, Volvulus, 384.
Mitis humor, 92.
Mobilitas, 173.
Mola, 440.
Mollitudo, 33.
Montes, Aer, 270.
Monticulus, Muliebria, 418.
Morbilli, 208.
Morſus, 7.
Motus major, 156.
----- minor, 163.
Muci morbi, 304.
Mucilaginoſa, Nutrimenta, 281.
Mucor, 75.
Muliebria, 418.
Murmura, Borborygmi, 389.
Murmur, Flatus, 238.
Muſtum, Nutrimentum, 281.
Mutilatio, 25.

N

NAtura, 249.
Navigatio, Vectio, 262.
Nauſea, 360.
Nephritis, 347.
Nervina febris, Chronica, 205.
Nigror, 105.
Nitroſa Acrimonia, 97.
Nix, Aer, 270.
Novus morbus, IV, 7.
Nox, Tempus anni, 271.
Nubes, Aer, 270.
Nudatum corpus, Integumenta, 280.
Nuditas, 28. & 280.
Nutrimentum, 281. 381.
Nymphæ, Muliebria, 418.

O

OBdormitio, Torpor, 178.
Obſtetrix, Partus, 433.
Obeſitas, 58.
Obſcurus morbus, IV, 8.
Obſtructio, 47.
Odontalgia, 296.
Œdema, 62.
Œſophagi morbi, 312.
Omenti morbi, 372.
Ophthalmia, 291.
Oſcheocele, Scroti morbi, 412.
Oſcillatio, Vectio, 262.
Oſſificatio, 42.
Otalgia, 294.
Otium, Quies, 246.
Ova, Nutrimenta, 281.
Ovaria, 422.
Ovula, Ovarium, 422.

P

PAllor, 104.
Palpitatio, 172.
Paludes, Aer, 270.
Pancreas, 371.
Papillæ, Mammarum, 322.
Paracynanche, Angina, 315.
Paragomphoſis, Dyſtocia, 438.
Paralyſis, 169.
Paraphimoſis, Penis, 410.
Paraphrenitis, Phrenitis, 155.
Paraplexia, Paralyſis, 169.
----- Apoplexia, 143.
Paraſynanche, Angina, 315.
Pareſis, 168.
Paroxyſmus, XXV.
Partus, 433.
Partus præmaturus, Abortus, 439.
Partus difficilis, Dyſtocia, 438.
Parvus morbus, IV, 5.
Pathognomicum, Signum, X.
Pectoris morbi, 321.
Pedicelli, Inſecta, 239.
Pediculi, Inſecta, 239.
Penis morbi, 410.
Pepaſmus, XXIII.
Pepſis, 361.

Pericardii morbi, 325.
Periculosus morbus, IV, 5.
Perinæi morbi, 354.
Periodicus morbus, IV, 6.
Periodus morbi, XXVI.
Peripneumonia, 336.
Pernio, Gelu, 10.
Perspiratio morbosa, 187.
Pertinax morbus, IV, 7.
Pestilentialis, Pestis, 275.
Pestis, 275.
Petechialis, 210.
Pharyngis morbi, 311.
Pharyngotomia, Pharynx, 311.
Phimosis, Penis morbi, 410.
Phlegma, 77.
Phlogosis, Rubedo, 106. 290.
Phricodes febris, 217.
Phrenitis, 155.
Phthisis, 68.
Pica, Pseudorexia, 357.
Pictoniensis Colica, Colica, 388.
Pinguia, Nutrimenta, 281.
Pisces, Nutrimenta, 281.
Pituita, 74.
Pituitosum, Temperamentum, 251.
Placenta, 431.
Plactulæ, Insecta, 239.
Plethora, 55.
Pleuræ morbi, 326.
Pleuritis, 325.
Pluvia, Aer, 270.
Pneumatocele, Scroti morbi, 412.
Podagra, 137.
Portarum vasa. 393.
Potus, Nutrimentum, 281.
Præcipitatio, 258.
Prædictio morbi, IV, 9.
Præputium, Penis, 410.
Priapismus, Penis, 410.
Principium morbi, XIV, 2.
Prognosis, Prædictio, IV, 9.
Procidentia, 51.
Profluvium, Evacuatio, 186.
Prognosticum, signum, X.
Propagatio morbi, XXXI.
Prostatæ, 411.
Pruina, Aer, 270.
Pruritus, 139.
Pseudorexia, 357.
Pseudoischuria, Ischuria, 409.
Puberes, Ætas, 242.
Pueri, Ætas, 242.
Puerperium, 434.
Pulmonum morbi, 324.
Pulices, Insecta, 239.
Pulsatio, 157.
Pulsus morbosus, 179.
Punctura, 6.
Purpura, Scarlatina, 209.
Purulenta febris, 233.
Purus morbus, IV, 9.
Pus, 131.
Putredo, 100.
Putrida febris, 234.

Q

Quartana, 198.
Quotidiana, 196.
Quies, 246.

R

Ranciditas, 99.
Raritas, 40.
Raucedo, 317.
Ratio morbi, XVII.
Recens morbus, IV, 7.
Recidiva, XXVIII.
Recidivans, IV, 6.
Recrudescentia morbi, XXX.
Refluxus, 183.
Regio, Aer, 270.
Remittens febris, 199.
----- morbus, IV, 6.
Renum morbi, 400.
Repulsio, XXXII.
Resolutio morbi, XXXIII.
Resolutus humor, 85.
Respirationis morbi, 329.
Retenta, 253.
Rhachitis, 124.
Rheumatismus, 138.
Rigiditas, 20.
Rigor, Horror. 176.
Ros, Aer, 270.
Rubor, 106.
Ructus, 364.
Rugitus, Borborygmos, 389.
Ruptio, 14.

S

Sabulo, Calculus, 237.
Saccharata, Nutrimentum, 281.
Salivæ morbi, 303.
Salsa Acrimonia, 95.

Saltus,

Saltus, Exercitium, 245.
Salutaris morbus, IV, 5.
Sanabilis morbus, IV, 5.
Sanguineum, Temperamentum, 251.
Saponacea, Nutrimentum, 281.
Sapor alienus, 301.
Sarcocele, Teſtis morbi, 413.
Satietas, 358.
Satyriaſis, Penis, 410.
Scalptura, 263.
Scarlatina febris, 209.
Scelotyrbe, Pareſis, 186.
Scorbutica febris, 232.
Scorbutus, 123.
Scotonica, Vertigo, 293.
Screatus, 318.
Scrotum, 412.
Secundarius morbus, IV, 9.
Securus morbus, IV, 5.
Semeiologia, Signum, X.
Seminis morbi, 415.
Semitertiana, 201.
Senex, Ætas, 242.
Sequela morborum, XIV, 7.
Sicca, 269.
Siccitas, 36.
Signum, X.
Silva, Aer, 270.
Simplex morbus, IV, 9.
Singultus, 333.
Sinus purulentus, 64.
Siticuloſa febris, 227.
Sitis morboſa, 300.
Soda, 363.
Sol, Aer, 270
Solſtitiales, Tempus anni, 271.
Solutio morbi, Reſolutio, XXXIII.
Somnolentia, 151.
Somnus, 247.
Sonitus, Flatus, 238.
Sonus, Aer, 270.
Sopor, 152.
Spaſmus, Convulſio, 161.
Spermatocele, Teſtis morbi, 413.
Spina bifida, 348.
Sphacelus, 146.
----- humorum, 133.
Spirituoſa, Nutrimentum, 281.
Sporadicus morbus, IV, 6.
Spuma, 109.
Sputum, 320.
Sputum cruentum, Faucium morbi, 307.
Stagnatio, 182.
Stationarius morbus, IV, 6.
Status morbi, XIV, 4.
Stercus, Alvi excrementa, 376.
Sterilitas, 428.
Sternutatio, Exercitium, 245. 295.
Stillicidium, Evacuatio, 186.
Stragula, Integumenta, 280.
Stranguria, 408.
Strepitus, Flatus, 238.
Studium, Animi actio, 243.
Stupor, 140.
Sudor, 188.
Suffocatio, 332.
Suppreſſio, 186, VIII.
Suſpiria, Reſpiratio, 329.
Suſtentaculi defectus, 12.
Sympaticus morbus, IV, 9.
Symptoma febrile, 211.
Symptomatica febris, 228.
Symptomaticus morbus, IV, 9.
Synanche, Angina, 315.
Syncopalis febris, 223.
Syncope, 145.
Synedrevonta, Signa, X.
Synochos, 193.

T

TÆnia, Inſecta, 239. 390.
Tarantiſmus, 278.
Temperamenta, 251.
Tempeſtas, Aer, 270.
Tempus anni, 271.
----- morbi, XIV.
Tenacitas humorum, 72.
----- ſolidorum, 2.
Teneſmus, 387.
Tenebræ, Aer, 270.
Tenſio, Extenſio, 31.
Tentigo, Penis, 410.
Tenuitas humorum, 84.
----- ſolidorum, 38.
Tepor, Calida, 266.
Teretes, Vermes inteſtinorum, 390.
Terra, Aer, 270.
Terror, Animi pathemata, 244.
Tertiana, 197.
Teſtium morbi, 413.
Tetanus, Convulſio, 161.
Timor, Animi pathema, 244.
Tonitru, Aer, 270.
Tonſillarum morbi, 309.
Topica febris, 236.
Tormentum, Volvulus, 384.
Torpor, 178.

Tortura oris, Facies, 290.
Tremor, 177.
Trigeminus, Gravida, 429.
Triſmos, Facies, 290.
Triſtitia, Animi pathema, 244.
Tritæophyes febris, 200.
Tuba uteri, 421.
Turbatio morbi, XXIX.
Tuſſis, Exercitium, 245.
Tuſſis, 319.
Tympanites, 342.
Typhos febris, 213.

V

Vacillatio, Tremor, 117.
Vaginæ morbi, 419.
Vagus morbus, IV, 6.
Valetudo, Debilitas, 164.
Vapor, Aer, 270.
Vappa, 93.
Variolæ, 206.
Varicocele, Teſtis, 413.
Varix, 57.
Vectio, 262.
Vehemens morbus, IV, 5.
Venenum, 283.
Venerea lues, 276.
Ventris morbi, 339.
Ventriculi morbi, 355.
Ventus, Aer, 270.
Ver, Tempus anni, 271.
Vermes, 239. 391.
Vertigo, 293.
Verus morbus, IV, 9.
Veſicæ morbi, 402.
Veſiculæ ſeminales, 414.
Veſtimenta, Integumenta, 280.
Vetuſtus morbus, IV, 7.
Viciſſitudo morbi, XXXVII.
Vigilia, 248.
Vinum, Nutrimentum, 281.
Virulenta, Ichor, 88.
Virus, Ichor, 88.
Viſcerum morbi, 339.
Viſciditas, 78.
Vitta, Fętus, 430.
Ulcus, 15.
Umbilici, Abſceſſus, 343.
Umbilicalis regio, Abdomen, 340.
Volvulus, 384.
Vomica, Abſceſſus, 63. 324.
Vomitus, Exercitium, 245, 365., &c.
Vox, Exercitium, 245.
Vocis morbi, 314.
Ureterum morbi, 401.
Uretræ morbi, 403.
Urinæ organa, 399.
Urina morboſa, 189.
Urinæ calculus, Calculus, 237.
Uſtio, 9.
Uteri morbi, 420.
Vulnus, 4.
Vultuoſa facies, 290.
Vulvulæ morbi, 308.
Vulva, Muliebria, 418.

FINIS.